Commutavi librum a Croata A. Mihanovich. 1822. pro Dobrovii Instit. L. Slav. tot.

XIV. B. 5.

nummus: I.
Sclavoniæ.
ad Colloq. VI.



nummus.
Hung: Regis
Karuli

nummus: II. Regum
Serviæ.



ad Colloq. VI.

nummus.
Sclavoniæ.

ad Colloq. VI.

Arma
Stephani Reg Serviæ

ad Colloq. VI.

a. Bulgariæ. Leo comatus.
b. Sclavoniæ martes tres.
c. Bosnæ
d. Nemanich famil: aqvila cum lilijs ad latera
e. Leo Macedoniæ
f. Dalmatiæ
g. Serviæ
h. Croatiæ.
k. Rassiæ
fasciato Leo in campo
i. Cotromanorum
l. Primorie brachium ferratum cum ense.

HISTORIA SERVIÆ

SEU

COLLOQUIA XIII.

DE

STATU REGNI,

ET

RELIGIONIS SERVIÆ

AB EXORDIO AD FINEM, SIVE A

SÆCULO VII. AD XV.

AUCTORE

FRANC. XAV. E L. B. DE PEJACSEVICH

A

VEROCZA

ABBATE SS. TRINITATIS DE PETRI VARADINO SS. THEOLOGIÆ DOCTORE IN A. AC CC. UNI. VIENNENSI, ET GRÆCENSI, EIUSDEMQUE OLIM CANCELLARIO, ET DIRECTORE CÆSAREO REGIO.

K. K. LYCEAL BIBLIOTHEK ZU LAIBACH

OPUS POSTHUMUM.

PIIS SUMTIBUS

EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

MATHÆI FRANC. KERTICZA,

CATHEDRALIUM ECCLESIARUM BOSNENSIS, SEU DIAKOVARIENSIS, ET SIRMIENSIS, CANONICE UNITARUM EPISCOPI, S. C. R. A. M. ACTUALIS INTIMI STATUS CONSILIARII.

COLOCÆ, TYPIS SCHOLARUM PIARUM MDCCXCIX.

AD LECTOREM.

Paulo ſerius, nec niſi declinante anno MDCCLXXV. ad notitiam noſtram pervenit lis illa, cui calendarium novum Servianum anno MDCCLXXI. typis Viennenſibus expreſſum occaſionem, locumque dedit, & ſecutus poſtea annus initium fecit (A). Geminum ibi verſabatur argumentum: unum de fori feſtorum numero, qui non, ut oportuiſſet, contractus; ſed mire dilatatus exauctusque ferebatur. Alterum fuit de domeſticis Servianæ, Eccleſiæ ſanctis ex Regia potiſſimum Nemanidum domo exortis: atque hoc multo ardentioribus ſtudiis, caloreque inter Græco Serviani ritus Unitos, ac non Unitos exagitatum eſt: cum quos iſti poſt Sæculum XII. aris admovebant, & procuſis Vindobonæ Calendariis intulerant, atque in fori feſta evexerant; illi multiplici argumentorum pondere, ipſaque Status ratione in conſiderationem advocata, demovendos, expungendosque acrius contenderent.

Et ſenſi ſtatim, quod hic utrosque commiſit, atque in extreme oppoſitas ſententias impulit, non aliud fuiſſe, quam ſolicitum Religionis ſtudium, ejus nempe, cui illorum quisque animum ſuum devinxerat, & quod utrique ex iſtorum ſanctitudine præſidium, roburque Schismati, quo in præſens major fere Servianorum pars laborat, adferri poſſe crederent, pondusque non mediocre adjici exiſtimarent.

Hoc ergo præſidio, ut Uniti deſpoliarent non Unitos, & Eccleſiam Catholicam præconcepto apud ſe periculo liberarent, metuque abſolverent, è Sanctorum cætu, ac Calendariis

plerosque omnes, unum si forte Sabam, primum Pechiæ Archi-Episcopum, Simonis Regis filium demas, deturbandos sibi sumserunt velut novos, inauditos, nulla authoritate invectos, censura nulla aris vindicatos, & ne in Servico quidem Russorumve Calendariis eatenus nominatos. Hucusque Catholicæ Religionis zelus Unitos impulerat: cum alii ex adverso, tanquam pro aris & focis contenderent, ex constanti majorum traditione ad hæc usque tempora propagata; ex manuscriptis Serviæ Calendariis; ex illibata corporum integritate, quæ in cænobiis suis per sæcula aliquot possident; ex beneficiis prodigisque, quæ ad illorum exuvias, & fiducialem invocationem patrantur, in Sanctorum ordine, in quem illos ampliſſimi Cleri gentisque totius consensio, & pia credulitas ab olim reposuit, sancte retinendos non Sabam solum, sed cæteros quoque (B) cultuque pio celebrandos.

Ita contendentes, cum in opposita ferri viderem ejusdem Græco-Serviani ritus Pontifices Unitorum ac dissidentium, & novo hoc etiam nomine, magis magisque animis disjungi, nec facile in optatam concordiam coalituros prospicerem, nisi iste offensionis lapis è medio tollatur: animum denique appuli, ut experirer, an relicta; quæ tantopere dissidentium cordi erat, nationalium suorum Regum, Despotarum, Episcoporumque Sanctitate; Religioni Catholicæ, cui pars altera graviter metuebat, periculi, noxæ, aut detrimenti aliquid inde adferretur? aut pondus qualecumque Schismati hodierno adcresceret?

Et quoniam, quod animo præceperam, aliunde repeti, penitiusque cognosci nequeat, Statum Serviæ Regni, Regumque ex chronicis gentis tam manuscriptis, quam typo expressis, aliisque, quæ mihi ad manum erant subsidiis explorare, ac rimari cepi diligentius; & quæ Dei bonitas est, mox deprehen-

hendi, nihil inde mali periculive rei catholicæ imminere, plurimum vero momenti acceſſurum ad propenſius componenda Eccleſiæ Servianæ cum Romana diſſidia, & communionem conciliandam, ſi illis, quos commune gentis ſuffragium ſenſusque conſecravit, ſanctitudo ſua longa annorum beneficiorumque ſerie præſcripta permittatur.

Quod dum dico, non debeo alicui videri is eſſe, qui velim authoritate definire, aut cætui Sanctorum quemquam aſſerere: hoc enim ſicut ſublimioris ordinis, ita non privati, ſed publici juris eſſe, probe ſcio, cujus ego nullam mihi partem arrogo. Sed neque is ſum, qui præjudicatæ nationis multo maximæ opinationi reſiſtam, ſtudeamque gradu movere, quos conſentiens tanti Cleri, populique vox, nec temere, nec incaute ad aras uſque provexit. Hoc enim eorum tantum opus arbitror eſſe, qui novarum diſſenſionum moliuntur cauſas, non qui veteribus diſſidiis finem, modumque optant imponere.

Veterum autem diſſidiorum capita, quæ nos bene longo tempore disjungunt, ſicut non multa ſunt (C) ita nec apud Serblos nata, nec continuo ab his adoptata, ſed ſerius, & nexu quodam poſitioneque infelici terrarum a Græcis pridem depravatis in eos derivata. Nam ſi rem æqua lance appendo, diſſidia illa, Græcarum tantum provinciarum ad Serblorum imperium acceſſio invexit: fovit vero Turcorum tyrannis, quæ in Serviæ dominatum ſucceſſit, omneque cum Romanis commercium rupit: promovit demum, auxit, firmavitque in Servianorum animis, hinc communio, ritus, qua Græcis junguntur, inde ignoratio veræ ſinceræque hiſtoriæ domeſticæ per volumina Scriptorum diverſorum late fuſæ, diſperſæque.

Cui poſtremo malo, ut denique mederer, operæ pretium me facturum putavi, ſi diſperſa colligerem, collecta in unum corpus colligarem, ſicque in publicum emitterem *Statum Regni, & Religionis Serblorum*, qui a primis chriſtianitatis eorum initiis ad XV. ſæculum, ipſumque adeo illorum finem viguit, & qualem comperi, cum utriſque communicarem.

Hunc itaque fide integra exhibeo vobis toto hoc opere. Videbitis in eo præter vetuſtas majorum veſtrorum ſedes, primamque nominis veſtri originem, fidam Regum ſeriem a variis varie traductam, oppugnatam, confuſamque, quam ego in luce puriore conſtituo, &, qui eandem ad nos transmiſit, unicus, vetus, ſæculi XII. Scriptor domeſticus, Diocleatem Presbyterum defenſum, vindicatumque, nec fere, niſi in genealogiis, chronologiaque correctum, emendatumque; atque ubi ille temporum ignoratione, vera diſſita confudit, & ſimul permiſcuit in ordinem ſuum reſtitutum.

Videbitis gentis veſtræ partem maximam cum primis Regibus, a Romano Epiſcopo, Illyrici Patriarcha ſacro fonte luſtratos, & doctrinis chriſtianis ſæculo VII. imbutos, atque ab eodem ad veſtros primæ ſeriei Reges coronas, & ſceptra Regia, vexillaque Divi Petri profecta, & Epiſcopia, Eccleſiasque ritu utroque conſtitutas, gubernatasque.

Videbitis deinde illos etiam gentis veſtræ Apoſtolos, Cyrillum dico, atque Methodium, per quos & Ignatium, Sanctum illum Conſtantinopoleos Patriarcham, in reſiduam quoque gentis veſtræ partem, quæ pertinacius idolis adhæſerat, baptismus invectus eſt, ritusque Sacrorum Græcanicus IX. ſæculo multo latius diffuſus, amplificatusque fuit: quamquam ipſo illo ævo, annisque Photius Latinis inſultaret acerbiſſime, fidos nihilominus

nus, conſtantiſſimosque Eccleſiæ Romanæ aſſeclas exſtiſſe : nec corruptos Reges, gentemque veſtram ſive IX. illo ſæculo cavillationibus Photii: ſeu ſæculo XI. ſeceſſione nova Michaelis Cerularii; ſed poſt hujus etiam declamationes, ac nænias adverſus Azymi ſacrificium, ritusque Latinorum, alios Romanæ Sedi, ſicut Diœceſi, ita fide quoque, ac obedientia colligatos immote cohæſiſſe, quoad Stirps Regum vetus ſtetit.

Videbitis demum, nec ſub altera Regum ſerie è domo Nemanidarum pauciora in gentem veſtram Roma profluxiſſe beneficia. Ab inde coronam Regum emanaſſe: apud vos celebrata fuiſſe concilia ſub Legatorum Romanorum præſidio: atque ubi Epiſcopatus XII., qui hodieque exſtant, Græco ritu ſunt erecti, fundatique; majores veſtros Suffragium Romanorum, & directionem Sedis Apoſtolicæ imploraſſe, indeque mandata præſtolatos eſſe. Reges ipſos, & tunc, & poſtea Romanum Epiſcopum Petri Succeſſorem, ſummum Eccleſiæ univerſæ Paſtorem, ac Chriſti Vicarium agnouiſſe teſtatosque fuiſſe: a quo recto tramite, ſi quando eorum aliquis deuiauit, ſcimus etiam ad fidem, & obſequium rediſſe. Denique, quod rei caput eſt, Sanctos quoscunque aris intuliſtis, quorum vel tenuis in hiſtoriis memoria proſtat, cum Roma fide, & obedientia conjunctos egiſſe. Demum, tam vetuſtis regni veſtri temporibus, quam & mediis, poſtremisque per Principes pios ditiones, regnaque Serviæ, ac Raſciæ nec ſemel in Divi Petri, Sedis Apoſtolicæ, ac Pontificum tutelam commendata, atque ab eisdem ſuſcepta, defenſa, protectaque exſtitiſſe.

Ut adeo Eccleſiam Serblicam non tam Schismatis malo, quam fama laboraſſe identidem perſuaſum mihi habeam. Quam quidem famam ſeu ex nimia tenacitate jurium, conſuetudinum, & privilegiorum veſtrorum, aut qualicunque præjudicio,

vel ſuſpicione exortam, cum alii ventilarent invidioſius, veſtrum autem nemo dilueret, Roma ipſa nonnunquam in eam mentem adducta eſt, ut tales vos crederet, quales fama circumferebat: atque idcirco crebrius a Regibus veſtris confeſſionem fidei expeteret, aut Reges ipſi ultro eam Sedi Apoſtolicæ offerrent.

In hoc autem tali argumento cum verſarer, malui dialogo, quam alio ſcribendi genere uti: tum, quod hiſtoria veſtra Eccleſiaſtica, & profana, ſeu vetuſtate ſua, ſeu Scriptorum infrequentia obſcuris multis ſcateat; nec plana., ſed prorſus implexa, variisque nodis convoluta ſit: implexis autem, obſcurisque hujus generis argumentis, hæc ſcribendi ratio melius conveniat, ſitque propterea accommodatior, quod in ea, & liberior objiciendi, & objecta diſſolvendi facultas, ac modus ſe aperit: tum, quod etiam methodus iſta dialogica ad Orientalium populorum genium magis conformata ſit, minusque legentem fatiget: ſpesque propterea uberior adfulgeat fructus, quem propoſitum habeo, quemque a Diviniſſimo Spiritu vobis mihique precor, nec obventurum diffido, ſi puro, ac vacuo a præjudiciis animo ad legendum accedatis, & quo affectu in gentem veſtram, quæ & Majorum meorum olim fuit, hæc a me elucubrata ſunt, eodem prorſus animo, hoc eſt favente, & benevolo ſuſcipiatis.

Cui lucubrationi meæ, ſi quædam deſint, ut ſane deſunt non pauca, quæ rebus plus lucis, & firmamenti adferrent; ſupplebunt poſt liminio Vaticana archiva, & zelus Romanorum Pontificum, charitasque, qua illi gentem veſtram, ceu partum proprium, infelicitate temporum, ac locorum, quam malitia ab ovili ſuo abductam, complectuntur foventque, atque in ſinum paternum recipere geſtiunt.

(A) Epiſcopi Szvidnicenſis Reflexiones in Calendarium Servianum non Unitorum anno MDCCLXXI. typis Viennæ editum. Reſponſio Adami Franciſci Kollarii Cenſoris, & approbatoris Calendarii. Item epiſtola apologetica Metropolitæ Carlovicenſis. Ac denique laudati Szvidnicenſis Epiſcopi *Veritas declarata* ſuper Calendarium Serviorum.

(B) Sunt vero ii.

Septembris 24. Simon Rex Serviæ. Studenizæ in Servia quieſcens.

Octobris - 4. Stephanus Sſilianovich. Syrmii in Monaſt. Sſisatovaz.

9. Stephanus novus Deſpota Serviæ. Syrmi. in Krusedol.

28. Arſenius Thaumat. Archi - Epiſcopus Pechii in Servia.

30. Milutinus Rex Serviæ, qui erat Sophiæ.

Novembris - 11. M. Mart. Stephanus Dechanenſis Rex Serviæ. Dechani in Servia.

Decembris. - 2. Uroſius Rex Serviæ. Syrmii in Jaſak.

10. Joannes Deſpota Serviæ. Syrmii in Kruſedol.

Januarii. - 14. Saba I. Archi-Epiſcopus Pechii, qui erat Milesevi in Servia.

18. Maxim. novus Deſpota, & Archi-Epiſcopus Syrmii in Kruſedol.

Februarii - 13. Simon Rex Serviæ ſupra dictus.

Maji - - 26. M. Mart. Georgius novus.

Junii - - 15 Lazarus M. Princeps Serviæ. Syrmii in Verdnik.

Julii - - 30. Angelina Deſpina Serviæ. Syrmii in Kruſedol.

(C) Nam Serviani noſtrates Sacrificium Azymi venerantur, nec male de ſtatu animarum ſentiunt. Nec baptisma Latinorum aſpernantur cum Michaele Cerulario.

CONSPECTUS COLLOQUII I.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM AB EXORDIO SEU SÆCULO VII. AD DELMITANUM USQUE CONSILIUM.

I. Inquiritur in cauſam alienationis a Sede Romana. Cauſa non eſt dogmatum differentia, ſed præjudicia, & hiſtoriæ neglectus, ac ignoratio. Pagina 1.

II. Inquiritur in Serblorum originem. Et fabuloſa eorum initia refelluntur. Serblorum cum Venedis, Antis, Sclavis communis origo. Primæ ſedes ad Sarabum fluvium in Vindorum, Antorum, Slavorumque vicinia. Migratio, & ſecundæ ſedes ad Rha fluvium, & Mæotidem. Nomen vero a flumine Sarabo. Hunnorum ſedes, & ſucceſſio in terras Sclavorum, ſecunda, & tertia Serblorum migratio ſedesque. Pag. 3.

III. Primordia religionis chriſtianæ apud Serblos a Sede Romana. Et baptiſmus primus teſte Porphyrogenito Conſtantino. Porphyrogenitus de Abaris Dalmatiæ invaſoribus primum agit. Tum de Chrobatis, ac Serblis. Diocleates a Prævalitano ante Abares regno hiſtoriam inchoat. Quis, & cujus ævi Diocleates fuerit. Præſtanda ei fides cum judicio. Nec deeſt modus eum conciliandi cum veritate, & probatis hiſtoricis. Pag. 6.

IV. Prævalitani regni poſitio. Reges Prævalitani. Inquiritur in annum eggreſſus Oſtroili de ſeptemtrione. Farlati ſententia refellitur. Et noſtra conſtituitur. Annus eggreſſus Totilæ, & Oſtroili figitur. Eorum geſta. Regni Prævalitani initia ad annum 550. Finis ad annum 636. Error genealogicus Diocleatis. Pag. 9.

V. Iniqui quatuor Diocleatis reges, ſunt Porphyrogeniti Abares. Variæ Abarum irruptiones. Poſtremæ irruptionis Abaricæ in Dalmatiam cauſa, & occaſio fuit Dalmatarum in Abariam incurſio. Ubi tunc Abares, qua expeditione, & quo anno occu-

pati fuerint? Dalmatarum in Abarum in Dalmatiam expeditionis anni? Pag. 13.

VI. Adventus Chrobatorum, & belli Abarici annus primus. Abarum in Dalmatia regimen perbreve. Debellantur a Chrobatis poſt annos aliquot. Patria vetus Chrobatorum, & Principes. Finis belli Abarici anno 639. Pag. 15.

VII. Patria vetus Serblorum, & migratio in Orientem. Deſerunt Theſſaliam, & partem Dalmatiæ inſident. Deſcriptio regionum a Serblis inſeſſarum. Adventus ſub annum 637, vel ſequentem: & bellum in Abares. Serblorum primus Princeps Satimirus. Error genealogicus Diocleatis in Satimiro. Fuit advena ex Alba Serblia. Pag. 17.

VIII. Serblorum, & Chrobatorum baptiſmus Heraclio I. Imperatore, anno 640. affigitur. Refellitur ſententia baptiſmum differens. Confirmatur variis argumentis baptiſmus ad annum 640. Pag. 21.

IX. De baptiſmo Chrobatorum ſpeciatim *Porgæ* ſecundo Principe. Et Serblorum regnante Satimiro I. qui paulo ante Bulgarorum irruptionem obiit. Pactum Chrobatorum poſt baptiſmum. Oppoſitio dupplex contra baptiſmum anni 640. ſoluta. Cur ab Heraclio I. Sacerdotes Roma accerſiti ſint. Pag. 24.

X. Budimirus Serblorum ſecundus Princeps Sæculi VII. Error chronologicus Diocleatis in Satimiro, & Budimiro. Erroris ejus origo detecta. Diocleates ab erroribus repurgatur, & cum veritate conciliatur. Pag. 27.

XI. Deferendum eſt Concilio Delmitano ſub Budimiro celebrato. Quod Sæculo VII. vindicatur ad annum circiter 679. Error Catalogi Spalatenſis in duobus primis Chrobatiæ Principibus corrigitur. Opponuntur quædam Delmitano Concilio. Copulatio regnorum Serbliæ, & Chrobatiæ in Budimiro defenditur. Item provinciarum diviſio a Diocleate deſcripta. Et geographiæ Porphyrogeniti conciliatur. Chrobatiæ quoque in Albam, & Rubram diviſio defenditur. Atque ex ea ſcuti Chrobatiæ regni origo derivatur. Pag. 30.

XII. Synodus Delmitana in dies XII. producta. Ibi Epiſcopi, & Magiſtratus inſtituti. Budimirus coronatus. Sanctitas religionis chriſtianæ, & regni faſtigium apud Serblos a Sede Romana. Obitus Budimiri ad annum 680. ſuccedit Svetolicus. Pag. 34.

CONSPECTUS COLLOQUII II.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM A CONCILIO DELMITANO ULTRA MEDIUM SÆCULI IX. SEU INTERREGNUM CIASLAVI.

I. Series Principum Serbliæ ex Porphyrogenito. Item ex Diocleate. Chronologia eorundem ex Spalatenſium antiſtitum Catalogo. Pag. 35.

II. Narrata Diocleatis de regibus Serviæ, cum fide aliorum ſcriptorum conſentiunt. Series Principum Porphyrogeniti conciliatur cum ſerie Diocleatis. Boiſeſtlabus Porphyrogeniti eſt idem cum Pribiſtlavo Diocleatis. Porphyrogenitus Montanæ Serviæ Principes præcipue. Diocleates Reges Maritimæ perſequitur. Pag. 37.

III. Poſt Heraclium I. Status Serviæ regni liber ad medium IX. Sæculi ex Porphyrogenito. Ex aliis uberius explanatur. Eccleſiæ Serblicæ Status ad medium IX. Sæculi idem fere, qui ab exordio. Jura Patriarchica a Romanis Epiſcopis in Serbliam exercita. Pag. 39.

IV. Serblorum regiones non ad Conſtantinopoleos, ſed Romanum Patriarcham pertinent, cui Illyricum ſuberat. Dicœceſes Conſtantinopolitani ex Conciliorum canonibus. Explanantur provinciæ Barbaricæ. Item dicœceſeos Thraciæ. Urbes provinciarum Myſiæ ſecundæ, & Scythiæ Ponticæ. Pag. 41.

V. Illyricum primitus latiſſime verſus orientem patuit. A Conſtantino magno contractum ad provincias XVII. Diviſum in Orientale, & Occidentale. Utriusque ulterior diviſio in dicœceſes, & dicœceſeon in provincias. Dicœceſeos Dacicæ provinciæ, ejusque provinciarum urbes. Pag. 42.

VI. Diviſio Illyrici in Orientale, & Occidentale, nil Romani Patriarchæ juribus detraxit. Sed nec lex Theodoſii II. Quam Theodoſius retractavit. Vicariatus Apoſtolicus a Papa Damaſo Theſſalonicæ ſtetit ad Juſtinianum I. Pag. 43.

VII. Ab hoc patriæ ſuæ Juſtinianæ primæ invectus. Ejus Provinciæ. Prævalitanæ provinciæ urbes. Vicariatus Apoſtolicus Juſtinianæ primæ, Bulgarorum irruptione convulſus eſt. Et Dioclia ſui juris facta in Delmi Synodo, & Archi-Epiſcopatus Serviæ. Vicarii Apoſtolici Conſtantinopoli. Pag. 45.

VIII. Irruptio Bulgarorum paganorum, & hæreſis Iconomachorum, Illyricum præcluſit Patriarchis Romanis. Quod Hadrianus I. fruſtra repetiit. Uti, & Nicolaus I. Cauſæ ob quas Romano Patriarchæ Illyricum redditum non eſt. Pag. 47.

IX. Michael rex Bulgariæ Sacra Chriſtiana complexus, regnum ſuum Romano Patriarchæ ſubmittit. Mox tamen in dubium de diœceſi incidit, & Sententiam Patriarcharum exquirit. Quæſtio propoſita inter Vicarios Orientales, & Legatos Apoſtolicos diſceptatur. Bulgarica diœceſis per Vicarios Orientales Conſtantinopolitano adjudicatur. Fruſtra reclamantibus Legatis Apoſtolicis. Pag. 49.

X. Patriarchæ Romani jura in Serbliam quoque labefactavit irruptio Bulgarorum, & hæreſis Iconomachorum. Quorum pars baptiſmum Conſtantinopoli petit, & impetrat. Qui Serblorum baptizati fuerint Baſilio I. Imperatore a Conſtantinopolitanis. Anno 867. vel principio ſequentis Serblis per Conſtantinopolitanos Sacerdotes baptiſmus collatus eſt. Qui jus præſcriptionis prætendebant. Apoſtoli ſecundi baptiſmi apud Serblos Cyrillus, & Methodius. Baptiſmus celebratus eſt tempore interregni. Poſt ſecundum baptiſmum Blaſtimeres in regem eſt electus. Jure ſupremo penes Baſilium I. Imperatorem manente. Narentani baptiſmum expetunt, impetrantque a Baſilio I. Permoti ad Chriſti fidem a Methodio anno 872. Pag. 52.

XI. Defectionem Serblorum, Bulgarorum, ac Narentanorum, ſequuntur quoque Dalmatæ, ac Chrobati ſub Georgio Archi-Epiſcopo Spalati. Dalmatarum defectio continuat Marino Archi-Epiſcopo. Chrobati primi ad Romanum Patriarcham redeunt anno 879. Pag. 60.

XII. Joannis VIII. P. conatus pro recuperanda diœceſi Bulgarica. Qua ceſſit Baſilius I. anno 880. At Michael Bulgariæ rex non dum ad Romanum Patriarcham rediit. Licet capiti Eccleſiæ conſtanter conjunctus fuerit. Marino Pontifice, Romano Patriarchatui acceſſit. A quo Vicarium Apoſtolicum accepit, quem Bulgari Patriarcham appellarunt. Pag. 62.

XIII. Ortis etiam diſſidiis inter Baſilium, & Joannem VIII. Ceſſio Bulgaricæ diœceſeos a Baſilio revocata non eſt. Sed nec Serblia a Baſilio retenta eſt ſub jure Conſtantinopolitani. Indicatur quid Serblis ſvadeant S. Ignatius Serblorum baptizator. Cyrillus item & Methodius Apoſtoli: ac denique Majores ipſorum. Pag. 65.

CONSPECTUS COLLOQUII III.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM A SÆCULI IX. MEDIO AD XI. PRINCIPIUM SEU MAJUS INTERREGNUM.

I. Michaelis I. regis Bulgarorum reverentia ad Sedem Apoſtolicam. Anno 870. ſubmittit ſe Conſtantinopolitano Patriarchæ. Marino Pontifice redit ad Romanum Patriarchatum. A quo Reges coronas. Eccleſia Bulgarica Vicarios Apoſtolicos accipit. Series Regum Bulgariæ. Vide tabellam ad calcem. Quos coronas Roma accepiſſe teſtatur Calo-Joannes Bulg. Imperator. Teſtimonium Calo-Joannis vindicatur. Et Innocentii III. Papæ authoritate confirmatur. Pag. 67.

II. Vicariatus Apoſtolicus per Marinum in Bulgaria inſtauratur. Cum duabus Bulgariæ partibus Clementi defertur. Affigitur Sedi Achridanæ. Cui & tertia pars Bulgariæ adjungitur. Bulgariæ pars tertia indicatur. Michael Boryzes fundator Eccleſiæ Achridanæ. Quæ fuit una e ſeptem Catholicis, ſeu univerſalibus. Ejus autocephalia, & Patriarchatus, ſerius a Græcis agnitus. Clemens a nota ſchiſmatis defenditur. Pag. 72.

III. Series Archi-Epiſcoporum Bulgariæ ex authore Indicis. Criſis in authorem eundem. Sententiæ variorum de Bulgariæ Archi-Epiſcopis. Sententia noſtra. Simeonis Bulgariæ Imperatoris nexus cum Formoſo, & Joanne X. Pontificibus. Pag. 75.

IV. Serblorum reditus ad Romanum Patriarcham anno 880. Pars Serblorum Achridano Archi-Epiſcopo Vicario Apoſtolico. Pars Diocletano Metropolitæ paruit. Belli occaſio inter Serbios, & Bulgaros. Pag. 81.

V. Series Principum Montanæ Serbliæ, & bella cum Bulgaris. Serbli Bulgaris vectigales, continuatur Series Principum Montanæ Serbliæ; vide tabellam II. eorum. Bellum civile eorundem. Chronologia bellorum Serblicorum. Petrus occupat Paganiam. A Simeone Bulgariæ Imperatore intercipitur. Pauli, & ſucceſſorum defectiones, ac fata. Serblia Montana a Simeone evertitur. Everſa & Dioclia anno 926. Tzeheſtlavus Montanæ Serbliæ Principatum inſtaurat. Pag. 83.

VI. Diocleatis reges Serviæ poſt interregnum Ciaslavi: vide Tabellam II. regum Serbliæ. Errata Diocleatis indicantur. Blaſtimerus non recte prætermiſſus. Paulimiri genealogia reprobatur.

Et vera ex Porphyrogenito conſtituitur. Paulimirus Diocleatis eſt idem cum Porphyrogeniti Phalimere. Oppoſitio gemina diſſolvitur. Geſta Paulimiri. Tiſimirus poſthumus naſcitur. Obiit Paulimirus circa annum 903. Pag. 88.

VII. Turbatur Status Serviæ a morte Paulimiri. Proceres a Tiſimiro deficiunt. De Michaele Chulmiæ Duce, Serviæ interrege. Michael obiit circa annum 933. Pag. 92.

VIII. Tiſimirus regnum paternum recuperare aggreditur, & moritur 940. Prælimirus regnat ab anno 941. Anno 976. recuperat Raſſiam. Diocleates ab anachriſmo defenditur, Ejus præpoſteræ narrationes de nuptiis, & filiis Prelimiri. Prelimirus deceſſit 976. Poſtquam Sylveſter cum Tugimiro regnat. Pag. 94.

IX. Ex Diocleate regni Tugimiri epocha eſt annus 978. Ex qua corriguntur præpoſteræ narrationes de nuptiis Prelimiri. Eruiturque annus mortis Prelimiri, & belli civilis, & regni Sylveſtri. Diocleatis errores de Sylveſtri ætate ſimiliter corriguntur ex epocha Tugimiri ejus filii. Pag. 96.

X. Sylveſtri quatuor generationum gradus a Diocleate aſſerti defenduntur: vide Tabellam II. regum Serviæ. Res Tugimiri, & Hvalimiri: Petrislavi, & Vladimiri regum. Vladimirus perimitur anno MXV. Dragimirus Vladimiri patruus occiditur. Sequitur Serviæ interregnum majus. Dobroslaus poſthumus Dragimiri naſcitur anno MXVIII. Pag. 98.

XI. Raſſiæ Zupani ab interregno Ciaslavi regis: vide Tabulam I. Zupanorum. Sententia noſtra de ejusdem. Pag. 99.

XII. De Statu Eccleſiæ Serblicæ per hæc tempora ſub Blaſtimere, & Paulimiro Regibus, ac Michaele interrege. Ejus conſenſio cum Romana Eccleſia eruitur ex Statu Eccleſiæ Græcæ conſimili. Item ex Bulgaricæ. Et Diocleatis teſtimonio. Pag. 100.

XIII. Serbliæ principum unio cum Romana Eccleſia comprobatur exemplo Michaelis Serviæ Interregis. Sub quo Synodus Nationalis celebrata eſt anno 925. de uſu linguæ Sclavonicæ in Sacris. Legati Apoſtolici Joannis X. Papæ Joannes, & Leo Epiſcopi. Præfatio Synodi. Epiſtola Joannis X. Papæ ad Archi-Epiſcopum Spalatinum, & Suffraganeos. Ejusdem ad Principes, & Synodum. Regnis Sclavorum Chrobatiæ, Serbliæque fides Chriſti primitus inſtillata per Sedem Apoſtolicam. Ideo Sclavi filii ſpecialiſſimi Romanæ Eccleſiæ. Quos hortatur ad ſacra officia Latino ſermone peragenda. Decreta Synodi. Pag. 103.

XIV. Le-

XIV. Legationes mutuæ Simeonis Bulgariæ Imperatoris, & Joannis X. A reduce inde Legato Apoſtolico. Nonenſis Epiſcopi cauſa diremta. Pag. 107.

XV. Reges Serbliæ poſt Michaelem conjuncti Romanæ Eccleſiæ non minus quam Græci, ac Bulgari. Conjunctionem confirmat Serblorum rex Vladimirus a ſanctimonia, & miraculis clarus. Quem Servia omnis Græca, Latinaque Sæculo XI., & XII. venerata eſt. Pag. 108.

CONSPECTUS COLLOQUII IV.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM A PRINCIPIO SÆCULI IX. AD MEDIUM XII.

I. Bulgaria, Serbliaque etiam ſub Græcorum dominatu manſit pars Romanæ diœceſeos. Nec ſunt ſubjectæ Patriarchæ Conſtantinopolitano a Baſilio II. Pag. 110.

II. Inquiritur in Statum eorundem poſt motum Cerularii an. MLIII. ſuſcitatum. Cum Cerulario conſpiravit Leo Bulgariæ Archi-Epiſcopus. Capita eorum accuſationis contra Latinos. Leo IX. Papa eorum conatibus ſe opponit. Legatos Conſtantinopolim deſtinat. Qui objecta refutant. Cerularium, & Leonem excommunicant. Obſtinatio utriusque, & aucta accuſationis capita. Cerularius dejectus. Nec tamen ſucceſſores ad officium redeunt. Quos tamen a nota ſchiſmatis, ac hæreſeos excuſat Baſilius Theſſalonicenſis anno MCLL. Pag. 112.

III. Bulgaria placitis Græcorum infecta. Theophylactus Bulgariæ autocephaliam contra Conſtantinopolitanum tuetur. Senſus Bulgariæ Archi-Epiſcoporum de objectis Latinæ Eccleſiæ per Cerularium. Sciſſionem Eccleſiarum improbant. Nec hæreticis Latinos accenſent. In dogmate Proceſſionis cum Græcis hallucinantur. Bulgaria, & Serblia Bulgarica opinionibus Græcorum imbuta. Ab his Serblia, qua proprios principes habuit, immunis. Pag. 116.

IV. Poſt interregnum primus Rex Serbliæ Dobroslavus Catholicus obiit annno MLI. Michael Rex II. ab anno MLII. perinde Catholicus. Serblia quoque ſumma parte catholica. Breve Alexandri II. Papæ pro Antibarenſi Archi-Epiſcopatu. Ejus ſuffraganei catholici omnes cum Servienſi, & Boſnenſi Græcis. Sclavorum, Græcorum, Latinorum una Eccleſia. Feſta Pallii S. Georgius, SS. Sergius, & Bachus. Status Serviæ Eccleſiaſticæ ad Sæculum XI. idem fere, qui Sæculo VII. Res variæ Diocletanæ Eccleſiæ. Pag. 119.

V. Eversa Dioclia anno 926. Joannes Metropolita Ragusam transit, & Dioclienſis Metropolitæ titulum retinet. Ejus ſucceſſores, a ſuffraganeis non agnoſcuntur pro Archi-Epiſcopo. Metropolis Dioclienſis vacat. A Bulgaris Achridano Archi-Epiſcopo ſubjecta Dioclia ante interregnum. Per Dobroslavum inſtaurato Serviæ regno Dioclia a Benedicto IX. Antibari conjungitur: Dobroslai regis aſſenſu, & ad normam primæ inſtitutionis. Antibarenſis reprehenſio ob Eccleſias dimiſſas Raguſæo. Pag. 123.

VI. Lis Raguſæo mota per Spalatenſem Archi-Epiſcopum apud Gregorium VII. Michael Rex Serblorum patrocinatur Raguſæo apud Papam. Et una vexillo inſigniri petit. Reſponſoria Gregorii VII. ad Michaelem regem. Lis a Gregorio VII. terminata. Pallio donatus Raguſæus. Pag. 126.

VII. Vexillorum Eccleſiæ Romanæ varia forma, & origo. Demetrii regis Chrobatorum exemplo Michael Rex vexillum expetiit; nec aliud. Quod etiam impetravit. Michael rex cum filio Bodino regnat ab anno MLXXXI. ad LXXXV. Bodini regis geſta. Bodinus rex ſub vexillo Romanæ Eccleſiæ occupat Dyrrachium. Rex Michael defenſor Romanæ Eccleſiæ. Bodinus quoque cliens ejusdem Eccleſiæ. Sepultus in Eccleſia Sanctorum Sergii, & Bachi anno MC. Pag. 128.

VIII. Vide Tabulam III. regum Serviæ Sæculi XII. Rex Dobroslaus II. poſt Bodinum. Rex Vladimir. Rex Georgius. Rex Grubeſa. Rex Georgius iterum. Rex Dragina junior. Sepultus in æde SS. Sergii, & Bachi. Rex Radoslaus poſtremus ex veteri ſtirpe regum. Deponit regis nomen anno MCLXI. Pag. 133.

IX. Raſſiæ Zupani ab interregno ad Stephanum Nemanem I. Pag. 136.

X. De religione regum Serviæ poſt Bodinum. Ex loco ſepulturæ Catholicis accenſentur. Anacephaleoſis præcedentium Colloquirum. Pag. 137.

CONSPECTUS COLLOQUII V.

DE

STATU REGNI ET RELIGIONIS SERBLORUM SUB STIRPE ZUPANORUM, ET REGUM EX DOMO NEMANIA A MEDIO SÆCULI XII. AD INITIA XIII.

I. Inquiritur in Nemaniorum originem. Eorum genealogia ex domeſticis manuſcriptis. Plenior ex aliis ſcriptoribus. Series eorum chrono-

chronologice deducta a Bela Uros Raſſiæ Zupano. Vide Tabulam II. Zupanorum. Continuatio eorundem. Pag. 139.

II. Principes e ſtirpe veteri Radoslaus, & Vladimirus provehuntur. Geſta Stephani Nemanis I., & fratrum in eosdem. Pag. 142.

III. Stephanus Neman ſit Archi-Zupanus. Ejus bella cum Græcis. Præſtat homagium Manueli Imperatori. Bellat in Raguſæos. Et Epiſcopos ſuffraganeos Antibarenſi vindicat. Complura occupat poſt fata Manuelis. Fridericum Imperatorem occidentis Niſſæ excipit. Scriptorum de eo narrationes. Fridericus oblatum a Nemane homagium recuſat. Pag. 143.

IV. Quid ſcriptores domeſtici de Stephano Nemane I. referant. Sententia noſtra de eodem. Error domeſticorum in Nemanis I. liberis. Confundunt Nemanem I. cum II. Veri ejus liberi. Corrigitur error MS. domeſticorum ex coævis. Moritur Neman I. anno MCXCI. Et Tihomil filius poſt eum anno MCXCI. Pag. 147.

V. Succedit frater Neman II. dictus Stephanus Simeon. Simeonis geſta. Aſſummit Regis nomen. Et filio Stephano deſpondet Eudociam. Secedit in cœnobium exemplo Raſci filii an. MCXCV. Anni monachatus Simeonis ſanctimonia, & translatio. Obiit MCXCIX. Pag. 151.

VI. Filius Volcanus ſucceſſit in regno. Stephanus in Zupanatu. Volcani cum Stephano diſſidia. Volcanus obiit MCCXIX. Pag. 154.

VII. Geſta Stephani in Zupanatu, & regno. Stephanus coronatur anno MCCXX. Obiit MCCXXIV. Pag. 155.

VIII. Inquiritur religionem Archi-Zupanorum Nemaniorum. Non erant infeſti Latinis, nec ſacris eorum. Deſſæ propenſio in Sacra Latina. Pag. 156.

IX. De Stephani Nemanis I. baptiſmo in Raſſia. Raſſiæ Eccleſia reformavit in Nemane baptiſmum Patarenorum. Hiſtoria Sectæ Patarenorum. Dogmata eorundem. Ritus baptiſmi Patarenorum, quem Zentæ ſuſcepit Neman I. Pag. 157.

X. Serviæ Reges fine Sæculi XII. & initio XIII. Catholici. Serviæ rex primus Stephanus Simeon Catholicus. Volcanus rex ſecundus Catholicus. Et frater Stephanus Catholici. Anno MCXCVIII. nuncios Romam deſtinant. Et legatos ab Innocentio III. cum literis recipiunt. Epiſtola Innocentii ad ſuos Legatos. Ejusdem ad Volcanum regem. Item ad Stephanum

M. Zupanum, aliosque. Item ad Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates &c. Pag. 162.

XI. Legati benigne ſuſcepti. Volcani reſponſoria ad Innocentium poſt Synodum. Ejus Catholica confeſſio. Item Stephani Zupani reſponſoria poſt Synodum. Ejusque Catholica confeſſio. Pag. 166.

XII. Acta Legatorum Innocentii. Synodus Diocliæ celebrata. Canon VI. Synodi de Primatu Romano. Epiſcopi Synodi, inter quos & Serbienſis. Archi-Epiſcopi Diocliæ reſponſum poſt Synodum. Cur complures Serviæ Epiſcopi a Synodo abfuerint? Cur Raſſiæ Archi-Epiſcopus SS. Petri, & Pauli a Paulimiro fundatus pariter abfuerit? Cur nihil in Patarenos, & Græcorum errores actum? Acta poſt Synodum in Svaecienſem Epiſcopum. De eo Innocentii ſententia. Pium Volcani ſtudium adverſus Patarenos Boſnæ. Pag. 168.

XIII. Studium Innocentii in Volcani augmenta. Interturbant fratrum diſſidia. Par ſtudium in Stephanum turbat Emericus Rex Hungariæ. Cauſæ diſſidiorum inter fratres. Servia Hungariæ ſubmiſſa a Volcano. Progreſſus belli inteſtini, & finis. Volcanus ab Emerico regno reſtituitur. Stephanus expellitur. Emericus Rex, & Stephani, & Volcani coronationem impedit. Pag. 172.

XIV. Stephanus a Bulgaris in Zupanatum reſtituitur. Conſtantinopolitani Patriarchæ jus in Serviam arrogant. Obſtat Innocentius III. Pax anno MCCIII. inter fratres coaluit, & firma perſtitit. Pag. 174.

XV. Ab Honorio III. coronam regiam obtinet Stephanus. Inquiritur, & deciditur, per quem coronatus ſit Rex Stephanus. Stephani poſt coronationem legatio, & literæ ad Honorium. Cujus directionem, & mandata præſtolatur. Pag. 176.

XVI. Inquiritur in Sabæ I. Archi-Epiſcopi religionem. Quid Aſſemanus de Sabæ provectione? Quid hiſtoria MS. Serbliæ de eodem? MS. Serviæ hiſtoria Aſſemano conſentire videtur circa Sabæ provectionem. Saba provehitur ad Pechienſem Archi-Epiſcopatum per fratres principes, clerum, & populum anno MCCXVIII. Confirmat id Doſitheus. Quo teſte ab Arſenio Hieroſolymitano ordinatur anno MCCXVIII. Pag. 178.

XVII. Geſta Sabæ I. in Archi-Epiſcopatu. Error Menæorum in annum obitus Sabæ irrepſit. De anno obitus Sabæ Aſſemani, & Biographi Joannis Tomco ſententia, a quibus diſcordat MS. Servicum. Annus obitus Sabæ I. incertus. Sabas I. Pechii Archi-

chi-Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ vindicatur. Arſenius quoque Pechii II. Archi-Epiſcopus Catholicis aſſeritur. Epiſcopatus XII. a Saba I. fundati ex MS. Servico. Iidem ex Doſitheo. Pag. 182.

XVIII. Inquiritur in initia Patriarchatus Pechienſis. Chriſanthi, & Doſithei opinio. Quæ rejicitur. Le Quieni de re eadem ſenſus perinde rejicitur. Sententia noſtra de exordio Patriarchatus Pechiæ. Viguit uſus Patriarchæ tituli ad hanc ætatem. Pag. 185.

XIX. Conatus Patriarchæ Conſtantinopolitani adverſus eundem titulum. Ejus decretum, & diræ in eos, qui hoc titulo utuntur. Ignorantia Callinici detegitur. Innocentius VI. Pechienſem Archi-Epiſcopum Patriarcham appellavit. Concluſio. Pag. 188.

CONSPECTUS COLLOQUII VI.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM SUB REGIBUS RADOSLAVO, VLADISLAVO, ET STEPHANO UROSIO I. FILIIS STEPHANI PRIMO CORONATI.

I. Radoslavus, & Vladislavus reges. Orbini, & Du Fresnii errores. Numus Regum eorundem deſcribitur, & a Muratorio exponitur. Numorum Sclavonicorum varietas. Argumenta eorum, qui hos Regibus Hungariæ propugnant abjudicantur iisdem. Numi Sclavonici vindicantur principibus Serbliæ. Pag. 191.

II. Geſta, & regnum Radoslavi ab anno MCCXXIV. ad XXXV. quo throno dejectus eſt. Regnum, & geſta Vladislavi usque annum MCCXLIII. quo obiit. Eo Rege transferuntur reliquiæ S. Sabæ I. Mileſevum. Eædem a Turcis igne abſumtæ anno MDXCV. De religione Radoslavi, & Vladislavi Regum. Pag. 196.

III. Succedit Rex Stephanus Uroſius I. Quid de illo hiſtoria domeſtica? Quid alii Scriptores. Hoc rege S. Stephanus Proto-Martyr in regni patronum adſciſcitur. Numus Regis ejusdem. Quid Orbinus de rege eodem? Indicatur error Orbini. Ejusque obſcura explanantur. Quid Acropolita de rege eodem? Quid Pachymeres? Quid Gregoras? Quid Eccleſiæ hiſtoria? Pag. 197.

IV. Nicolai IV. Papæ epiſtolæ variæ ad Serviæ principes de anno MCCLXXXVIII. Ad Uroſium Milutinum filium Helenæ, & Stephani Uroſii I. Item ad Helenam matrem Stephani Dragutini, & Uroſii Milutini. Conſimilem ad patrem quoque datam

fuiſſe veriſimile eſt. Nicolai IV. ad Stephanum Uroſium I. quæ in clientelam Eccleſiæ recipitur anno MCCXCI. Altera ad eundem, qua expetiti cenſores fidei pro Boſna decernuntur. Pag. 203.

V. Dictæ epiſtolæ anni MCCXCI. non recte ad Stephanum Dragutinum transferuntur. Et vindicantur Stephano Uroſio I. patri. Qui veriſimilius Radoslavi, & Vladislavi Regum non uterinus frater fuit. Et Rex Serviæ, Eccleſiæ Romanæ devotiſſimus. Anno MCCXC. Boſnam occupat. Anno MCCXCI. a filio Stephano Dragutino throno dejectus: quo & obiit: ſepultus in Sopotah. Pag. 209.

VI. Helenæ Reginæ conatus pro Bulgarorum unione ex epiſtola Nicolai de anno MCCXCI. Ejusdem Zelus pro novo Epiſcopatu in urbe Albaniæ Sava. Qui conatus, ſtudia, zelusque Regi quoque Stephano Uroſio I. communes fuere. Pag. 211.

VII. Quid de Regina Helena MS. Servicum. Ejusque Sanctimonia? Quid Scriptores alii? Erat Sedi Apoſtolicæ devotiſſima. A Benedicto X. in protectionem Eccleſiæ ſuſcepta. Regnabat adhuc anno MCCCVIII. Pag. 214.

VIII. Exſtat ejus monumentum Crucis Dominicæ pars notabilis. Eadem deſcribitur. Ejusdem crucis inſcriptio refertur. Pretium eruitur. Helenæ Francicæ vindicatur. Utque in ſacra Auſtriæ cimelia devenerit, exponitur. Sanctitatem ejus declarat reliquiarum translatio. Quæ unionis Serblorum cum Latina Eccleſia teſtis eſt. Pag. 215.

CONSPECTUS COLLOQUII VII.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONI SERBLORUM REGIBUS STEPHANO DRAGUTINO, ET MILUTINO UROSIO II.

I. De Dragutino Stephano ejusque initiis. Quid de eo unum MS. Serblici exemplar? Quid alterum? Quid Scriptores alii? Quæ ex his veriora ſint? Fuit gener Stephani V. regis Hungariæ. Syrmium, & Machvam dotis nomine non obtinuit ante MCCLXXXVI. Patrem regno deturbavit anno MCCXCI. Sed non auxilio Ladislai Chuni Regis Hungariæ. Pag. 218.

II. Circa annum MCCXCV. fratri regnum ceſſit. Annos XXIII. rexit *Terram Stephani Regis* dictam. Adverſatus eſt fratris connubio cum Simonide. Filios habuit Vladislaum, & Conſtantinum ex Hungara conjuge. Pro quorum juribus expeditionem

Hunga-

Hungaricam ſuſcepit anno MCCCXII. Obiit anno MCCCXVII. ſuſcepto monachi habitu. Sepultus in Giurgievi Stupove. Poſt patrem dejectum acceſſiſſe Catholicis probatur argumentis aliquot. Pag. 223.

III. De Milutino Uroſio II. rege. Varium, & multiplex ejus connubium. Poſtremum cum Simonide anno MCCXCIX. Cui ſe Helena mater oppoſuit. Labes Milutini. Quid de Milutino hiſtoria domeſtica? Anni, & res geſtæ Milutini ex aliis. Obitus Milutini ad annum MCCCXXI. Sepultura, & Sanctimonia. Pag. 226.

IV. Inquiritur in ejus religionem. Anno MCCLXXXVIII. conjunctus Eccleſiæ non erat. Nicolai IV. pro eo ſtudia. Bonifacii VIII. ſolicitudo pro Serblia hoc rege. Item Benedicti X. Pag. 231.

V. Milutinus Uroſius II. Catholicæ religioni animum applicat, Benedicto X. anno MCCCIV. Clementi V. per legatos obedientiam defert. Vexillum, & alia expetit per literas. Ea legatio non recte ſugillatur velut ſimulata, aut metu extorta. Pag. 234.

VI. Legatio, & fœdus Uroſii cum Carolo Valeſio. Caroli legatio ad Milutinum Uroſium. Legatio, & reſponſoria Clementis ad Uroſium. Qui petierat recipi in filium, & gremium, ac protectionem Eccleſiæ. Imperata fidei confeſſio. Poſtulata ulteriora Clementis. Inſtructio legatorum. Et reſponſa ad alia Regis petita. Pag. 236.

VII. Legatio Caroli rata. Clementis irrita anno MCCCVIII. Inquiritur in cauſam fruſtratæ legationis Pontificiæ. Ea non recte repetitur a metu matris, fratrisque. Sed nec a depulſo belli periculo. Detegitur vera cauſa, ob quam ſolemnis unio non coaluit. Quo non obſtante Uroſius Catholicis adſcribendus eſt. Pag. 240.

VIII. Acta Gentilis legati in Serblos. Item Clementis tacito Serblorum nomine. Pag. 244.

IX. Albanitæ obrepunt Joanni XXII. Et prætextu religionis. Seditionem in Regem Uroſium moliuntur. Sævities Uroſio objecta. Defenditur ab hac nota. Acta Joannis XXII. in Uroſium. Albanos confirmat in fide ſpe auxiliorum. Et catholicorum principum fœdus in Uroſium procudit. Pag. 245.

X. Carolus Rex Hungariæ victor de Uroſio. Reſtituta pax inter Carolum, & Uroſium. Ex pactis pacis profitetur Fidem catholicam Uroſius. Uroſius Catholicus. Ex quo tempore? Pag. 248.

XI. Res cæteræ Urosii II. Obitus exeunte anno MCCCXXI. Et Sanctimonia Latinorum quoque testimonio firmata. Pag. 250.

CONSPECTUS COLLOQUII VIII.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM REGIBUS ULADISLAO, CONSTANTINO, ET STEPHANO CÆCO UROSIO III.

I. Milutini Urosii II. proles. Stephanus filius Nothus. Pag. 252.

II. Dragutini filii Uladislaus, & Constantinus. Nexus Uladislai cum Hungariæ regibus. Bellum in Hungaros pro Uladislao susceptum. Uladislaus in carcerem detruditur. Constantinus regno destinatur. Ibidem.

III. Uladislaus rex acclamatur post Milutinum. Bellum inter utrumque, & cædes Constantini. Pag. 253.

IV. Defectio Procerum ab Uladislao ad Stephanum Milutini filium. Uladislaus bello captus a Stephano. Pag. 254.

V. Exitus Uladislai, & religio verisimilius catholica. Constantinus Græci Ritus catholicus. Ibidem.

VI. De Rege Stephano Urosio III. Ejus prima conjuge, prolibus, & variis fatis. Ejus mater non erat Andreæ III. Hungariæ regis filia. Nec per Nicodemum rex inauguratus est. Pag. 255.

VII. Vera fuit ejus cæcitas, sed prodigio depulsa. Ejus pietas in S. Nicolaum Barensem. Altare Barense vindicatur Stephano regi. Pag. 256.

VIII. Expetit connubium Blanchæ Philippi Tarentini filiæ: & unionem cum Romana Ecclesia. Philippus agit per literas, & legatos cum Joanne XXII. Pontifice. Responsum Joannis XXII. Papæ ad principem Tarentinum. Ejusdem Papæ literæ, & legatio ad Stephanum Urosium regem. Propositum Urosii, & confessio catholica hinc elucet, Legatosque petitos esse. Pag. 257.

IX. Destinantur legati Pontificii. Præscripta fidei confessio. Consensus Pontificius in nuptias. Instructio legatorum. Præscripta juramenti formula. Quid ultra Prælatis impositum? Legitimatio Urosii legatis commissa. Pag. 259.

X. Indagatur in legationis ſucceſſum. Regnum univerſum acceſſiſſe non videtur. Et cur non? Regis, multorumque acceſſio videtur certa. Pag. 261.

XI. Argumentum validum pro Regis unione ſolenni. Ejusdem confirmatio. Senſus Latinorum de Stephani Uroſii Sanctimonia. Pag. 262.

XII. Geſta, & connubia ejusdem. Ejus æquitas, & pacis ſtudium. Bellum cum Andronico III., & Michaele Bulgaro per filium Stephanum geſtum. Cædes Michaelis, & fructus victoriæ. Pag. 264.

XIII. Stephanus filius a patre Zenta donatur. Seditio Procerum in regem Uroſium III. Cædes ſepultura, & miraculorum gloria aſſerta Uroſio. Uroſii proles. An etiam Martyribus adſcribendus? Pag. 267.

CONSPECTUS COLLOQUII IX.

DE STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM REGE, ET IMPERATORE STEPHANO.

I. Stephani Duſiani geſta ex MS. Servico. Eadem ex aliis ſcriptoribus. Cum bello captis provinciis hæreſes quoque Serviæ Imperio acceſſere. Bella Stephani varia, & præcipue Hungarica. Quarta expeditio Hungarica. Pag. 269.

II. Bellum Boſnenſe. Geſta varia. Obitus, ac ſepultura. Ejus pietas. Propenſio in Latinos, & ſacra eorum. Negotiatio Eccleſiarum unionis cum Clemente VI. per Scutarenſem Epiſcopum. Pag. 272.

III. Epiſtola Clementis ad Stephanum anno MCCCXLVII. Ejusdem ad alios Principes Serviæ. Reſpondiſſe Stephanum indubium eſt. Et ſtatum afflictum Eccleſiarum indicaſſe, nunciosque optaſſe. Clemens VI. legatos mittit in Serviam ad *coercendos Lolii Satores*. Pag. 275.

IV. Stephani legatio ad Innocentium VI. Legatio, & literæ Innocentii ad regem. Ex quibus elucent egregia regis geſta pro catholicis. Confeſſio catholica regis Stephani. Qui etiam petiit ab Eccleſia Dux ſacri belli in Turcos inſtitui. Laudes Regis. Commendat legatos Pontifex. Pag. 277.

V. Literæ Innocentii ad reginam, & Uroſium filium. Item ad Patriarcham Serviæ. Laus regis Stephani. Reprehenſio Patriar-

chæ. Ejusdem ad Archi-Episcopos, & Episcopos. Item ad alios Serviæ principes. Pag. 281.

VI. Instructio legatis data. Errores, & abusus recens invecti Serviæ, ab Innocentio attacti. Mandata, & privilegia legatis data. Pag. 284.

VII. Sensus Innocentii Papæ de Stephano optimus. Cavillationes Scriptorum Latinorum contra Stephanum. Pag. 286.

VIII. Acta Stephani contra Petrum nuncium Apostolicum. Ex his non recte fides regis in dubium vocatur. Defenditur fides regis catholica. Et scriptorum cavillationes refelluntur. Fides Stephani a simulatione defensa. Pag. 287.

IX. Mors Joannichi Patriarchæ, & Sabæ electio. Synodico, & Regio edicto Græci Episcopi Serblia pulsi anno MCCCLV. Latum propterea anathema Callisti Patriarchæ Constantinopolitani neglectum ab Imperatore, & Clero Serviæ. Pag. 289.

X. Conatus Petri Pactensis contra Regem Stephanum apud Hungaros, Pontificem, & Venetos. Pag. 290.

XI. Apparatus Ludovici regis Hungariæ pro bello in Rasciam. Ejus literæ Procuratoriæ anno MCCCLVI. amissæ. Ludovicus ab Innocentio Ecclesiæ signifer constituitur. Sunt hæ expressiones ex Ludovici epistola transumptæ contra Urosium. Sapiens Pontificis monitum Ludovico datum. Pag. 291.

XII. Ludovicus bellum in Venetos convertit, neglectis Rasciis. Stephanus Chrobatos oppugnat. Belgradum occupat. Movet in Thraciam, ac moritur. Pag. 295.

XIII. Divisio provinciarum a Stephano adornata ob juventutem Urosii filii. Bono quidem Consilio, at eventu pessimo. Pag. 296.

CONSPECTUS COLLOQUII X.

DE

STATU REGNI ET RELIGIONIS SERBLORUM, ET PER VICINAS PROVINCIAS IMPERATORE UROSIO IV. ET REGE VUKASINO AB ANNO MCCCLVI. AD LXXIII.

I. Urosii IV. Imperatoris vita ex MS. Servico. Mors, sepultura, & sanctitas ejus. Pag. 298.

II. Res Urosii ex Cantacuzeno usque ad annum MCCCLXII. Dissidia cum Simone patruo. Et Helenæ matris seceſſio. Factiones Procerum. Nicephorus Despota recipit, & amittit Thessaliam. Matthæi Cantacuzeni clades, & captivitas. Conatus Palæologi pro fœdere in Turcos apud Helenam. Pag. 299.

III. Narrationes aliorum de Imperio Urosii. Concordia restituta inter Helenam matrem, & Urosium. Helenæ, & Procerum fidelium consilia. Neglecta ab Urosio. Pag. 300.

IV. Mores, & rapinæ Procerum infidorum Vukasini, & Uglieſæ. Item Lazari Comitis. Nicolai Altomani. Et Balsarum aliorumque. Bellum Urosii in Vukasinum infelix, ejusque cædes. Pag. 302.

V. De Urosii nuptiis, annis imperii, obitu, ac sepultura Latinorum sensus. Sensus scriptorum domesticorum. Sententia nostra de rebus iisdem. Pag. 303.

VI. Inquiritur in religionem Urosii. Defenditur a nota schismatis, & catholicis adscribitur. Vadingi testimonium de Urosii professione catholica. Pag. 304.

VII. Bella Hungarica in Serblos anno MCCCLIX. Primum infelix, alterum felix. Cui occasionem præbuit Lazari cum Vukasino dissidium. Villani testimonium de eo. Villanus cum Vadingo conciliatur. Pag. 306.

VIII. Lazarus Comes catholicis asseritur. Procurante Innocentio VI., & Ludovico rege ejus, Urosii, & Palæologi unionem. Pag. 308.

IX. Succeſſorum Pontificum Romanorum pii conatus in Turcos, & promotionem unionis. Ludovici regis bellum in Bulgariam anno MCCCLXVIII. Et Bulgariæ status. Captum cum Strasimiro Vidinum. Religionis Catholicæ propagatio apud Bulgaros. Literæ Ministri Generalis Fratrum Minorum de conversionibus stupendis. Principum quoque, ac Sacerdotum. Conversiones per Bulgariam, Rasciam, & Bosnam. Ibidem.

X. Balsæ Zentæ principes ad gremium Ecclesiæ redeunt. Georgius Romanam Ecclesiam hæredem instituit. Asseritur Catholicis, & Altomanus Nicolaus. Pag. 312.

XI. Anno MCCCLXIX. Ladislaus Valachiæ princeps Vidinum Hungaris eripit. Martyrium Fratrum Minorum ibidem. Strasimirus Bulgariæ redditus anno MCCCLXXI. Strasimirus Catholicus. Item filia ejus, ac uxor. Joannes Palæologus fidem profitetur

fitetur Romæ anno MCCCLXIX. Et ejus exemplo Reges nonnulli, & principes. Conjectura noſtra de iisdem. Pag. 314.

XII. Clara Alexandri principis Valachiæ vidua catholica. Urbani V. literæ ad eam. Filiam unam Bulgariæ Imperatricem ad unionem reduxit. Monetur, ut & alteram Serviæ reginam Anchan reducat, Ancha uxor Uroſii cum Marito regnabat adhuc anno MCCCLXX. Pag. 316.

XIII. Invitatur & Ladislaus Valachiæ princeps ad unionem ab Urbano V. Quam, & amplexus videtur. Uti, & Lazko Moldaviæ princeps. Pag. 318.

XIV. Vukaſini Regis natales, ac geſta, ejusque fratrum. Bello capit Uroſium, & perimit anno MCCCLXXI exeunte. Ejusdem in Turcos bellum, victoria, clades, interitus, & ſepultura an. MCCCLXXII. Joannes Unclis fit Rex poſt Vukaſinum: & mox Monachus. Serblorum Procerum acceſſus ad Amuratem. Ejusque progreſſus. Pag. 319.

XV. Gregorii Papæ XI. conatus pro Serblia apud Ludovicum Hungariæ regem. Ludovicus bellum ſacrum in Turcos indici poſtulat. Decernitur a Gregorio Papa XI. Ludovicus nihil agit magno rei chriſtianæ detrimento. Pag. 321.

CONSPECTUS COLLOQUII XI.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM SUB DESPOTIS QUATUOR LAZARO I. STEPHANO, GEORGIO, ET LAZARO II. AB ANNO MCCCLXXIV. AD MCCCCLVIII.

I. Vukaſini filii a Lazaro, & Alcomano debellati. Diſſidia Lazari, & Altomani. Hujus perfidia, & everſio. Ditiones Altomani diviſæ inter Lazarum, & Boſnæ Banum. Pag. 324.

II. Res, & geſta Lazari ex Jolincio. Eadem ex ſcriptoribus aliis. Lazarus Amurati ſe ſubdit. At mox deficit. Argumenta quibus ad defectionem impulſus eſt. Lazari fœdus cum chriſtianis. Caſtrioti aſtus. Turcorum clades in Boſna. Pag. 326.

III. Expeditio Amuratis in Bulgariam, & Serviam. Pugna in campo Coſſovo. Cædes Amuratis, & Lazari. Cauſæ cladis Serblorum.

rum. Pugnatum eſt anno MCCCLXXXXIX. Amurates victus. Victor Bajazetes. Pag. 331.

IV. Religio Lazari. Ejus ſepultura, & Sanctitas. Pag. 333.

V. De Stephano Lazari ſucceſſore, ac filio. Res ejus ex MS. Servico usque ad cladem Bajazetis. Item ex aliis. Bella domeſtica Serblorum. Quibus finem imponit Bajazetes. Vukus Brankovichius moritur anno MCCCXCIX. Ibidem.

VI. Serbli auxiliantur Bajazeti contra Tamirchanum. Stephanus Deſpota Solimanum cladi ſubducit anno MCCCCII. coronatur ab Emanuele Imperatore in Deſpotam. Pag. 335.

VII. Solimanus favente Emanuele, & Deſpota ad Europæ Imperium provehitur. Moſes Solimano fratri opponitur. Hinc bellum Stephani cum Moſe, & Georgio Sororio. Pag. 336.

VIII. Moritur Miliza Stephani mater: & Gregorius Sororius. Bellum Stephani Deſpotæ cum fratribus. Deſerto Solimano, Moſi adhæret Stephanus. Sed mox, & hunc deſerit. Ibidem.

IX. Moſes varios principes Serviæ perimit. Solimanus occiditur. Georgius a Moſe deficit, & cum avunculo Stephano Deſpota in gratiam redit. Moſes Serbliam vaſtat, & Emanuelis imperium. Pag. 337.

X. Emanuel Mahometem in Moſen evocat. Chriſtiani auxiliares Stephani contra Moſen. Bella Mahometis in Moſen. Moſes victus perimitur. Mahometes I. adepto imperio pacem cum Chriſtianis ſancit. Pag. 338.

XI. Venetorum, & Stephani Deſpotæ bellum pro Zenta, & pax. Stephani ſeveritas in Srebernicenſes. Stephanus non obiit an. MCCCCXXI. Pag. 339.

XII. Mahometi ſuccedit Amurates II. Pacem cum Chriſtianis confirmat. Abrumpit cum Stephano Deſpota. Moritur Deſpota Stephanus anno MCCCCXXVII. Pag. 341.

XIII. Succedit Georgius Sororius. Turcæ Columbazium occupant. Georgius ab imputata venditione defenditur. Vera cauſa belli Turcici in Georgium detegitur. Ibidem.

XIV. Pace facta Amurates novum bellum molitur. Cauſa belli. Georgius Deſpota fit tributarius. Ejus filia Catharina nubit Ulrico Celejæ Comiti. Pag. 342.

XV. Inquiritur in annum, quo Serbli Belgradum Hungaris tradiderunt. Eruitur annus MCCCCXXI. Fallio Georgii Despotæ super bonis Hungaricis pro Belgrado acceptis. Hungari ab obsidio Columbazii anno MCCCCXXXV. rejecti. Pag. 344.

XVI. Novæ belli minæ ab Amurate. Georgius Despota nuptiis filiæ bellum avertit anno MCCCCXXXVI. Coronatur in Despotam. Pag. 347.

XVII. Amurates petit Semendriam a Georgio Socero. Georgius belli metu in Hungariam transit. Amurates Semendriam occupat anno MCCCCXXXVIII. excœcat filios Georgii Gregorium, & Stephanum. Idem anno MCCCCXXXIX. Belgradum irrito conatu oppugnat. Ibidem.

XVIII. Itineratio Georgii Despotæ, & reditus in Hungariam anno MCCCCXLI. ad Uladislaum I. regem. Bellum Sacrum Amurati infertur. Et Georgius pace facta restituitur provinciis anno MCCCCXLIII. Pag. 348.

XIX. Pax cum Amurate rupta, & clades Uladislai regis ad Varnam anno MCCCCXLIV. Despota a prælio abfuit: & Scanderbegum transitu prohibuit non sine gravi nota. Anno MCCCCXLVII. Lazarus a Georgio patre in consortium regiminis assummitur, fit Despota, & init connubium. Pag. 349.

XX. Georgii Despotæ dissidia cum Hunyade. Hunyadis bellum in Amuratem, & clades in Cossovo. Intercipitur, & dimittitur a Despota Hunyades. Hostilitas Hunyadis, & pax cum Despota. Amurates nihil molitur in Despotam ob dimissum Hunyadem. Moritur Amurates II. anno MCCCCL. vel sequentis principio. Pag. 350.

XXI. Succedit Mahometes II. Ficta ejus Clementia. Erat summus Christianorum hostis. Ad Constantinopoleos obsidionem omnia comparat. Examinantur Phranzis querelæ contra principes christianos. Et refelluntur. Vera causa ruinæ Constantinopoleos. Quæ denique capta est anno MCCCCLIII. Pietas Georgii Despotæ in Græcos captivos. Pag. 352.

XXII. Mahometes bellum molitur in Georgium Despotam anno MCCCCLIV. Belli causa. Despota transit in Hungariam. Mahometes Semendriam tentat conatu irrito. Complures Serviæ urbes

bes occupat Anno MCCCCLV. Anno MCCCCLVI. Belgrado per Hunyadem rejicitur. Anno eodem moritur Hunyades. Et paulo poſt B. Joannes Capiſtranus. Pag. 355.

XXIII. Georgii Deſpotæ diſſidia cum Michaele Szilágyio. Capitur Deſpotes, ac dimittitur. Origo diſſidiorum. Cædes Ulrici Celejæ Comitis anno MCCCCLVI. Mors Georgii Deſpotæ, ejusque conjugis anno MCCCCLVII. Orbini Sententia de Georgii teſtamento refellitur. Pag. 357.

XXIV. Lazarus Deſpota Patri ſuccedit. Ejus bellum, & pax cum Mahomete. Lazarus moritur anno MCCCCLVIII. nulla maſcula prole relicta. Lazaro Helena conjux ſuccedit. Turbatum ejus regimen bello Turcico. Cedit genero provinciam Stephano Boſnenſi. Hanc Mahometes anno MCCCCLIX. ſubigit. Pag. 358.

XXV. Pontificum Romanorum ſtudia pro Oriente, & Servia. Inquiritur in Eugenii Papæ IV. ſtudium pro Deſpota Georgio. Religio Georgii Deſpotæ a variis traducta, damnataque defenditur. A Sacris Romanis non abhorruit. Cum eodem Serbii Concilii Florentini Sanctionibus acceſſerunt. Eugenii Papæ ſtudia pro Deſpota, & Servia. Qui Georgium dilectum filium appellat. Pag. 360.

XXVI. Inquiritur, quis Deſpotarum Serviam Romanæ Eccleſiæ conſignaverit? Non ipſe Georgius, ſed Lazarus Deſpota Serviam tranſcripſit in clientelam Romanæ Eccleſiæ. Ex quo certa fit Lazari cum Romana Eccleſia conjunctio. Ejus tranſcriptio nullius juribus quæſitis derogabat. Imo ad tuenda eadem comparata erat. Legatus Apoſtolicus cum Hungaris bellum Turcis movet pro Servia. Pag. 365.

XXVII. Fata Helenæ Lazari viduæ poſt exceſſum e Serblia. De Gregorio Cœco Lazari fratre, ejusque filiis. De Mara ſorore Zariza Amuratis vidua. Item de Catharina ſorore, Ulrici Celejenſis vidua. Et de Eliſabetha. Pag. 367.

XXVIII. De Stephano Cœco Lazari fratre, ejusque ſanctimonia. Stephanus aſſeritur catholicis cum uxore Angelina, & prolibus. Quorum dominium fuit in Syrmio. Filii Stephani Georgius, & Joannes. Georgius transfert dominium in Joannem. In cœnobio Maxim dictus. Ex monacho Archi-Epiſcopus. Fundat cœnobium Kruſedol in Syrmio. Obit anno MDXVI. Initia Kruſedolenſis Archi-Epiſcopatus Græci-Ritus in Syrmio. Pag. 370.

XXIX. Poſt obitum Joannis anno MDIII. Syrmii partes gubernat

Helena conjux. Syrmio exuitur a Solimano anno MDXXI. Joannes Boriſzlo Deſpota Raſſiæ anno MDIV. Conjecturæ de eodem. Pag. 372.

CONSPECTUS COLLOQUII XII.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM PER BOSNAM, AC PRÆCIPUE SUB REGUM RASSIÆ, BOSNÆQUE AB ANNO MCCCLXXIV. AD MCCCCLXIII.

I. Topographia Boſnæ. Ejus Bani compendio collecti. Disquiritur quis Banus primum, & quo Rege in clientelam Hungariæ, conceſſerit. Noſtra Sententia exponitur. Boſnæ Bani poſt Culinum. Et varia regiminis forma, ac titulorum. Pag. 373.

II. Status religionis Boſnæ a principio catholicus. Borizio Bano Boſnam errores pervadunt. Boſnæ Epiſcopus varios ſucceſſive Metropolitas habuit. Pag. 376.

III. Borizius Catholicus obiit. Ætas Culini, geſta, & religio. Patarena hæreſis Culini ſerius detecta. Corruptela Danielis Boſnæ Epiſcopi. Et remedia malo adhibita. Joannis Apoſtolici legati geſta, & conſilia. Optat unum ſaltem, aut plures Latinos Epiſcopos induci. A quo Culinus, & Patareni reducti. Pag. 377.

IV Culini filius Boſnæ Dominus poſt patrem ab anno MCCVI. Ejus nomen, & gubernii ætas incerta. Religio Catholica. Patarenorum ſeditione Sedes Epiſcopalis everſa. Pag. 380.

V. Aconcius legatus Honorii III. Colomanum, & Hugrinum evocat auxilio in Patarenos. Dux Nicolaus opera PP. Prædicatorum converſus. Papa Patarenorum extinctus. Pag. 381.

VI. Zibisclavi Bani laudes, & geſta. Accipitur in protectionem Sedis Apoſtolicæ, Fundat Epiſcopatum cum Colomano Duce Sclavoniæ. B. Joannes primus Epiſcopus Boſnæ ex Ordine Prædicatorum Latinus. Variæ de Epiſcopatu Boſnenſi Sententiæ. Fuit erectus in Boſna. De ejus translatione in Diaco. Deſolatione ibidem. Et privilegiis Epiſcoporum, ac Capituli deſolati. Pag. 382.

VII. Tartarorum irruptio anno MCCXLI. Et obitus Colomani, ac Zibisclavi. Zelus Belæ IV., & Benedicti Colocenſis Archi-Epiſcopi. Eccleſia Boſnenſis Colocenſi Metropolitæ ſubmittitur. Pag. 386.

VIII.

VIII. De Ninoslavo; & Stephano Cotromano Banis. De Boſnæ Statu ſub Ducibus Regiæ Hungaricæ ſtirpis. Et Stephano Serviæ rege. De Paulo Bano Chrobatorum, & Boſnæ. De Mladino Bano. Pag. 387.

IX. De Stephano Bano. Ejus pietas, ac zelus. Ejus converſionis initia non recte ad Gerardum referuntur. Verior Orbini Sententia. Errores ejusdem Orbini. Geſta Stephani Bani. Ejus obitus MCCCLVII. Pag. 389.

X. De Tvartko Bano, & ejus geſtis. Fit Rex Raſſiæ, & Boſnæ anno MCCCLXXVI. Geſta Regis Tvartki I. De Dabiſia II. Rege Raſſiæ, & Boſnæ. Pag. 392.

XI. Inquiritur in religionem Tvartki I. regis. Et Catholicis aſſeritur. Dabiſiæ religio in obſcuro eſt. Pag. 394.

XII. De Tvartko II. rege cognomento Scuro, geſtisque ejus. Deficit a Sigismundo rege Hungariæ. Capitur ab eodem. Sequitur Sigismundum ad Conſtantienſe Concilium. Redit Boſnam, & profligat Oſtojam. Tres Boſnæ reges, & pacta eorum. Tvartkus II. rex obiit anno MCCCCXLIII. Pag. 396.

XIII. Inquiritur in Tvartki II. religionem. Et Catholicis aſſeritur. Thomas Pharenſis Epiſcopus Legatus Apoſtolicus apud Tvartkum II. Græci-Ritus Boſnenſium acceſſio ad fidem catholicam in Florentino Tvartko II. rege. Pag. 399.

XIV. Stephanus Thomas Rex Raſſiæ, & Boſnæ. Baptiſmo Ritu Romano initiatur. Eugenius IV. Papa offert regi inſignia, & plures Latinos Epiſcopos. Rex deprecatur utrumque. Suſpiciones de fide diluit. Ejus decretum in Comitiis generalibus. Prælati Græci-Ritus Thoma rege complures per regnum ejus Raſſiæ, Boſnæque. Affirmantur conjuncti fuiſſe Eccleſiæ Romanæ. Cur Epiſcopus Latinus a Comitiis abfuerit? Pag. 402.

XV. Novus Legatus Apoſtolicus per Boſnam Thoma diſcedente. Redit Thomas Pharenſis Epiſcopus Legatus Apoſtolicus. Pacem reducit inter Raguſæos, & Ducem Sancti Sabæ. Quem Catholicis adjungit. Pag. 406.

XVI. Calliſtus III. P. Thomam regem cum filio Stephano in protectionem ſuſcipit. Thomas rex obtinet vexillum S. Petri. Acta ejus in Patarenos. Convocat exercitum contra Turcos. Mittit Oratores Mantuam Pio II. Pontifice. Petit coronam, & Epiſcopos

pos Latinos complures. Obſtant Legati Hungariæ. Accuſationes adverſus Thomam regem porrectæ vocantur in examen. Pag. 407.

XVII. Rex Thomas, & Stephanus S. Sabæ Dux Catholici. Origo diſſidiorum inter utrumque. Cauſæ examen ſuſceptum a Legato Apoſtolico: nec terminatum. Suſpiciones Mathiæ Hungariæ regis de Thoma rege. Cædes Thomæ Boſnæ regis. Pag. 411.

XVIII. Paricida Stephanus in regnum ſuccedit. Catharina Thomæ conjux Boſnam deſerit. Stephani regis geſta. Legatus Apoſtolicus Nicolaus Epiſcopus Modruſenſis in Boſna. Rex, & regnum Boſnæ evertitur a Mahomete II. De genere cædis, qua rex ſublatus eſt. Pag. 412.

XIX. Pars Boſnæ a rege Mathia recipitur. Ujlakius Nicolaus Regis Boſnæ titulo donatur a Mathia Hungariæ rege. Sepulchrale monumentum Nicolai Boſnæ regis. Et filii Laurentii ab Ujlak exponitur. Pag. 414.

XX. Natales, religio, virtutes, ac geſta Nicolai regis. Fuit Dux ſacræ militiæ poſt Joannem Hunyadem. Renunciatus rex, Vratislaviæ anno MCCCCLXXIV. Ætas, & mortis annus incertus. Pag. 416.

XXI. De Catharina Boſnæ regina. Moritur Romæ. Ejus epitaphium. Verus mortis annus MCCCCLXXVIII. Ejus teſtamentum, & fidei commiſſum. Pia donatio effectu caruit. Du Freſne emendatus. Habuit enim Sigismundum, & Catharinam proles Chriſti deſertores. Anacephaleoſis. Pag. 418.

CONSPECTUS COLLOQUII XIII.

DE

STATU ECCLESIÆ GRÆCO-SERVIANÆ PER OMNE REGNI SERBLICI TEMPUS.

I. Obmovetur dubium ſpeciatim de Antiſtitum, & Cleri Græco-Serviani fide, ac conſenſione cum Romana Eccleſia: ex defectu communicatoriarum. Pag. 423.

II. Quo non obſtante iidem Eccleſiæ Catholicæ vindicantur ſub prima Regum ſtirpe. Ibidem.

III. Nec interceſſit mutatio, ritu Græcanico Sæculo IX. per Serbliam adaucto. Pag. 424.

IV. Et perſtitit primæva Antiſtitum, & Cleri Græcanici fides, ac communio per Sæculum quoque X. ac XI. Pag. 425.

V. Nec ſvadent, aut efficiunt oppoſitum Raſſiæ Græci-Ritus Archi-Epiſcopi IX. Sæculo fundati. Sed nec Serviæ Bulgaricæ Eccleſiæ, quas a Sæculo XI. Achridanorum Archi-Epiſcoporum labes inquinavit. Pag. 426.

VI. Eorundem Antiſtitum, ac Cleri religio catholica ſub altera etiam Regum ſerie Sæculo XII. XIII. pluribus argumentis oſtenditur. Pag. 427.

VII. Raſſiæ Archi-Epiſcopi abſentia a Synodo Diocletana, nihil ejus communioni adverſatur. Pag. 428.

VIII. Sub Saba I. Pechiæ Archi-Epiſcopo, & ſucceſſoribus ad Helenæ Reginæ exitum usque, ejusdem Cleri, & Antiſtitum orthodoxia perſtitit. Ibidem.

IX. Nec obeſt Clementis V. Papæ diverſus ſenſus, aut ſuſpicio de Antiſtitibus, ac Clero anni MCCCVIII. Nec omiſſa Pallii petitio. Pag. 430.

X. Sed neque officit interturbata ſolemnis unio ſub Milutino Uroſio II. Et filio ejus Uroſio III. Pag. 435.

XI. Etiam ſub Stephano Rege, ac Imperatore, fidei, ac Eccleſiarum conſenſio abrupta non eſt. Pag. 436.

XII. Eo imperante ſparguntur per Serviam a Cerularii aſſeclis novæ hæreſes. Conatus eorundem ad dividendam a Romana, Serviæ Eccleſiam. Pag. 437.

XIII. Serviæ Patriarcha ab Innocentio VI. arguitur ob neglectam petitionem Pallii. Pag. 438.

XIV. Decretum Imperatoris, & Servianæ Synodi in Cerularii aſſeclas Epiſcopos Græcanicos: eorumque exilium. Ibidem.

XV. Anathema Callifti Conſtantinopoleos Patriarchæ propter Cerularianos ejectos vibratum in Serviam, a Serviana Eccleſia negligitur, & tunc, & ſub Uroſii IV. imperio. Ibidem.

XVI. Ejus vinculi ſolutionem Lazarus Comes, ac Deſpota Conſtantinopoli quæſivit ſalva, & integra fide catholica. In qua, & ſucceſſores Deſpotæ cum Epiſcopis ad extremum usque, ac finem regni Serblici perſtiterunt. Pag. 439.

XVII. Nec niſi poſt diuturnam captivitatem Turcicam, abrupto cum Romanis commercio in paucos Achridanorum errores, quos hodieque fovent, declinarunt. Pag. 439.

COLLOQUIUM PRIMUM

DE STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM AB EXORDIO, SEU SÆCULO VII. AD DELMITANUM CONCILIUM.

BULGARUS. Mirabar ſæpe, nec diu aſſequi meditando potui, unde demum proveniat, quod nos Bulgari Serblianique a Latinis, a quibus interjecto ſolo mari Adriatico, non longe divellimur, animo nihilominus tantopere disjuncti ſumus. Inquiritur in cauſam alienationis a Sede Romana

SERBLIANUS. Opinor ego, quæ cauſæ Græcos, eædem & nos utrosque a Latinis disjungunt, dogmatum ſcilicet diſparitas.

BULG. Non eſt nobis cum Græcis hac parte cauſa una & communis. Græcos & Latinos commiſerunt hinc Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ambitio, & invaſio multiplex jurium Romanæ ſedis: levitas & corruptela imperantium, atque ad miſcendas res ſacerrimas prurigo, arrogataque in ipſa fidei arcana licentia, & qui inde emerſerunt errores plurimi, ac cumprimis Iconoclaſtarum hæreſis. Inde vero ſubducta Orienti Roma, & corona imperii in Francos translata. Scintillæ hæ erant, quæ denique magnum excitarunt incendium; quod demum adempta per Latinos ipſa Conſtantinopolis in immenſum auxit.

SERBL. At cum noſtri veſtrique Patriarchæ longe ab omni ambitione fuerint, nihil jurium Romanorum invaſerint: Reges ipſi a rebus Religionis ſancte ſibi temperaverint, in ſolo dogmatum diſſidio alienationis noſtræ cauſam invenio.

BULG. Nec dogmatata Latinorum ego accuſare auſim, nec in eorum qualecunque divortium cauſam noſtræ averſionis conferre, probe conſcius, poſt commotum etiam illud a Photio diſſidium fuiſſe apud nos, Græcosque viros, quorum ſicut ſanctitudo explorata, ita communio cum ſede Romana, obſervantiaque ad eandem eſt luculenta & indubia. Cauſa non eſt, dogmatum differentia

SERBL. Hos ego ex te audire percuperem. An vero tu mihi tales in medium proferes, quibus & dogmatum, quæ nos hodie committunt, diſcrimen probe cognitum fuerit, & nihilominus communi Græcæ, noſtratis, Romanæque Eccleſiæ Suffragio, Sanctorum albo ſunt adſcripti?

BULG. Ne te morer, do tibi ex horum numero Sanctum *Ignatium* Conſtantinopoleos Patriarcham, cujus certamina cum Photio Nicetas copioſe deſcripſit: Tum & *Sanct. Stephanum* ejusdem

throni poſt Photium ſecundo dejectum antiſtitem, Leonis ſapientis auguſti fratrem, Baſilii I. filium. Deinde, qui ſub eandem ætatem & ſanctitate & doctrina claruerunt, ac gentis noſtræ exſtiterunt Apoſtoli *Cyrillum* atque *Methodium*, quorum Sacris Codicibus hodieque utimur. Quis illis doctior, aut veræ ſinceræque religionis notitia inſtructior? Quis orthodoxorum dogmatum tenacior ſanctiorque? Omnes diſſidio Photiano coævi, omnes Sedi Romanæ devotiſſimi conjunctiſſimique. Non alio hic opus eſt, quam ut acta, vitas, Epiſtolasque eorum in manus ſumas, & veriſſima a me dici comperies. Verſabatur præ manibus omnium Photii encyclica (A) palam publiceque emiſſa, qua dogma proceſſionis Spiritus Sancti ex Filio, & vocis ejusdem ad Symbolum additionem, cunctaque fere, quæ hodiedum in Latinis carpimus, accuſabat, oppugnabatque: quæcunque tamen tunc Photius contorſit, atque in ſuæ ſeceſſionis argumentum aut velamen prætexuit, non turbarunt illorum cum Sede Apoſtolica concordiam: firmi immotique in communione fidei, charitatis ac obedientiæ ad extremum uſque halitum perſtiterunt.

SERBL. Fateor tibi, cum ſapientiſſimos quos commemorati Pontifices in medio Photiani diſſidii fervore omnium conſcios & nihilomnius Romanæ Sedi conjunctiſſimos ac una ſanctiſſimos conſidero, percellor & cado penitus animo, ſubitque juſta ſuſpicio, ne ſit quid aliud a fidei aut morum dogmatis quod nos commiſerit, & hodiedum a Roma divellit. Edic ergo obſecro, quid illud eſſe poſſit?

BULG. Non in Patriarchas, non in Reges noſtros, ut recte antea dixeras, ſed nec in dogmata alienationis noſtræ cauſam conferam: ſunt enim eadem, quæ Sanctorum Ignatii, Cyrilli & Methodii ævo obtinebant: & fortaſſe, ſi cavillationes abſint, & verbi ſenſuque veterum patrum ſincere loquamur, cærimoniis potius, vocibus rituque, quam religione, rebus, myſteriisque differimus. Unde ergo adeo averſus a Romanis nobis ſit animus? ſi pateris, quod res eſt, fidenter dicam. Præjudicia a teneris hauſta, & deplorandam, quæ apud nos eſt ignorationem primæ Serblorum ad Chriſtum converſionis, fideique noſtræ chriſtianæ initiorum, tum & neglectum patriæ domeſticæque hiſtoriæ accuſo. In hæc alienationis noſtræ originem confero, hunc fontem perennem mali reputo: video namque jam ita perſvaſum eſſe fere omnibus: nos inde a primis chriſtianitatis noſtræ temporibus, nihil commune cum Eccleſia Romana habuiſſe, ab ea perpetuo, ac maxime poſt Photium diviſos exſtitiſſe, nec coaluiſſe unquam.

Sed præjudicia & hiſtoriæ neglectus ac ignoratio.

SERBL.

(A) Encyclica Photii: *Humani generis*: de anno 866 edita apud Baronium. Item Nicolai I. Pont. Rom. *omnium nos:* Ind. I. ad an. 867.

SERBL. Atque ita ſane non illi ſolum, qui de vulgo apud nos ſunt, ſed & ego, qui ſacris præſum, nec peregrinus penitusque vacuus mihi videor, & ſenſi hactenus, & adhuc ſentio.

BULG. Erras igitur & tu cum vulgo. Atque, ut de rebus Bulgaricis non multa huc inferam, ſolaque, quæ Serbliæ regnum gentemque attinent perſequar; adii ex propoſito Scriptores vetuſtos, probos, minimeque ſuſpectos, & quæ illi de Serblorum in his, quas hodie colunt provinciis, Regni fideique initiis conſignarunt collegi; ac, ſi jubes, ſub oculos ponam. Hæc te erroris convincent.

Inquiritur in Serblorum originem.

SERBL. Ut amans meæ gentis ſum, ita opto de initiis ejus in his provinciis, quin de origine prima, ſedibusque antiquiſſimis, atque unde ipſum Serblorum ſeu Soraborum nomen emerſerit, certius aliquid, exploratiusque cognoſcere. Quæ enim manuſcriptum noſtrum, quod multorum manibus teritur, de his memoriæ prodidit, tam diſſona diſtortaque ſunt, ut ſola temporum ratione, ac linguarum diſcrimine inſpecto, facile ſe ipſa convellant.

BULG. Non tu ergo, ut veſter hiſtoricus, ex Vari & Liegæ conjugio filios quinque *Cala*, *Sera*, *Melfit*, *Viona*, & *Jarvan* natos adſtruis: neque ex *Cala Calabros*: ex *Sera Serblos*: ex *Melfit Melfitanos*: ex *Viona Venetos*: ex *Jarvano Arbanaſſos* ſeu Albanos deducis: nec ex *Varo*, *Varvaros* ſeu Avaros: nec ex matre *Liega Longobardos* appellatos defendis?

Et fabuloſa eorum initia refelluntur.

SERBL. Non ita deſipio, ut hæc commenta approbem, & gentes, quæ non moribus tantum, ſed ſermone, natali ſolo, & originibus ipſis diſſident, in unam ſtirpem colligam. *Calabri* & *Melfitani* magnæ Græciæ ab olim populi, Græcanicæ ſunt propaginis (A) *Longobardi* e Scandinavia ſerius egreſſi conjunctique Svevicis ejusdem nominis ab olim coloniis ad Germanos calculo omnium, ſuoque ſe referunt (B). *Veneti* veterum Venetorum, Latinorumque ſunt mixta progenies, quos motus, metusque Atilæ Hunnorum Regis in ſtagnorum receſſus, ac mox in unam collegit Rempublicam. *Abares* & *Serbli* Hunnorum, Sclavorumque ex ultima Aſia propago ſunt. *Arbanaſſi* ab his omnibus diverſi, aut veterum Epyrotarum reliquiæ fuerunt, aut ex Albania Aſiæ profecti per Gallias Italiamque divagati (C) in his demum oris conſederunt. Sed nec admitto *Belam Uros*, quod idem manuſcriptum noſtrum affirmat, ex Licinio & ſorore Conſtantini Magni

(A) Poliybus Diodorus. Siculus. Pompejus Trogus apud Juſtinum. (B) Tacitus. Strabo. Ptolomæus. Paulus Diaconus. (C) Procopius L. 1. de bello Goth. *Albanos* inter Gallos & Ligures medios exhibet: quos Laonicus Calchocondylas L. 1. ex Iapygia, in Epidamnum tranſiſſe memorat, atque hinc in Epyrum.

genitum in *Gothiam* profugiſſe, *Serviam* poſthac occupaſſe, inde a Bulgaris Imperatoribus expulſum, in Zachlumiam provinciam confugiſſe, filiam Franciæ Regis Annam connubio junxiſſe, ſuſcepiſſeque liberos *Tehomilum* & *Cſedomilum* atque ex Tehomilo Presbytero *Zavidam*, *Strazimirum*, & *Parvoslavum*, ac *Stephanum Nemanem* prognatos eſſe. Ut enim in hac inficeta narratione non deſint vera quædam, ipſa tamen temporum ratio refellit, ut *Belæ Uros* pater Licinius, & idem *Bela Uros* Stephani Nemaniæ avus fuerit: quis enim neſcit Licinium ad IV. Nemanem vero Stephanum ad XII. ſæculum pertinere? Næ, is mihi ſit Genealogus, qui ipſo ſeptem ſæculorum intervallo pronepotem a proavo disjungat. Huc facit, quod Licinio imperante, nec *Franciæ* Reges exiſterint; nec *Bulgarorum* aut *Serblorum* nomen in Romani imperii gremio notum auditumve fuerit. Profer igitur certiora, niſi & hæc vetuſtas obruit ſubduxitque.

Serblorum cum Venedis Antis, Slavinisque communis origo.

BULG. Etſi complura de vera Serblorum primaque origine mihi ſuppetant. Inſtituti tamen mei non eſt, ut te ad prima gentis Serblianæ incunabula, ſedesque ducam primævas. Illud exploratum eſt *Serblos* ad communem prorſus ſtipitem cum *Venedis*, *Antis*, *Slavinisque* ſtirpem ſuam referre, in eodem cum illis ſolo exortos; cum iisdem uno atque eodem ante Chriſti natales ævo emigraſſe, nomenque ſuum ac genus in alias atque alias Europæ oras progreſſu temporis invexiſſe.

SERBL. At ubi terrarum *Serblorum*, *Venedorum*, *Antarum* ac *Slavinorum* patria primigenia fuerit? Unde eorum pars una ad hoc quod hodie gerimus *Serblorum* & *Soraborum* nomen pervenerit? in quas denique regiones emigrarint, eſtne qui nobis detegat?

Primæ Sedes ad Sarabum Fl. in Vindorum, Antarum, Slavorumque vicinia.

BULG. Detexit id Ptolomæus (A) Sæculi XI Scriptor. Igitur hoc Authore, in Scythia intra Imaum montem, in India intra & extra Gangem flumen primordia gentis hujus conſtituo. Ibi enim ex Imai montis latere uno vicini Alanis *Suobeni* aut rectius *Slobeni*, ex adverſo autem auſtralique Imai latere Gangi ſe commiſcens fluvius *Sarabus* excurrit, a quo gens veſtra *Soraborum* ſeu *Serblorum* nomen traxit. Ibi inter Imaum & Gangem *Vindius* mons aſſurgit, ſedes prima *Vindorum* ſeu *Venedorum*. Nec longe abinde *Antina* civitas tellus primigenia *Antarum*: ex quibus Venedisque plurimi deinceps Slavorum rami prodiere in tribus ac varia nomina diſcreti diffuſique. Ibi denique & montes *Sem-Antini*.

SERBL. In terrarum Indicarum tractu montes quidem, civitates, ac fluvios gentibus noſtris cognomines: at gentes ipſas *Soraborum*, *Venedorum*, *Antarumque*, nec intra nec extra Gangem Ptolomæus recenſuit, ſed his longe alios, diverſique nominis ſubſtituit populos.

BULG.

(A) Ptolm. L. 6. 7. Tabula 7. 10. & 11.

BULG. Ita eſt, nam veſtri, relicto duntaxat nominum ſuorum in montibus, urbibus, fluviisque veſtigio, jam ante Chriſti natales avito ſolo exceſſerant: quippe quos Sæculi I. & II. Geographi tunc in Sarmatia, nobisque adeo viciniores exhibent (A). Ex quorum numero Ptolomæus (B) *Tenent*, inquit, *Sarmatiam maximæ gentes Venedæ per totum Venedicum ſinum, & ſub Venedis Galindæ, Sudini & STAVANI uſque ad Alaunos*: quos rectius *Slavanos* cum Hartenokio leges (C). *Serbos* autem vel *Serblos* Plinius (D) ad Stagna Mœotica: Ptolomæus autem (E) inter *Rha* fluvium, & cæraunios montes poſuit. Ex quibus ſane fluit, antiquius & ab imperio Romano remotius, *Serblorum* aut *Soraborum* nomen natum eſſe, quam ut a *Servitiis* Romanis Imperatoribus præſtitis, jure derivari poſſit: quæ tamen opinio apud Romanos ævo Conſtantini Porphyrogeniti (F) obtinuit; errore procul dubio ex vocum *Servus* & *Serblus* ſimilitudine, quodque inter metalliferos montes conſediſſent, exorto.

Migratio & ſecundæ ſedes ad Rha Fl. & Mæotidem nomen vero a flum. Sarabo.

SERBL. *Venedis*, *Serblis*, cæterisque Sclavorum populis, antiquiſſimo ſuo, primævoque ſolo excedentibus, qui tandem populi in relictas eorum ſedes ſucceſſere?

BULG. Hunnorum gens feraciſſima, quam vicinam & prope confinem Gangi flumini teſtantur Oroſius & Æthicus in deſcriptione montis Caucaſi (G) cum ajunt: *A fonte fluminis Gangis uſque ad fontes fluminis Ottorogoræ, qui ſunt a ſeptemtrione, ubi ſunt montani Paropamis adæ, mons Taurus. A fontibus Ottorogoræ ad civitatem Ottorogoram inter HUNNOS, SCYTHAS & GANDARIDAS mons Caucaſus.* Ex hac enim *Hunnorum* patria, ut vicini fuere *Gandari*, *Abari*, *Sabari*, *Ithaguri*, in vacuas *Venedorum*, *Soraborum*, *Antarum*, *Slavorumque* terras ſe infudere (H) *Cotriguris*, ſeu *Catiguris*, & *Utriguris*, ſeu *Ottorogoris* in avito ſolo remanentibus (I). Quos omnes populos, poſterioris ævi hiſtoriæ (K) genus verorum Hunnorum fuiſſe evolvunt. Habes ex his, quod optaſti, hoc eſt: & nominis *Serblici*, & gentis originem, primasque, ac ſecundas etiam ſedes. Sed hæc, quæ per excurſum, & carptim nunc attigi, alteri tempori uberius explananda reſerventur. Nunc, quod dudum antea parabam, explicabo: unde, quo ævo, quo Duce *Serbli* in has, quas hodie colunt, ditiones advenerint? quam late eas inſederint? & quod rei caput eſt, quando primum Evangelii lumen *Serblis* ſit obortum, quibus Doctoribus,

Hunnorum ſedes & ſucceſſio in terras Sclavorum

(A) Plinius L. 4. c. 13. Tacitus Germ. c. 46. (B) Ptolom. L. 3. c. 5. (C) Hartenok. in nova & veteri Pruſſia. (D) Plinius L. 6. c. 5. (E) Ptolom. L. 5. c. 9. (F) Conſtantin. Porphyr. L. de Adm. Imp. c. 32. Scriptor ſæculi X. (G) Oros. Lib. Hiſt. Æthicus in Coſmographia. (H) Ptolom. L. 7. c. 1. in India intra Gangem Tabula X. (I) Idem in regione extra Gangem, Serica, & Sinarum. (K) Marcellinus, Procopius, Agathias, Jornandes, Nicephorus pluresque alii ad ſæculum IV. & V.

Magiſtrisque uſi, cujus denique miniſterio ſacris baptismi undis luſtrati, Chriſtoque primum devincti ſint?

SERBL. Multa tu nimis ſpondes, vereor, ut hodie omnia evolvas, ordineque rerum naturali, ac minime perturbato.

Secunda & tertia Serblorum migratio, ſedesque

BULG. Poſtquam Plinius *Serblos* ad Mœotidem, Ptolomæus ad *Rha* ſeu Volgam flumen depoſuit, fors mihi non credes, fidicam, *Serblos* ex hodierna Germania adveniſſe: & inde a confluente Danubii, Savique aquarum, ad oras uſque maris Adriatici, primo fere ingreſſu dominatum ſuum protuliſſe. Ægrius adhuc fidem præſtabis, ſi primordia religionis chriſtianæ apud Serblos ad Romanam Sedem referam, & primos Roma Magiſtros fidei, morumque inſtitutores, cum miniſterio ſalutis accerſam.

SERBL. Quod primum ajebas, non moror magnopere, nam & ipſe legeram *Serblos*, quos Franci *Sorabos* recte appellarunt, ad *Albim Salamque* flumina effuſos late coluiſſe (A): in quas ditiones a Rha flumine progreſſi, & cum magna Venedorum gente conjuncti in deſertas fere *Vandalorum*, *Burgundionum*, *Svevorum*, *Rugiorum*, aliorumque Germaniæ populorum ſedes ſucceſſere, omnemque oram maris Balthici inde a Viſtula ad Albim complevere; ſeu Theodoſii II. ævo, ſeu ſæculo ſerius, quod nunc in examen non voco (B). At alterum, quod nempe primitias chriſtianorum ſacrorum gens *Serbliana* Romæ, ejusque Pontificio debeat, hoc vero apud me peregrinum, & prorſus paradoxum eſt. Nam ritus ipſe, quo in ſacris utimur, magiſterium omne, miniſteriumque ſalutis Conſtantinopoli potius ad nos profluxiſſe perſvadet; ita illi per omnia æqualis eſt.

III.

Primordia religionis chriſtianæ apud Serblos a Sede Romana.

BULG. Non eſt, cur te ad ritum Græcum Serblorum applices, atque ad hunc velut teſtem provoces. Ritus enim ſacrorum, quod ſciam, ut olim, in Serbliæ regno promiſcuus, hodieque, ac plane permixtus eſt. Sunt ab olim in præſens uſque tempus per Serbliam magno numero Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Cœnobia, Clerus, populusque ritus utriusque: & quamquam ſacrorum cærimonis magna pars ipſorum Latinis conſentiat, non ſunt tamen gens extranea, ſed conſanguinea, & unius prorſus tecum, qui Græco more operaris, originis. Et ætas illa, qua idolis damnatis Chriſti fidem Serblia primum complexa eſt, tantum myſterium in ritus diſcrimine non poſuit, quantum nunc nobis fingimus. Fuit præterea antiquis illis temporibus ea Romanorum Pontificum Majeſtas, Poteſtasque, ut uno perinde, atque altero ritu per Legatos, Vicariosque ſuos Chriſto populos initiarent, nullaque invidia, aut æmulatione Græciam, Macedoniam, Theſſaliamque cum omni Illyrico, jure etiam Patriarchico complecterentur.

SERBL.

(A) Helmodus Bos. Arnaldus Lubec. (B) Eckhardus in nova, & veteri Francia, Chron. Miſnenſe Petri Albini.

SERBL. Aquiesco interim nunc a te dictis: nam de ritu utroque, utque Græcus Serbliam subinde latius pervaserit, opportunius alias nobis sermo redibit. Nunc expedi, quo tu certo monumento doces, sacra christiana, ipsumque primum Serblorum baptismum Romanæ Sedi deberi?

BULG. Profero tibi ducem in hanc rem certissimum, adversus quem nec Græcus, utcunque Sedi Romanæ infensus, possit excipere. Quem enim appello, gente Græcus est, a monumentorum copia instructissimus, antiquitatis notitia præcellit, est authoritate summus, est Orientis ac Constantinopoleos Imperator, Leonis Sapientis Augusti filius, Basilii I. nepos, Constantinus Porphyrogenitus Imperator. Is ergo hoc decus, hunc honorem conversæ ad Christum gentis Serblianæ ad Heraclium I. Imperatorem sæculi VII. & ævi illius Romanum Pontificem; retulit; ac illius invitatu, ministerio vero Romani Antistitis sacra christiana Serblianis cum baptismo collata esse, extra dubium omne collocavit: verba ipsa accipe (A): *Ab Imperatore Heraclio petierunt, aliam sibi terram ad habitandum assignare vellet. Cumque ea, quæ nunc SERBLIA dicitur, & PAGANIA, & quæ ZACHLUMORUM terra vocatur, & TERBUNIA & CANALITARUM regio, quæ Imperatoris Romani ditiones erant; propter Abarum excursiones desertæ essent, expulsis inde Romanis, qui nunc Dalmatiam* (B), *atque Dyrrachium incolunt; regiones illas SERBIIS habitandas Imperator dedit: cui etiam subjecti erant; a quo etiam baptizati per Presbyteros ROMA accersitos, & pietatis opera edocti, antiqua fide accepta.* Atque hæc ille pro veri amore, quem Scriptor historiarum præferre debet; post annos octuaginta quinque ab inchoato per Photium Schismate (C), scripto ad nostram, & posterorum memoriam consignare anno 949. non dubitavit.

Et baptismus primus, teste Porphyrogenito Constantino.

SERBL. Quæ Constantinus Porphyrogenitus, de primordiis fidei christianæ, & baptismo *Serblorum* ad Heraclium I. & Romanum ejus ævi Episcopum retulit, adeo luculenta sunt, ut nulla tergiversatione eludi possint. Hæc alte animo meo impressa diu insidebunt, ne dubita. At, quæ ille præterea de Serblorum in Orientem adventu, de regionibus per hos insessis commemoret, lubens, & arrectis auribus, animoque audiam.

BULG. Proghyrogenitus, in cujus tu fide acquiescis, rem omnem ab ovo aggressus (D), narrat primum, ut Abares Hunni

Porphyrogenitus de Abaris

(A) L. de Adm. Imp. c. 32. (B) Nempe maritimam. (C) Nam Photius Nicolaum I. Rom. Pontificem, Ecclesiamque Latinam ob dogmata, & disciplinam cavillari primum aggressus est anno 866. per emissam encyclicam *Humani generis*: & epistolam Michaelis III. & Basilii I. Augustorum nominibus signatam. (D) L. de Adm. Imp. c. 29. & c. 30. Quem per extensum a c. 29. ad 36. ad calcem refero.

Dalmatiæ invaſoribus primum agit: tum de Chrobatis, ac Serblis.

Danubium transgreſſi Heraclio I. imperante Dalmatiam, everſis Romanis Dalmatis, inſederunt. Dein ad Chrobatos Abarum expulſores tranſit; ac mox ad Serblos, quibus pars altera dimidia Dalmatiæ qua ortum ſpectat, ceſſit, ſermonem transfert. Diocleates ſuam Serblorum hiſtoriam paulo altius exorſus, primum de *regno Prævalitano* differit, quod Gothi, Slavique in Dalmatia ante Abares fundarunt, obtinueruntque. An vero tibi vacabit hæc omnia audire ex ordine?

Diocleates a Prævalitano ante Abares regno hiſtoriam inchoat.

SERBL. Vacabit; audiam: & quemadmodum jam innui, arrectis auribus, animoque, nec ſine voluptate audiam.

BULG. Igitur a Diocleate, qui altius hiſtoriam orditur, ſtatumque Dalmatiæ ante Abarum ingreſſum exhibet, ducam initium. Eſt is Dalmatiæ Serblianæ Scriptor Domeſticus ſæculi XII. Eccleſiæ Diocletanæ Presbyter, qui hiſtoriam gentis ſuæ nativo primum ſermone concinnatam latinitate donavit, perduxitque ad annum MCLXI. In ea poſt Reges quinque Prævalitanos Gothorum Slavorumque, mox tyrannos quatuor, ſive, ut phraſi ejus utar, Reges iniquos, Anonymos, ac poſt hos tandem *Serblorum* Principum ſeriem nobis deſcripſit, & in multis Conſtantinum Porphyrogenitum ſupplevit.

Quis & cujus avi Diocleates fuerit?

SERBL. Sed quam multa Diocleates in Chronologiam, ipſamque Principum Genealogiam peccet; quoties, quæ ſunt longo temporum intervallo disjuncta, in unum conjungat; rerum, perſonarum, temporumque ordinem perturbet; & Reges fortaſſe cum Zupanis provinciarum confundat, permiſceatque, tu ipſe probe noſti. An vero hoc tali authore vel ſupplementi vice uti impune licebit?

Præſtanda ei fides cum judicio.

BUGL. Ne dubita, tuto, imo tutiſſime: quamquam enim acri cenſura, emendationeque in multis egeat, nec tamen propterea univerſe repudiandus, abjiciendusque eſt: cui anxiorum, & ſagaciſſimorum etiam Criticorum nemo hactenus fidem in totum abrogavit, ſi Aſſemanum excipias, qui paulo durius de Diocleatis hiſtoria, fideque & ſenſit, & ſcripſit (A). Igitur ſicut ad normam meliorum Scriptorum exigendum opinor, ubi ab his diſcedit, emendandumque ubi disjuncta conjungit, aut in temporum, vel Genealogiæ rationes peccat; ita caſtigatione adhibita, judicioque, ubi hos ſupplet, tuto adoptari poteſt.

Nec deeſt modus eum conciliandi cum veritate & probatis hiſtoricis.

SERBL. Si tu, ut videtur, Diocleatis hiſtoriam, rebus Serblianis, & veros Principes, & lucis aliquid adferre poſſe, nec penitus rejiciendam credis, quam cuperem, ut tandem unus aliquis onus caſtigationis, atque in ordinem redigendi Diocleatis in ſe ſuſcipiat,

(A) Joan. Simonius Aſſemanus T. 1. P. 2. c. 7. n. 27.

at, errores corrigat, confusa evolvat, impressisque annorum notis quoad licet, distinguat; & periti metallurgi instar aurum a scoria repurget.

BULG. Quod optas, tentarunt complures hactenus, Lucius, Du Fresnius, ac novissime Daniel Farlatus Illyrici sacri Scriptor præstantissimus: verum nec iste felici semper conatu. Neque tamen adeo operosum, id est, ut si mihi tempus vacet, detrectem id officii suscipere: nec hoc tantum, verum etiam seriem Serbliæ Regum a Diocleate concinnatam cum prodita a Porphyrogenito (A) Principum Serblianorum genealogia, & veritate ipsa utcunque conciliem. Sec isthoc, nec a me poscis modo: nec, si poscas, instututi præsentis est, ut agam continenti & non interrupta oratione. Errorem Diocleatis occasione oblata indicasse emendasseque, aut veram ei interpretationem dedisse sufficiet.

SERBL. Prævalitanum Gothorum Slavorumque in Dalmatia regnum, quod nemo Scriptorum ante ipsum, Diocleates primus detexit, asseruitque: nec tamen quis regni ejus situs positioque fuerit, si recte memini, exposuit.

IV. Regni Prævalitani positio.

BULG. Prævalis, a qua regnum nomen mutuatum est, pars erat Dalmatiæ ad meridiem ortumque extrema, quæ sub ætatem Magni Constantini nomen Civilis provinciæ adepta, tunc primum in Geographiam invecta est, & cum parte Macedoniæ salutaris unam ex quinque provinciis Diæceseos Daciæ conflavit, quam notitia dignitatum utriusque imperii Theodosii ævo Illyrico orientali adscripsit. Ea cum aliquando paulo longius excurrisset, ac Drilonem transgressa Lissum, & Dyrrachium complexa fuisset, (B) fines subinde contraxit, ab oriente Drilo flumine, a meridie sinu Illyrico, Barbana fluvio ab occasu, Scardo monte a septemtrione concluſa; nec urbes in mediteraneis præter Prævalim, Diocliam, & Scodram in ora maritima Buduam Olchiniumque numeravit. Ita cum anguſtissimis esset circumscripta finibus, & vix regni digna nomine, a Scriptorum cæteris neglecta videtur. Atque de hujus qualiscunque regni *Gothicis quinque Regibus* primum: tum de *anonymis quatuor tyrannis* agit Diocleates: ac mox ad *primum Serblorum Principem* delapsus, ita omnes serie continuata connexuit, velut, si de Prævalitanorum Regum progenie omnes exorti fuerint; imo & sic exortos tradit; in quo sane graviter halucinatus est.

SERBL. Prævalitani regni Fundatorem, Regesque, qui eum secuti sunt recense, & suis, qua licebit, temporibus innecte: atque, quod ad claritatem plurimum serviet, ipsum Diocleatis textum adjunge, notisque, si quæ suppetunt, illustra.

(A) L. de Adm. Imp. c. 32. (B) ex Notitiis Imperii, uti Colloquio sequenti dicetur.

BULG. Textum Diocleatis, quem deſideras, ad calcem refero (A) lege, & animum ad quæque adverte. Eo auctore, poſt eggreſſum Totile & Oſtroili Gothorum Fratrum e Septemtrione, & bellicas aliquot expeditiones; Totila in Italiam concedente, regnumque ibi adepto, *Oſtroilus* Prævalitanum regnum condidit. Hunc in ditione ſecutus eſt *Socladus*: Svelatum *Selimirus*: Selimirum *Vuladanus*: Vuladanum *Radimirus*, in quo ſtrips Oſtroili, & regnum Prævalitanum finem accepit; tyrannis Prævalim, omnemque Dalmatiam occupantibus.

Reges Prævalitani.

SERBL. Fundatore regni Prævalitani *Oſtroilo* fratre Totilæ conſtituto, quem jam annum eggreſſui eorum de Septemtrione, & quem Prævalitani regni initiis aſſignabis? Farlatus ex ætate Geraſii I. Papæ & Annaſtaſii Auguſti, præeunte utique Diocleate, & Principum eggreſſum, & Prævalitani regni exordium ad exitum quinti Sæculi defixit, hoc eſt inter annos 492 & 496, quibus imperium Anaſtaſii cum Pontificio Gelaſii I. concurrit (B).

Inquiritur in annum egreſſus Oſtroili de Septemtrione.

BULG. Secutus nimirum in eo eſt authorem catalogi Romani Salonitanorum Antiſtitum, atque ita una cum eo tam a Diocleatis mente, quam a vero annorum complurium intervallo aberravit, ſeque ipſum in difficultates haud leves induit. Gelaſii ac Anaſtaſii epocha verſatur inter annos 492 & 496. His vero eggreſſus & regni initiis poſitis conſequens plane eſt, Totilam, ſi vel novemdecim annorum juvenis Septemtrionem reliquit; provectum jam & ſexagenario majorem Italiæ coronam adeptum eſſe, quæ ipſi anno ſalutis DXLI delata eſt (C). Hoc vero Jornandis ac Procopii fidei adverſatur, qui juvenili florenteque ætate Italico regno admotum ſcribunt. In quos ſcriptores ne Farlatus impingeret, comminiſcendum fuit, non Totilam Oſtroili fratrem, ſed ejus filium communis cum patre nominis ad thronum Italiæ provectum eſſe; quod quidem & fictitium videtur, & Diocleati aperte repugnans.

Farlati Sententia refellitur.

SERBL. Age igitur, & tuam de eggreſſu Principum fratrum, regnique Prævalitani exordio deprome ſententiam, ſed cave ne a Diocleate deflectas.

BULG. Preſſe, & fide optima Diocleatis inſiſtam veſtigiis. Is vero in ipſo hiſtoriæ ſuæ limine duas præfixit epochas, diverſas ſane & plurium annorum intercapedine diſtantes ab invicem: quod quidem conſilio, nec ſine cauſa factum reor. *Prima epocha* illius eſt, Anaſtaſii imperium & Gelaſii I. Pontificium, quæ ab anno 492. ad 496. concurrunt.

Et noſtra conſtituitur.

Al.

(A) Diocleatis textum Vide ad finem. (B). Illyrici Sacri p. 141. (C) Nam ab anno 496. ad 541. intercipiuntur anni 45 quibus ſi addas annos 19. provenient anni 64.

Alteram epocham duxit ab ævo, quo Germanus Capuenſis & Sabinus Canuſinus Epiſcopi, ac Benedictus Abbas in monte Caſſino claruerunt. Divus autem Benedictus cum anno 520. novi ordinis fundamenta jeciſſet, paulo poſt annum 530. cum memoratis Epiſcopis maxime claruit. His vero duabus epochis, quæ triginta, & aliquot annorum ſpatium intercipiunt, tria plane Diocleates circumſcripſit, hoc eſt, imprimis *Genulati* Gothorum principis ac patris in ſeptemtrione imperium: dein *Bruſii* primogeniti in throno ſucceſſionem: ac tandem, quod ordine poſtremum fuit, migrationem *Totilæ & Oſtroili* fratrum Regis Bruſii, & filiorum Genulati jam fatis functi. Igitur intra epocharum iſtarum curriculum, ex mente authoris tria illa conſtitui debent: & initia imperii *Genulati*, ut ordine prima erant, ita cum annis communibus Gelaſio & Anaſtaſio, ſunt conjungenda: poſt cujus annorum complurium regimen, ſucceſſio *Bruſii* ſtatuenda venit: ac denique eggreſſus *Totilæ ac Oſtroili*, ut tempore poſtremus fuit, ita cum epocha poſteriore, ipſoque adeo anno 532. aut ſequente eſt copulandus (A).

Annus egreſſus Totilæ & Oſtroili ſi, gitur.

SERBL. Poſito vero hoc eggreſſus principio, an recte componuntur omnia, quæ Diocleates poſt eorum migrationem commemorat, hoc eſt ſubacta Panonia; victoria Dalmatica; Totilæ in Italiam profectio, & corona illic florente ætate adepta: ac denique poſt multa prælia conditum, demum ab Oſtroilo *Prævalitanum Gothorum Slavorumque regnum*?

BULG. Quæcunque Diocleates affirmavit, fluunt quam optime, nec diſſident ab iis, quæ præſtantiſſimi iſtorum temporum ſcriptores Procopius ac Jornandes de rebus Gothicis memoriæ prodiderunt. Nam cum a Theodorici Gothorum in Italia Regis deceſſu Longobardi Panoniam anno 526. occuparint, Oſtrogothis Pannoniæ dominio dejectis: Totila & Oſtroilus ex ulteriore ſeptemtrione appulſi, Longobardis domitis, Panoniam rurſus Gothico nomini poſt annum 532. aut 3. aſſerere cœperunt. Sed mox exciti novo bello, quod Juſtinianus Gothorum genti in Dalmatia anno 535. commoverat, deſerta Panonia illuc profecti, victoriam illam inſignem, quanquam cadmæam, cæſis Romanorum Ducibus Mauritio Mundoque retulerunt (B). Poſt quod tempus Totila cum parte copiarum in Italiam tranſiit, Traviſiique principatu donatus, florente, ut Procopius ait, ætate, anno Chriſti 541. regnum ipſum Italiæ iniit, finemque regno ſimul ac vitæ, uti D. Benedictus eidem prædixerat, anno 552. impoſuit.

Eorum geſta.

SERBL. At ubi interim, & qua fortuna egit Oſtroilus cum altera Gothorum parte, & quando tandem Prævalitani regni fundamenta jecit?

(A) Vide Tabulam *Regum Pævalitanorum* ex Diocleate contextam: a nobis chronologia donatam. (B) Procopius Cæſarienſis L. I. de bello Gothico.

BULG. Oſtroilus res Gothorum varia fortuna aliquamdiu in Dalmatia ſuſtentavit: quibus illic paucum poſt tempus profligatis ad Slavos trans Iſtrum colentes conceſſit, adhæſitque, donec a regnante fratre Totila excitus adjutuſque, Slavorum auxiliariis copiis accinctus Dalmatiam repetiit anno belli Gothici XIII Chriſti 547. Ac majoribus rurſum anno belli XV. copiis infuſis; ſequenti demum occupata Prævalitana provincia, *Gothorum* ibi *Slavorumque* regnum ſibi ac poſteris conſtituit anno 550. His enim regni ejus initiis in Oſtroilo conſtitutis, gravis illa oppoſitio, quæ ex ſilentio Jornandis, ac Procopii contra Prævalitanum regnum ducitur, ſolutionem faciliorem habet. Nam Jornandes ſub ipſum Prævalitani regni exordium, cum id nondum inclaruiſſet, anno ſcilicet 551 ſcribere deſiit. Procopius autem, qui Gothica ad ultimum belli annum, Chriſti 553 perduxit, etſi nec Oſtroili, nec regni Prævalitani ab eo conditi diſerte uspiam meminit, veſtigium tamen tenue regni ejus aliquatenus adumbravit, cum ad annum XIII & XV belli Gothici a Slavis ad Epidamnum uſque progreſſis capta caſtella & munitiones occupatas perhibet (A), & ad annum XVI has Slavorum in Dalmatiam irruptiones ex ſenſu judicioque plurium Totilæ adſcribit. Slavorum autem potius, quam Gothorum meminit, quod quanquam a Totila Gotho excita, & ſub Oſtroli Gothorumque ductu in eas Dalmatiæ oras incurriſſent, majore tamen numero exercitus ille e Slavis conflatus eſſet. Huc demum quoque facit, quod Prævalis per Slavos Gothoſque ſub annum 550 inſeſſa dynaſtiæ verius quam regni nomine digna fuerit, & ſubinde fiduciario potius, quam abſoluto jure, ſub clientela imperii Romani per Juſtinianum Auguſtum tenenda poſſidendaque Oſtroilo ad extremum conceſſa ſit: fatendum enim eſt exageratius & majore quam par erat verborum pompa quædam de Oſtroilo ſcripſiſſe Diocleatem (B). Certe ex ipſo titulo *Prævalitani*, quod regnum ejus gerebat, ex annorum paucitate quibus ſtetit, ex everſione ejuſdem tam facili ad annum 636. ut ſubinde dicturi ſumus, in confeſſo eſt, nec late diffuſum, nec viribus prævalidum fuiſſe, ſed paucarum tantum urbium circuitu concluſum, & ſub clientela imperii ſtetiſſe: ut adeo mirandum non ſit ſcriptorum ſive de Oſtrilo, ac ſucceſſoribus, ſive de regno ipſo Prævalitano ſilentium.

Regni Prævalitani initia ad annum 550

Finis ad annum 636.

SERBL. Si regnum Prævalitanum conditum anno 550. cum anno 636. deſiit, curriculum annorum LXXXV. quo ſubſtitit, facile ac percommode implent quinque Reges Prævalitani *Oſtroilus*, *Svelatus*, cui anni XII tribuuntur, *Selimirus*, qui anno XXI regiminis obiit; *Vuladamus*, qui anno 599. ſedit, ac denique *Radimirus* quintus ac ultimus, qui improlis anno 636 interiit: tyrannis Prævalim cum Dalmatia univerſa invadentibus, cunctaque ſub jugum mittentibus. Jam vero conſtitutis ex tua ſententia his initiis fineque Prævalitani regni; unde demum *iniquos*

(A) Idem (B) puta: exercitus e ſeptemtrione educti multitudinem ac robur: debellatam Panoniam: & quod Oſtroilo nemo reſiſtendo fuerit: quodque Dalmatiam univerſam obtinuerit.

quos illos *quatvor Reges anonymos*, quos catalogus ſpalatenſium Antiſtitum *tyrannos* vocat, adduces, quove eos nomine appellabis? Diocleates in codice Marulano ex *Radimiri propinquis* eosdem deduxit.

BULG. Eſt iſte Diocleatis error genealogicus nec primus nec ultimus: nam hallucinatione conſimili, *primum* pariter *Serblorum principem* ex ſtirpe tyrannorum derivavit. Sed errorem hunc utrumque refellit dedocetque Conſtantinus Porphyrogenitus, qui tyrannos illos anonymos, *Abares* fuiſſe aperit, atque ex regione Daciæ veteris ultra Iſtrum ſita ſub Heraclio I. in Dalmatiam infuſos univerſam provinciam evaſtaſſe evertiſſeque tradit (A): & Chrobatos Serblosque eorundem Abarum everſores perinde advenas fuiſſe oſtendit (B).

Error genealogicus Diocleatis.

V.

SERBL. Igitur quatuor illos poſt Radimirum Reges, quos Noſtri generali appellatione *iniquos*, *tyrannos* & *anonymos* dixere, Porphyrogenitus proprio, ac vero gentis nomine, *Abares* nuncupavit. An vero tunc primum Dalmatiæ ac Prævali, quæ Dalmatiæ provincia fuit, vim intulere Abares?

Iniquiquatuor Diocleatis Reges ſunt Porphyrogeniti Abares.

BULG. Imo vero poſtremum. Cum enim Juſtiniano I. innotuiſſent Romano imperio, graves quidem exſtitere & ipſi, & Juſtino, ac Tiberio Auguſtis: at Mauritio imperante frænis laxatis, quoties libuit, Mœſias, Thraciam, Theſſaliam, Macedoniam, Epyros, Dalmatiam incredibili licentia prædati, illatis cladibus innumeris peſſumdederunt. Anno XVIII Mauritii, *Vuladano* Prævali regnante, *Kris* Caganus cum maximis Abarum, ac Bulgarorum copiis Dalmatiam ingreſſus, urbibus XL everſis (C), triſtiſſima furoris ſui veſtigia reliquit; nec tamen ſedem, ut Diocleates putabat, fixit. Nec mitius actum eſt regnante Phoca. Heraclius autem I. cum nihilo æquiores experiretur Abares, & bellum in Perſas meditaretur, pactis pecuniis, datisque obſidibus pacem redimendam a barbaris putavit. Sed hæc maligne ſervata eſt: nam cum bellum Perſicum ferveret maxime, pacto adverſus Heraclium cum Perſis fœdere, urbem ipſam Regiam ſub annum 626 arcte obſederunt acerrimeque oppugnarunt (D). Nec tamen tunc adhuc ad retinendam Dalmatiam animum adjecerunt: quam paucis poſt annis, Heraclio eodem imperante, a Danubio ad mare Adriaticum, teſte Porphyrogenito, fixa ibi ſtatione, tyrannidi ſuæ ſubegerunt (E).

Variæ Abarum irruptiones.

SERBL. At, quid impulit Abares, ut in Dalmatiam tot cladibus fœdatam, exhauſtamque irrumperent rurſum, ſedemque tandem in ea figerent?

(A) Porphyrog. de Adm Imp. c. 31. (B) Idem ibidem. (C) Theoph. Simocata L. 7. c. 10. ad annum 18. Mauritii, & Cedrenus. (D) Nicephorus Patriarcha in Breviario. (E) Prophyr. L. de Adm. Imp. c. 29. & 30.

Poſtremæ irruptionis Abaricæ in Dalmatiam cauſa, & occaſio fuit Dalmatarum in Abariam incurſio.

BULG. Irruptionis poſtremæ cauſam, occaſionemque hanc recenſet Porphyrogenitus (A). *Romani Dalmatæ*, inquit, mille viri numero armis inſtructi equisque, ſub paſchæ tempus *Salonæ* ad Danubii cuſtodiam ire conſveverant, perfunctique annali obſequio pro more veteri redibant, mille aliis ad excubias eaſdem ſuccedentibus. Id cum in ſingulos annos uſuvenit, una vice tranſeundi Danubii cupiditas excubitores inceſſit: qui cum inermem duntaxat turbam nacti fuiſſent, Abaribus viris, alibi ſcilicet bellica expeditione diſtentis, captis multis, onuſti hominum pecudumque præda, nullo ſuo damno ad Stationem Danubianam, ac inde Salonam regreſſi ſunt. Abares, ubi a bellica expeditione domum rediere, lamentis, cladeque ſuorum permoti, toto animo vindictam ſpirabant: verum incerti, a quo hoſte laceſſiti fuiſſent, inſidias omni ex parte collocant, ſpe concepta, hoſtes eosdem prædæ ſtudio poſt liminio redituros. Nec fefellit ipſos opinio: nam, qui ſucceſſerant in Stationem *Romani Dalmatæ*, cum priorum exemplo Danubium trajiciunt, atque in prædas effunduntur, a diſpoſitis Abarum inſidiis circumventi, nullo evadente cæſi omnes, aut intercepti ſunt. Captivos cum in examen vocaſſent, de patria, ac more eorum commutandæ ad finium cuſtodiam militiæ penitius edocti, acceptam vindicaturi injuriam; equis, vexillis, flammulisque, ac toto veſtium apparatu, ſe *Romanos Dalmatas* ab excubiis reduces ſimulant; ac eo dolo *Cliſſam* occupant, *Solonam* intercipiunt, evertuntque, ſequente eos ad pedem, adjuvanteque vaſto Abarum exercitu, ac Dalmatiam omnem pervagati, depulſis in maritima, ac inſulas *Romanis Dalmatis*, montana, ac mediterranea inſident; illectique ſoli amœnitate, ſedes figunt. Quæ cuncta Porphyrogenitus præcitatis locis geminis late perſequitur.

SERBL. At, quis nobis aperiet, ubi gentium, ac tertarum, quove bello Abares diſtenti fuerint, quando Romani trajecto Danubio in vacuam viris Daciam ſemel ac iterum populandi ſtudio procurrerunt? quis annum ipſum evolvet, ſive belli illius Abarici, ſive poſtremæ in Dalmatiam irruptionis, ſilente utrumque Porphyrogenito.

Ubi tunc Abares, qua expeditione & quo anno occupati fuerint?

BULG. Quod Porphyrogenitus neglexit, ſupplemus ex Nicephoro Patriarcha (B), qui detexiſſe videtur, in quod bellum tunc Abares procul a patria, quave de cauſa abierint. Narrat is, *Cubratum Organæ* (C) Conſobrinum, *Hunnogunndurorum Dominum*, qui ad Mœotim late regnabat, ſub annum 634. contra Caganum Abarum rebellaſſe, & Abaricum populum, cujus partem regendam ab eo acceperat, contumelioſe habitum patriis ſedibus expuliſſe. In hunc ergo procul dubio, ita ipſa temporum, rerumque ratione ſvadente, Daciæ Abares cum *Or Cagano* verſus Mœotidem paludem, ac Tanaim flumen pro-

(A) Idem ibidem. (B) In Brev. ad annum 634. (C) Rectius leges *Orchani* ſeu Abarum Cagani *Or* dicti.

progreſſi, bellum anno 635. viribus maximis promoverunt. Sed victi profligatique, exeunte anno eodem cum expulſis Mœotide Abaribus in Daciam rediere. *Cubratus* autem victor, per Legatos Heraclio, & triumphum de Abaribus relatum nunciavit, & fœderibus cum Auguſto confirmatis, amplis excultus muneribus, imperii Patriciorum numero eſt adſcriptus. Ex quibus Nicephori innoteſcit, & locus, & annus, & cauſa belli ab Abaribus geſti, quando Romani Dalmatæ primum in vacuas eorum Daciæ terras irruperunt. Quare prima illa Dalmatarum in Daciam irruptio cum ratione, & conſentienter ad narrata Nicephori, ad annum 635. altera vero ad principium anni 636. referri poteſt. Abarum autem in Dalmatiam expeditio in eundem hunc annum quadrat quam optime. In cujus expeditionis Societatem cum Mœotici quoque Abares recens a Cubrato expulſi veniſſent, iidem cum patria extorres eſſent, facile animum ad novas in Dalmatia ſedes figendas adjecerunt, ſoli etiam amœnitate invitante. Quibus annis, cum imperiales exercitus bello Saracenico in Oriente diſtinerentur quam maxime, vacuam fere a Romano milite Dalmatiam, & Abares nullo prope negotio occuparunt, & cum invitos hos occupatores Imperator viribus domeſticis depellere haud poſſet, ſapienti ſane conſilio Chrobati, ſeu ultro, ac fortuna oblatis, ſeu accerſitis, depellendos commiſit, omneque in eos belli negotium tranſtulit (A).

Dalmatarum in Abariam & Abarum in Dalmatiam expeditionis anni

VI. Adventus Chrobatorum, & belli Abarici annus primus.

SERBL. Mirum mihi arridet hæc tua ſententia: nam, quæ deſunt Prophyrogenito, ex præſtantiſſimo, fidoque Scriptore Nicephoro ſupplet, & in quos hoſtes longius a Dacia abierint Abares, quando Dalmatæ regionem eorum prædati ſunt, elucidat, & occaſionem, cauſam, ac annum infeſtatæ, & inſeſſæ per Abares Dalmatiæ, everſæque Salonæ, ipſiusque Chrobatorum adventus, & rationem ob quam iſtorum opera Heraclius uti voluit, in luce ponit. Sit ergo annus 636. & invaſionis Abaricæ in Dalmatiam, & Salonæ everſæ, & belli Chrobatici in Abares primus: nam Porphyrogenitus quoque invaſionem Dalmatiæ per Abares, & Chrobatorum ad Heraclium adventum cum anno eodem copulavit cum in hæc verba ſcripſit (B): *Atque hi ipſi Chrobati ad Romanum Imperatorem Heraclium confugerunt, antequam Serbli confugiſſent ad eundem Imperatorem Heraclium; QUO TEMPORE Abares armis inde Romanos ejecerunt*, nempe e Dalmatia.

BULG. Id unum ad claritatem te volo admonitum ex Porphyrogenito (C): Abares in Dalmatiam ſub ipſum paſchæ tempus irrupiſſe: Chrobatos vero non niſi æſtate adulta ac in Autumnum præcipiti adveniſſe, belloque Abarico initium feciſſe.

(A) Porphyr. (B) L. de Adm. Imp. c. 31. (C) Ibidem c. 29. & 3.

SERBL. Id etiam recte, aptiſſimeque ; nam ſic menſium aliquot intervallum Abarum graſſationibus per Dalmatiam , & novarum coloniarum ex gente eadem immigrationi , & Imperatori ipſi has ſubſidiarias Chrobatorum copias adlegendi , aut etiam advocandi tempus conceditur.

BULG. Suprema hæc invaſio in Dalmatiam , qua & *Romanum* , & *Prævalitanum* ibi regnum ſubverſum eſt , ſicut ex animi ſententia ceſſit Abaris , ita nec magno cruore ſtetiſſe videtur , nullis tunc imperii exercitibus ſe opponentibus , & reſiſtendo imparibus Prævalitanorum , ac *Radomiri Reguli* viribus.

SERBL. Sed , quam tanta felicitate occuparunt Abares , longone poſtea tempore poſſederunt Dalmatiam ? Equidem , ſi Porphyrogeniti Abares , ipſi Diocleatis iniqui Reges , ſeu tyranni fuere , neceſſe eſt , ut numero quatuor fuerint , ac invicem ex ordine ſucceſſerint : nam utrumque Diocleates diſerte affirmat his verbis : *Defuncto Ratimiro & ejus progenie , regnaverunt poſt quatuor iniqui Reges , non in uno quidem tempore , ſed unus poſt alium temporibus ſuis.* Numerus autem, & ſucceſſio quatuor regnantium , tempus bene longum expoſcit :Quare Catalogus Spalatenſium recte videtur aſſignaſſe regimini illorum annorum complurium curſum.

BULG. Sit plane ita , quemadmodum Diocleates voluit , fuerint omnino quatuor , nec ſimul iidem diviſis Regionibus imperaverint , ſed unus poſt alium tyrannus tyrrannum exceperit imperio , eorum tamen poſſeſſio , nec pacata , nec longi temporis fuit , ſed pau-

Abarum in Dalmatia regimen perbreve.

cis definita annis; quod Diocleates ipſe (A) aperte inſinuavit dicens: *Omnes tamen quatuor , ut melioribus locum darent , ſatis celeri morte de medio ſublati ſunt.* Nec mirum , nam nondum confirmatis viribus continuo eos bellum Chrobatorum excepit ; ut enim Porphyrogenitus teſtatur (B) : *quo tempore* Abares Dalmatas ejecerunt , *eodem* Chrobati ad Heraclium confugerunt , Dalmatiamque impetrarunt ea lege , ſi modo animum inducerent Abares Imperii hoſtes , Dalmatiæque tyrannos debellare , & ipſi fidem , clientelamque Imperio Romano ſponderent, ac integram ſervarent. In quæ pacta cum Chrobati facile conſen-

Debellantur a Chrobatis poſt annos aliquot.

ſiſſent , armis continuo arreptis claſſicum cecinerunt , & bello *annos aliquot* geſto Abares devicerunt (C) : atque a Zentina fluvio Dalmatiam Occidenti obverſam ad Albunum urbem ſuo ſubegerunt Imperio , tenentque (D).

SERBL.

(A) Diocl. ex lectione Cod. Marulani. (B). De Adm. Imp. c. 31. (C) Ibidem c. 30. *belloque per ANNOS ALIQUOT GESTO vicerunt Chrobati.* (D) Ibidem c. 30.

SERBL. Unde vero, & quo Duce Chrobati advenerint? evocati, an alia cauſa impulſi avitum ſolum reliquerint, narratne Porphyrogenitus?

Patria vetus Chrobatorum & Principes.

BULG. Ultra *Bagibarias* (A) Chrobatos Francorum imperio obnoxios habitaſſe in *Alba Chrobatia* Serblis ad occidentem conterminos: inde duce *Porgæ patre* commigraſſe memorat Porphyrogenitus (B). Migrationis cauſam ſubticuit: generationis unius, quæ tunc advenit, Principes quinque fratres recenſuit his nominibus: *Clucas*, *Lobelus*, *Coſemzus*, *Muchlo*, *Chrobatus*: & ſorores duas *Tuga*, *& Buga*. At quis quinque iſtorum principum, *Porgæ* ſecundi Chrobatorum Regis Pater fuerit, haud expoſuit. Romanus ſpalatenſium Pontificum Catalogus primum Chrobatorum principem in Dalmatia Chrobatum appellat: ut adeo hunc ipſum *Porgæ patrem* fuiſſe oporteat. At eundem ad baptiſmi tempus non attigiſſe idem Porphyrogenitus diſerte tradit (C).

Finis belli Abarici anno 639.

SERBL. Bellum a Chrobatis in Abares ſuſceptum exeunte anno 636. ſi deinceps annis ſeptimo, octavo, ac nono continuatum ſit, atque ita in quadriennium productum fuit, plene ſatisfactum Conſtantini Porphyrogeniti verbis opinor, qui hæc minora non conſectatus, ſed generali duntaxat verborum forma uſus, bellum *annos aliquot* perduraſſe dixit (D), dum denique Abares penitus ſubjugarentur. Hactenuus de *Abaris & Chrobatis*. Ordo rerum jam admonet, ut ad *Serblos* tranſeamus, resque eorum, ac geſta veſtigemus.

VII.

Patria vetus Serblorum, & migratio in orientem.

BULG. Conſtantinus Serblos in *Alba Serblia non baptizata*, ac regione ab illis *Boiki* dicta (E) Francis ad occaſum vicinos ſubjectosque, & Chrobatis ad ſolis ortum conterminos coluiſſe Author eſt (F): Atque cum ad fratres duos *Albæ Serbliæ* dominatus perveniſſet, fratrum altero in avitis ſedibus permanente, alterum parte populi media ſecum ſumta, ſive Francorum jugi pertæſus, ſive felicioris ſoli ſpe illectus, ſeu Chrobatorum exemplo, aut etiam iuvitatu permotus fuerit, nec enim certam migrationis cauſam Porphyrogenitus indicavit; caſtris motis e ſolo patrio magnis itineribus

E

(A) *BAGI BAGEIA* eſt vox Slavica compoſita, ac in Græcum detorta, nec aliud ſignificat, quam *Vagi fluenta*: nam *Bara* Slavis eſt *fluentum* aut *aquæ reſtagnantes*. *BAGI* autem nomine hic non venit *Bog* fluvius, qui in Euxinum mare defertur, ſed Vagus fluvius ex Carpato ortus, qui Danubio ad hodiernam Comaromii urbem miſcetur. (B) Porphyrog. ibid. c. 30. (C) Idem c. 31. (D) Idem c. 30. (E) *Boiki* eſt ipſa vetus *Boica* ſeu Bojorum regio, quam ad Albim flumen *Serblorum* gens incoluit, & ad *Salam flumen*. per Misniam etiam Luſutiamque effuſa. (F) Lib. de Adm. Imp. c. 32.

bus ad Heraclium I. contendiſſe, provinciamque, quam bona Auguſti gratia poſſet incolere expetiviſſe (A). Et aſſignatus illis primum fuit in Theſſaliæ themate terrarum tractus ille, qui a novis tunc incolis acceptum *Serviæ* nomen, hodieque retinet. Verum, cum poſt modicum temporis intervallum conceſſa ditio minus arrideret, cum gratia Auguſti retro iter relegerunt (B). At vix ad Belgradi urbem Danubium transmiſerant, cum mutato repente conſilio, Prætorem urbis pro alia rurſus, opportunioreque regione interpellant; & hoc mediatore uſi, ab Auguſto terrarum tractum vaſtum ſane, ac fere a Danubio ad mare uſque Adrium porrectum, impetrant: in quo *Servia*, regio ſpeciali, ac proprio nomine ab iis ſic dicta ſtatim a Danubio ſe offert, eique ſuperjacentes provinciæ *Diocletana* cum *Prævali*: *Terbunia* cum *Canali*: *Zachlumia*, & *Natenta* ſeu *Pagania* ad maris oras effuſæ.

Deſerunt Theſſaliam & partem Dalmatiæ inſident.

SERBL. Deſcriptionem univerſæ Serviæ, ejusque provinciarum juvabit ex Conſtant. Porphyrogenito huc inferre, quo clarius regionis a gente noſtra inſeſſæ magnitudo cognoſcatur.

BULG. Conſtantinus regiones, a Serblis inſeſſas in hunc modum limitibus diſtinxit (C): *Dioclia*, inquit, propinqua eſt *Dyrrachii* oppidis *Eliſſo*, *Helcinio*, & *Antibari*: extenditurque *Decatera* uſque: montana autem *Serbliæ* finitima ſunt. A *Decateris* vero incipit *Terbuniæ* principatus, porrigitque ſe *Rauſium* uſque: & verſus montana *Serviæ* adjacet. A *Rauſio*, *Zachlumiorum* principatus initium habet, & protenditur ad *Orontium* flumen uſque: oraque *maritima Paganis*; Montana ad ſeptemtrionem *Chrobatis* objecta in fronte *Serviæ* contermina eſt. Ab *Orontio* flumine *Paganiæ* incipit, porrigiturque ad *Zentinam* flumen: & *Zupanias* tres habet: *Raſtozam*, *Mocrum* & *Daleti*: & quidem priores duæ Zupaniæ ad mare ſitæ ſunt, & ſagenas habent: *Daleni* vero Zupania procul a mari ſita eſt, & ejus incolæ ex agricultura vivunt. *Servia* autem a fronte habet cæteras omnes regiones: ad Septemtrionem quidem Chrobatiæ verſus *Zentinam* & *Chlebenam* propinqua eſt; ad Meridiem vero Bulgariæ. Sic deſcriptis provinciarum finibus; *Diocletanæ* provinciæ (D) præter *Diocliam*, urbes magnas & habitatas tribuit: *Gradete*, *Nugrade* & *Lentodocla*. *Tribuniæ* autem, quæ eſt eadem cum *Canalitarum* regione, (E) aſſignat oppida: *Terbunium*, *Hormum*, *Riſena*, *Lucabete* & *Zetlebe*. In *Zachlumorum* territorio, quæ regio a monte *Chlum* nomen ducit, in monte quidem ipſo eminent urbes duæ: *Buna* & *Chlum* (F) cæteræ autem, (puta *Stagnum*, *Mocriſich*, *Josle*, *Gelumanie* & *Dobrisich*) per planiora effunduntur. *Paganiæ* autem (G), urbes habitatas numeDeſcriptio Regionum a Serblis inſeſſarum.

(A) Ibid. (B) Ibid. (C) Ibid. c. 30. (D) Lib. de Adm. Imp. (E) Ibid. c. 35. (F) Ibid. c. 34 (G) Ibid. c. 36.

merabat, *Mocrum*, *Beruliam*, *Oſtrox*, & *Labinezam*: inſulasque præterea magnas *Crucram*, *Meletam*, *Pharam*, & *Brazes*. Tandem *baptizatæ Serbliæ* oppida, quæ habitantur (A) recenſet ſequentia: *Deſtenicum*, *Megyretus*, *Dresnex*, *Lesnex*, *Salenes*: & in agro Boſonæ (B) *Catera* & *Desnex*. Quarum urbium nomina, quia, ut plurimum obſoleta ſunt, incerta quoque, & anceps eſt earum poſitio.

SERBL. Hæc, nec plura Porphyrogenitus de *Serblorum* adventu, & novis in Oriente ditionibus. Ignorare nos igitur oportebit, & nomen Principis, qui novas Orienti colonias adduxit: annus ipſe adventus in obſcuro menebit: nec ſciemus, an ſocialia Chrobatis in Abares arma Serbli conjunxerint.

BULG. Ita eſt, ſola, quæ dixi de adventu Serblorum ad noſtram transmiſit memoriam: minora, quæ noſſe optas, præteriit Porphyrogenitus. Neque tamen hinc eſt conſequens, ut, quæ propria ſunt, exactioraque, ignorare nos perpetuo oporteat. Ita enim uſu comparatum eſt, ut, cum certus in hiſtoriis dux non præit, minoris quoque notæ Sctiptores in ſupplementum advocentur: atque ubi etiam tales defuerint, prudenti conjecturæ locus detur.

SERBL. An vero tibi, aut alius Author ſuppetit, qui Porphyrogenitum ſuppleat; aut ſana conjectura quid amplius innotuit? lubens, volensque etiam minus explorata complectar, cum deſunt certiſſima.

BULG. Quando ita imperas, recole memoria, quæ paulo prius ex Porphyrogeniti c. 31. produxi: ait ibi Chrobatos primum, *nec diu poſt* Serblos ad Heraclium I. confugiſſe. Chrobatorum bellum cum Abaris teſte eodem c. 30. *in annos aliquot* productum fuit: quid igitur aliud eſt conſequens, quam, ut ſi etiam uno, aut altero anno ſerius hoc eſt 637. aut octavo Serbli advenerunt, bellum tamen præ foribus nacti ſint: bello autem Chrobatos inter, ac Abares ardente, quis otioſos manſiſſe Serblos exiſtimet? Deinde diviſa fere ex æquo Chrobatos inter, ac Serblos Dalmatia, quid aliud innuit, niſi belli quoque laborem inter utrosque diviſum fuiſſe. Abares orientalem perinde, ac occidentalem Dalmatiam ſub jugum miſerant: ſi utraque ſolis Chrobatorum armis, ſudoreque depulſi ſunt, nec Serbli in partem belli venerunt; Dalmatiæ utrique Chrobatos præfici æquum fuit excluſis inde Serblis; præcipue cum is Chrobatorum numerus exſtiterit, ut non diu poſtea pars in Illyricum & Panoniam commigrare neceſſe habuerit, de quo ſic Conſtantinus loquitur (C): *At, a Chrobatis, qui in Dalmatiam venerant pars quædam ſeceſſit, & Illyricum atque Panoniam occupavit: habebantque &*

Adventus Serblorum ſub annum 637. vel ſequentem, & bellum in Abares.

(A) Cap. 32. ad finem. (B) Ibid. (C) L. de Adm. Imp. c. 30.

ipſi principem ſupremum, qui ad Chrobatiæ tantum principem amicitiæ ergo legationem mittebat. Atque hæc quidem recto, ut videtur, ratiocinio, præeunte Conſtantino aſſequi mihi licuit.

SERBL. Quod tu veraci ratiocinio ex Conſtantino deduxiſti; Serblos nempe in partem belli Abarici veniſſe, nullusne Scriptorum confirmat?

BULG. Conſpirat in eandem mecum Sententiam Romanus Spalatenſium Archi-Epiſcoporum Catalogus, qui primum Serblorum principem, in tyrannorum poſtremum arma tuliſſe inde ab anno 638. ad nonum uſque non obſcure innuit, cum tradit: Serblorum primum Principem *Sublata tyrannide chriſtianis rebus a diuturno bello quietem attuliſſe* (A). Atqui, abſque vi admota, armis, belloque tyrannis, quam Abares in Chriſtianos exercebant, tolli non potuit, neque chriſtianis a bello diuturno citra inſignem, victoriam quies adferri: quietem vero attuliſſe primum Serblorum principem veriſſime affirmavit Author Catalogi; cum ex Porphyrogenito exploratum ſit, primo illo Serbliano principe, gentem Serblorum, damnata avita ſuperſtitione Chriſto nomen dediſſe, & per Sacerdotes ab Heraclio I. Roma accerſitos ſacro fonte, doctrinisque Evangelicis initiatam fuiſſe (B).

SERBL. Eruderata veteri Serblorum regione, & anno adventus in novam: poſtquam illos junctis cum Chrobatis viribus bellum geſſiſſe in Abares rationum momentis æque, ac fide Romani catalogi eviciſti: reliquum eſt, ut in nomen primi Serblorum principis, quod Porphyrogenitum latuiſſe videtur, inquiramus.

Serblorum Imus Princeps Satimirus.

BULG. Eo labore ſublevavit nos Diocleates, Scriptor ex domeſticis vetuſtiſſimus, qui, aut e monumentorum reliquiis, aut fida majorum traditione id facile didiciſſe potuit. Is vero primum in Oriente Serbliæ principem ſemel *Zvanimirum*, mox *Satamirum* vocat, quem Marulanus codex permodico literarum divortio *Satimirum*, laudatus vero Spalatenſium Catalogus *Selimirum*, & Orbinus poſt eos *Svetimirum* ſcripſit: quod leve diſſidium facile in ſcribentium, deſcribentiumque vitium transferas.

SRRBL. Tuto igitur primum Serblianum Dalmatiæ orientalis principem *Satimirum* ex lectione Marulani Codicis appellabimus.

BULG. Ita quidem, & ipſe exiſtimo, niſi Francorum annales, qui res, ac nomina Serblianorum per Germaniam principum

---

(A) Recte autem dicitur *à diuturno bello* pacem Chriſtianis attuliſſe, quia jam Radimirus ante Abares Chriſtianis infeſtus fuit. (B) Porphyr. L. cit. c. 32.

pum utcunque attingunt, ex qua Noſtrates profecti ſunt, inpoſterum quid obturbent, aliudque nomen ſuggerant. Hic te celare non debeo, quod ipſe in Francorum annalibus (A) legiſſe me memini: refert Fredegarius *Dervanum* Slavorum *Surbiorum* principem a Rege Francorum urbibus præfectum, cum anno Dagoberti nono, qui eſt Chriſti 630., Samo Slavorum Vinidorum Rex in ditiones Dagoberti magna vi incubuiſſet, ſive reſiſteudo imparem, ſeu mutata fide, ac animo, relicta illa veteri Albaque Serblia ad Slavos Samonis conceſſiſſe. Cujus cum ætas, diſceſſioque cum Serblorum migratione a Porphyrogenito indicata proxime, & apprime congruat, ſubit ſuſpicari, *Dervanum* fuiſſe, qui e regione Albæ Serbliæ ad Vinidos primum, ab his vero *Satimirum* ejus filium ad Heraclium I. ſub annum 637. conceſſiſſe.

SERBL. Dervani migratio, ut a Fredegario narratur, eſſe potuit ad Venedos primum: nec eſt unde negem *Satimirum* Dervani filium fuiſſe: at, his interim, in medio relictis, dum clariora affulgeant: nos ex fide Diocleatis primum illum Serblorum principem, qui ipſi orienti Serblorum colonias invexit, *Satimirum* nuncupabimus, quem Diocleates, quod mirere, ex Tyrannorum progenie derivavit, verba illius ſunt: *Poſt mortem quatuor Regum iniquorum, natus eſt EX EORUM PROGENIE quidam ZVANIMIRUS, qui accepto regno deſtitit Chriſtianos perſequi.*

BULG. Eſt hic Diocleatis jam alter, nec poſtremus genealogicus error: ſed, quem marulanus codex non exhibet (B): authoritas autem Porphyrogeniti penitus conuellit, qui recte primum Serbliæ principem aduenam ex Alba Serblia non baptizata deduxit, quam *Boiki* vocant (C). Advertiſſe hoc videtur Author Catalogi antiſtitum ſpalatenſium, qui, ut antea dixeram, non modo a tyrannis ſecrevit *Satimirum*, verum & tyrannorum poſtremum bello evertiſſe innuit, cum *ſublata tyrannide* pacem chriſtianis attuliſſe affirmat, ſuſcepta nimirum, ut ex Porphyrogenito liquet, fide Chriſti, & ſalutari baptiſmo Heraclio I. imperante.

Error Diocleatis genealogicus in Satimiro. Fuit advena ex alba Serblia.

SERBL. Evolvitur jam ex his utcunque annus Chrobatorum, & Serblorum baptismi, quem ego ipſum DCXL. fuiſſe conjicio. Cum enim Serbli in orientem anno 637. aut ſequenti adveñerint flagrante quam maxime bello Abarico, huic vero & ipſi ſe immiſcuerint, nec veriſimile ſit inter belli tumultus, aut ſvaſiſſe Heraclium I., aut pagagonos Principes baptismum ſibi ultro expetiviſſe: bellum vero confe-

F ctum

(A) Apud Fredegarium ex Lect. Eckardi in nova & vet. Francia (B) Poſt quatuor tyrannos deſcriptos, inquit: *Quintus autem ab his, in regnum vocatus, nomine Satimirus abſtinuit a fidelium infeſtatione.* (C) Lib. de Adm. Imp. cap. 32.

VIII. Serblorum & Chrobatorum baptiſmus Heraclio I. Imperatore anno 640. affigitur.

ctum non ſit, niſi anno 639., conſequens plane eſt anno 640. pacatis Dalmatiæ rebus Heraclium baptismi deſiderium principibus Serbliæ, Chrobatiæque injeciſſe, & ad ſuſcipiendum permoviſſe.

BULG. Ex mea prorſus mente annum baptismi conſtituiſti. Cum enim is ab Imperio Heraclii I. dimoveri nec debeat, nec poſſit Conſtantino Porphyrogenito, hoc tam diſerte affirmante (A): *Ab Heraclio, ad quem confugerant, a quo in ditiones ſuſcepti, cui ſubjecti erant, ab eo etiam baptizatos fuiſſe*: & cum ſub primum gentium illarum adventum, Abaricum continuo bellum ipſos exceperit, & ad annum uſque 640. occupaverit: compoſitis demum anno eodem Dalmatiæ rebus, opportunus tandem baptismo annus affulſit: quem, ſicut occupare belli negotia non permiſerunt, ita ultro differre mors Heraclii I. non ſinit, quæ denique Auguſtum plenum meritis ſub anni 641. principium, hoc eſt die XI. Februarii oppreſſit (B). Quare anno tantumDCXL. reducta alma pace Heraclius I. & gentibus illis baptismi deſiderium inſpiravit, & per Legatum ad Severinum Papam Romam miſſum, Sacramenti Miniſtros, ac fidei Magiſtros expetiit. At Severino ſub idem tempus humanis erepto, ſucceſſor Joannes IV. Dalmata, quod pie expetebatur, ample præſtitit, miſſis Presbyteris, qui gentes illas Chriſto initiarent, ac doctrina Evangelica informarent.

SERBL. Sed non deſunt iſtorum temporum Scriptores lectiſſimi, ſunt ii, Lucius ac Farlatus, qui baptismum Serblorum, Chrobatorumque ad Conſtantini Pogonati, imo & Juſtiniani II. Imperium diſtulerint; &, quia Auguſtorum ambo Heraclii prænomen geſſerunt, ea dilatione nihil magnopere in Porphyrogeniti authoritatem ſe peccare credunt.

Refellitur Sententia baptiſmum differens.

BULG. Ii vero ſeducti vel levi aliqua, facileque diſſolvenda ratione, vel annorum Calculo everſæ per Abares Salonæ non recte ſubducto, dilatoque paulo longius, quam oportebat Chrobatorum, Serblorumque in Dalmatiam adventu; vim verbis Porphyrogeniti clariſſimis aperte inferunt, qui, ut ſæpe dixi, ad Heraclium eundem, & adventum utrorumque, & baptismum retulit, atque ab Heraclio I. ad quem confugerant, cui ſe ſubjecerant, & ditionibus donatos, & baptizatos tradit. Quid, quod & erroris ſui argumento præterea multiplici convinci poſſunt.

SBRBL. Sed Sententiæ tuæ, & ſi vis, etiam Porphyrogeniti, obſiſtit Thomas Archi-Diaconus hiſtoriæ Salonitanæ Scriptor, qui *Joanni Revennatenſi* primo Spalatenſium poſt Salonam everſam Archi-Epiſcopo, gentium noſtrarum converſionem tribuit, ſic de eo ſcribens cap. XI. *Per Dalmatiæ & Sclavoniæ, Regiones circumeundo reſtau-*

ra-

(A) Ibid. (B) Pagius.

rabat Eccleſias, ordinabat Epiſcopos, Parochias diſponebat, & paulatim rudes populos ad informationem Catholicam attrahebat. Annus autem primus Archi-Epiſcopatus Joannis Rauennatis fuit 650. teſte Romano Spalatenſium Catalogo.

BULG. Hoc plane argumento preſſus doctiſſimus Farlatus ad Pogonati Auguſti tempora, baptiſmum Serblorum, Chrobatorumque diſtulit: ſed vim argumenti hujus qualemcunque vir doctiſſimus facile ipſe ſibi diſſolvere potuit ex ejusdem Salonitanæ hiſtoriæ Codice Barberino. Is vero Apoſtolatum Joannis Ravennatis non in annum 650. rejecit, ſed cum pontificatu Romano Joannis IV. conjungit, qui ab Auguſto menſe anni 640 ad 642. ſedit (A): en verba Codicis Barberini: *Interea Summus Pontifex Joannes IV. miſit quemdam nomine Joannem patria Ravennatem, qui partes Dalmatiæ, & Chrobatiæ peragrando ſalutaribus monitis chriſtianos informaret.* Cæterum, nec tanta religione Romani Spalatenſium Catalogi Chronologiæ inhærendum putem, ut vis aperta Porphyrogeniti verbis inferatur, cujus authoritatem per ſe maximam, multa inſuper argumenta, adjuvant, fulciuntque.

SERBL. Præter teſtimonium Porphyrogeniti, qui ad unum, eundemque Heraclium I. & gentium noſtrarum adventum, & baptiſmum retulit, nec argumenta, ut audio, tibi deſunt, quibus, & belli Abarici finis ad annum 639. & baptiſmus ad 640. confirmetur, quin ab hinc longius rejici poſſit.

BULG. Ita eſt: primum argumentum belli exeunte anno 639. confecti præbet Joannes IV. Papa, qui menſe Auguſto anni 640. electus, continuo Martinum Abbatem in Dalmatiam patriam ſuam deſtinavit, ad chriſtianos captivos redimendos, Sanctorumque reliquias Romam in tutiora deportandas: quorum ſane neutrum belli tumultuum temporibus conveniebat (B). Alterum inde duco, quod anno 642. navibus Romanorum Dalmatarum, Chrobatos, Serblosque in oram Sipontinam adverſus Ajonem Beneventi Ducem traductos lego (C). Hoc vero, ſicut res eorum domi tranquillas, & a bello vacuas, ita & fœdere chriſtianæ Religionis Dalmatis colligatos fuiſſe oſtendit. Tertium argumentum ſuppeditant profugi illi, expulſique per Abaries Solonitani cives, qui e ſcopulis inſularum anno 643. ac ſequentibus, velut ſecuri jam ſui, turmatim in continentem redibant, & urbibus ſtruendis, amplificandisque *Raguſio*, *Blandonæ*, ac *Spalato* manus admoverunt (D). Hæc enim tanta Dalmatarum, chriſtianorum fiducia in Chrobatos, Serblosque vix eſſe potuit, niſi ſa-

Confirmatur variis argumentis baptiſmus ad an. 640.

(A) Pagius. (B) Pagius. (C) Lud. Muratorius annal. Italiæ T. 4. (D) Farlatus T. 2. cap. 4. & pag. 337.

cerrimo religionis communis vinculo devinctos, doctrinisque Evangelicis emollitos sciviſſent.

SERBL. Cum ita ſe res habeant; fortaſſe Martinus Abbas, qui ad abducendas Sanctorum exuvias (A), & Chriſtianos a captivitate eruendos a Papa Joanne miſſus advenerat; mutatis interim apud Chrobatos, Serblosque in melius rebus, animisque; Apoſtoli etiam munere apud utroſque functus fuerit?

BULG. Si, ut ſuſpicaris, erat; de duobus jam Martinis Apoſtolis Chrobati gloriari poſſunt. Nam, hunc quidem Roma a Joanne Papa ſubmiſſum communem cum Serblis habuiſſent: alterum vero, cujus Porphyrogenitus ad tempus *Terpimiri* Chrobatiæ Regis meminit, peculiarem, ac proprium e Francia advectum, de quo paulo inferius dicturi ſumus: nec enim opinor Porphyrogenitum memoria lapſum, Martinum Abbatem Joannis Papæ, ſæculi VII., cum Martino e Francia ſæculo X. ad Terpimirum advena confudiſſe.

SERBL. Stabilito baptiſmi anno, nonnullisque cum eo conjunctis: quæ denique de baptiſmi Miniſtris, præconibus Evangelii, ſolemniisque Porphyrogenitus memoriæ prodiderit, lubens jam intelligam.

BULG. Rem maximam, & omnium retro hominum memoria digniſſimam, ut ſolet, verbis abſolvit pauciſſimis, quæ ex eodem repeto: *Regiones illas Serblis Imperator habitandas dedit, cui etiam ſubjecti erant, a quo etiam baptizati ſunt per Presbyteros Roma accerſitos & pietatis opera edocti, antiqua fide accepta* (B). Igitur & miniſtrorum nomina, & cætera ſolemnia ſilentio Conſtantinus involvit.

SERBL. At, plura fortaſſe ad baptiſmum Chrobatorum idem adnotaverit, quæ ad Serblos quoque pertineant, aut jure traduci debeant.

IX.

De baptiſmo Chrobatorum ſpeciatim Porga ſecundo Principe.

BULG. Amplius quidem aliquid de his, at, & illa conſveto compendio perſtrinxit (C): *Chrobati*, inquit, *armis arreptis Abares ex illis locis expulerunt, & in ipſorum terra, quam etiam hodie tenent, ſedes collocarunt. Erat autem Chrobatis illis tunc temporis Princeps Porgæ pater. Heraclliusque Imperator Roma per Legatum Sacerdotibus accerſitis, conſtitutoque ex ipſis Archi-Epiſcopo, Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis, Chrobatos baptizavit: & tunc quidem temporis Chrobatorum Princeps erat Porga.*

SERBL.

(A) Nempe SS. Martyrum Anaſtaſii, Venantii, Mauri, & Sociorum ex Ciacconioin vitis Pontificum. (B) Lib. de Adm. Imp. cap. 32. (C) Lib. de Adm. Imp. cap. 31.

SERBL. Primum Chrobatorum Principem *Porgæ patrem*, baptismo nondum percopto in ipſo victoriarum curſu deceſſiſſe, ex his elucet: Heraclio autem operam præcipuam navante, quemadmodum Chrobati ſub ſecundo ſuo principe *Porga*, ita Serbli ſub primo *Satimiro*, uno, ut videtur, tempore Chriſto inaugurati ſunt. An vero Principes ipſi undis ſacris luſtrati ſint, & an gens utraque Archi-Epiſcopum, Epiſcopos, ac Sacerdotes nacta fuerit proprios, ac diſtinctos, hoc eſt, quod Conſtantinus diſerte non expoſuit.

BULG. Primum Serblorum principem Satimirum attigiſſe baptismi tempus, multosque expoſt vixiſſe annos, deceſſiſſeque paulo ante Bulgarorum in Myſiam, ac Macedoniam irruptionem, quæ ſub annum 679. contigit (A) ex Porphyrogenito non obſcure eruitur, ſic enim ait: *Cum autem ſub Romanorum poteſtate eſſet Bulgaria, Serviorum principe, qui ad Imperatorem confugerat, vita functo, filius ipſius ſucceſſit, mox nepos, & ſic omnes &c.* Liberrimus autem utriusque gentis ad baptismum acceſſus, principes ipſos, & faviſſe, & pietatis exemplo præiviſſe argumento eſt. Nec invitus aſſentior genti utrique Epiſcopos, qui per regiones erant, miniſtrosque datos. At Diocletanus Epiſcopus non ante Delmitanam Synodum Archi-Epiſcopi honore auctus eſt, ſummusque Serbliæ Præſul evaſit. Chrobatorum baptismo id inſuper peculiare acceſſit, quod Statuto Romani Pontificis ad colendam pacem, nullique bellum inferendum obſtricti fuerint, & Sacramento ſe ſe obſtrinxerint teſte Conſtantino, qui ſic ſcribit (B): *Chrobati poſt acceptum baptiſmum pepigerunt, & chyrographis propriis datis, Sancto Petro juraverunt: nunquam ſe alienam terram invaſuros, ſed pacem habituros cum omnibus volentibus: & imprecationem vicißim a Romano Pontifice acceperunt, ut ſi quando aliæ gentes ipſorum Chrobatorum terram invaderent, belloque infeſtarent, pro ipſis pugnaret vindexque eſſet ipſorum Deus, victoriam conciliante Petro Chriſti diſcipulo.*

Et Serblorum, regnante Satimiro I. qui paulo ante Bulgarorum irruptionem obiit.

Pactum Chrobatorum poſt baptismum.

SERBL. Quæ de Martino e Francia ad Terpimirum Chrobatorum regem advena dicturum te promiſeras, quamquam non iſthuc, ſed ad ſæculum X. pertineant, expedi, ſi in promptu habes.

BULG. Quæ paulo prius ex Porphyrogenito recitavi, ſic idem in continenti proſequitur: *multis vero annis elapſis* (nempe a baptismo primo Chrobatorum ſub Heraclio I. peracto) *in diebus principis Terpimere, qui pater fuit principis Kraſemere, e Francia, quæ inter Chrobatiam & Venetiam media eſt* (C) *veniens vir quidam Martinus nomi-*

(A) Ibidem cap. 32. (B) Ibidem cap. 31. (C) Eſt ea hodierna Carniolia, & forum Julii, quæ Provinciæ, quod tunc Francorum ſubeſſent imperio, Franciæ nomen ſubiere.

ne maxime pius, ſed habitu ſæculari, & pedibus mutilatus ita, ut a quatuor bajulis deferri deberet, illud Sanctiſſimi Pontificis mandatum Chrobatis ad ultimum finem ſervandum eſſe ſanxit, eadem etiam illis, quæ antea Pontifex imprecatus. Quapropter neque ſagenæ ipſorum Chrobatorum, neque condurræ unquam ad aliquem bello infeſtandum abeunt, niſi quis eos adoriatur; ſed hujusmodi navigiis Chrobati mercatores ad emporia proficiſcuntur oppidatim circumeuntes Paganiam, & Sinum Dalmatiæ Venetias uſque. Atque hæc ſunt omnia.

Oppoſitio duplex contra baptismum anni 640.

SERBL. Si de baptismo gentis utriusque ſub Heraclio I. Imperatore nihil latini ejus temporis Scriptores, aut noſtrates, aut denique Romana Pontificum Archiva prodidere, miror ſane altum omnium ſilentium. Nec minorem admirationem movet, quod gens utraque vix finito bello Abarico, licet paganorum ſuperſtitionibus a ſæculis innutrita, prompte adeo animum ad Sacra chriſtiana complectenda adjunxit.

Soluta.

BULG. Utrumque mirari deſines, ſi, quæ Roma, ejusque Archiva ſubierunt fata, ſi latine ſcribentium infrequentiam, domeſticorum autem ruditatem, & neglectum, ac denique triſte excidium, quo Dioclia Serblorum metropolis anno 926. involuta eſt, ut oportet expendas. Ut enim pleraque Eccleſiarum monumenta in urbem eam inferebantur, ita commune cum eadem fatum ſubiere. Satis nobis debet eſſe Porphyrogeniti authoritas, fidesque, quæ defectum, ac ſilentium abunde ſupplet omnium, eſtque una inſtar multorum. Cæterum, ne & hoc præteream, baptismi Chrobatorum, Serblorumque memoriam Romæ obliteratam non fuiſſe penitus, ſed notitiam ejus probe viguiſſe in mentibus Pontificum, etiam ſæculo X. elucebit ex literis Joannis X. Papæ ad Chrobatiæ, Serbliæque principes, quas ſubinde (A) referemus. De eodem Serblianorum, & Budimiri baptiſmo Diocleates quoque conſignavit aliquid (B): verum, ut plura ſolet pervertere, & Satimirum Budimiri patrem præteriit, nec veros in baptismo Budimiri miniſtros protulit, atque, quod multo pejus eſt, primum illum ſæculi VII. baptismum, cum ſecundo Serblorum baptismo, qui ad IX. ſæculum pertinet, permiſcuit, confuditque, ut paulo infra plenius declarabo. Sed neque properata gentium illarum ad Chriſti Fidem acceſſio mira tibi videbitur, ſi ſapientiam, pietatem, zelumque Heraclii I., & devinctam ipſi maximis beneficiis utramque, gentem animo reputes, ac meminiſſe velis myſteria fidei, & diſciplinam chriſtianam ex longa cum Francis, a quibus advenerunt, conſvetudine, nec ignota, nec adeo inviſa fuiſſe utrisque: quos movere etiam potuit chriſtianæ Religionis per Franciam omnem, Romanumque imperium late dominantis ſplendor: & ad artem gubernandi per-

(A) Colloquio III. (B) Vide textum Diocleatis, quem ad Calcem refero

pertinebat, ſummeque Heraclii Auguſti intererat, ut, quos obnoxios imperio futuros in ditionem ſuſceperat, religionis etiam communis vinculo, quo nullum eſt validius, ſibi, ac imperio arctius colligaret.

SERBL. Ecquid vero cauſæ ſuberat, quod Heraclius I. non domeſticos, quos ad manum habebat plurimos, Conſtantinopoli; ſed Roma Sacerdotes ad Chrobatorum, Serblorumque baptismum, & inſtitutionem accerſivit?

Cur ab Heraclio Sacerdotes Roma accerſiti ſint?

BULG. Noverat nempe tam Conciliorum Sanctionibus, quam more vetuſtiſſimo, uſuque perpetuo regiones, in quas Serblos, Chrobatosque illocaverat, ad forum, ac jus Romani Patriarchæ pertinere cum omni Illyrico, cujus illæ pars fuerunt.

SERBL. Romanum, an Conſtantinopoleos Patriarcham Illyricum, & Serblorum ditiones juſtius attineant, decet nos uberius & ex propoſito diſquirere, poſtquam hoc Græci, ac noſtrates Græcorum ſtudioſi, Romanæ Sedi non ſegniter controvertunt, imo & abjudicant. Sed ſenſerit, ut ajebas, Heraclius Romanum Patriarcham Jus Sacrum in Serblorum regiones obtinere, ac idcirco Roma baptismi miniſtros, ac fidei inſtitutores accerſendos putaverit, & Satimirus primus Serblorum Princeps cum magna gentis parte opera Romanorum Sacerdotum, ut ex Porphyrogenito pridem diximus, ſacro fonte luſtratus, ac Evangelicis Doctrinis imbutus ſit: quid de Budimiro teneam neſcio, quem jam non pauci Scriptores ad IX. ſæculum relegarunt, & Diocleates diſertiſſime pronunciavit a Conſtantino Philoſopho, poſtea Cyrillo dicto, Chriſti Fidem, Legemque edoctum, ac Sacris undis expiatum (A).

X. Budimirus Serblorum Secundus Princeps Sæculo VII.

BULG. Satimirum regnaſſe ſæculo VII., & ejus ad Heraclium I. adventus, & baptismus, curante eodem Auguſto, de manu Romanorum Sacerdotum ſuſceptus, evidenter oſtendit. Quid igitur aliud eſt conſequens, quam ut *Budimirus* filius, proximusque in Throno Succeſſor, ſæculo eidem adſcribatur? Ex ipſo itaque Satimiri parentis ævo, qui teſte Porphyrogenito anno 640. baptismo initiatus eſt; & paulo ante Bulgarorum adventum, proinde circa 677. humanis exceſſit, Budimirus ſæculo VII. conjungendus eſt ſic, ut abinde dimoveri nec debeat, nec poſſit. Eidem ſæculo Catalogus quoque Spalatenſium Antiſtitum Satimirum, & Budimirum illigavit, cum initia Satimiri anno 638., & poſt diuturnum cum Patre in throno conſortium Regni, vitæque Budimiri finem anno 680. copulavit. Demum & Diocleates ipſe propriam utriusque hujus Principis ſedem fuiſſe ſæculum VII. indiciis aliquot prodidit: nam imprimis Satimirum

(A) Vide textum Diocleatis ad finem.

ſtatuit proximum tyrannorum Succeſſorem, qui a ſæculo VII. detrudi nequeunt, cum vivente Heraclio I. ſint debellati (A). Deinde Budimirum, quem Svetopelechum vocat, filium Satimiri affirmat: tandem, & longa illa numeroſaque regum ſeries, quam Diocleates a Budimiro ad Ciaslavum IX. ſæculi Principem contexuit (B), ſuapte natura expoſcit, ut Budimirus ſæculo VII. affigatur.

Error Chronologicus Diocleatis in Satimiro, & Budimiro.

SERBL. Hæc cum ex Porphyrogenito, Catalogo Romano, ac Diocleate ipſo explorata ſint, quid igitur Diocleati in mentem venit, ut Satimirum, & Budimirum Regem, hujusque baptismum, ac Concilium Delmi celebratum, immani abſurdoque anachronismo cum Conſtantino Philoſopho, poſtea Cyrillo dicto, ac fratre hujus Methodio, quos ſæculo IX. floruiſſe compertum eſt, conjungeret componeretque?

Erroris ejus origo detecta.

BULG. Fontem totius erroris non alium reputo, quam, quod unico ac ſimultaneo baptismo univerſam Serblorum gentem Chriſto authoratam crediderit, latueritque virum bonum, geminum fuiſſe baptismum Serblorum, unum ſæculo VII. Heraclio imperante; alterum ſæculo IX. ſub Baſilio I. quorum utrumque diſerte Porphyrogenitus aſſeruit diſtinxitque (C). Hinc igitur factum, ut, cum de Satimiro nihil; de Budimiri baptismo aliquid; complura vero de IX. ſæculi baptismo Serblorum legiſſet, aut traditione accepiſſet, Satimirum baptismo præmortuum putaverit; Budimiri autem magnæque Serblorum partis primum illum ſæculi VII. baptismum, ad ſæculum IX. traxerit, cum ſecundo baptismo confuderit, & in unum conflaverit, atque cum Delmitano Concilio, & Budimiri principatu, cum iſte jam ſolus regnabat, conjunxerit: atque ita ex rebus tribus omnino diſtinctis, atque ad diverſa tempora ſpectantibus, res, & perſonas veras mutuatus, perſonas æque ac res diſtantes in unum copulaverit.

SERBL. Tria ſunt igitur præcipue, quæ licet invicem diſtantia Diocleates in cumulum collegit, colligavitque, & ad Budimiri principatum congeſſit. Scilicet baptismus Serblorum primus: Con-

---

(A) Vide textum Diocleatis, & Porph. L. de Adm Imp. c. 31. (B) Inſpice ſeriem regum Serbliæ a Diocleate contextam Tabula I. (C) De primo Serblorum baptismo ſub Heraclio I. L. de Adm. Imp c. 32. agit Porphyr. cujus textum ſupra retuli. De Serblorum autem ſecundo baptismo ſub Baſilio I. ſic ſcribit cap. 29. *Plurimi autem ex his Sclavis* (nempe Serblis, Zachlumis &c.) *non baptizabantur, imo diu baptismi expertes manſerunt, imperante autem piiſſimo Imperatore Baſilio, Legatos miſerunt, ut, qui ex ipſis baptizati nondum eſſent, baptizarentur: eſſentque velut ab origine Imperio Romano ſubjecti. Horum precibus auditis beatus ille Imp. Caſarianum unum cum Sacerdotibus miſit, omnesque, qui in prædictis gentibus baptizati non erant, baptizavit.*

Concilium Delmitanum : ac denique baptismus ſecundus. Secerne hæc itaque, & ſua ſingulis, quæ conveniunt, debenturque, aſſigna, ac propria annorum nota diſtingue, ut tandem in claro ſimus, nec ſemper fides Diocleatis vapulet. Nam ego etiam de Diocleatis integritate ita perſvaſus ſum, ut non credam finxiſſe falſa, ſed vera quidem, at ab invicem diſſita, infeliciter copulaſſe, colligaſſeque.

Diocleates ab erroribus repurgatur, & cum veritate conciliatur.

BULG. Obſequor : ad *baptismum* Serblorum *primum* pertinet Budimiri baptiſmus, quem ſimul cum patre Satimiro, a quo anno eodem in conſortium regiminis admiſſus fuerat, ſuſcepit anno 640. ſic enim anni XI. quos regimini ejus Diocleates tribuit, ad ultimum vitæ annum 680. explentur (A). Eodem quoque referendus eſt Chriſtianorum ex locis abditis in continentem reditus, urbiumque Dalmaticarum inſtauratio, quæ paucis poſt annis conſecuta eſt. Ad *Delmitanam* autem Synodum, quæ poſt fata Satimiri celebrata eſt, ſpectat Rex Budimirus, dudum antea Chriſto initiatus ; Legatio Budimiri ad Papam, quem cum fortaſſe pro more veterum ſolis primis literis *P.* & *S.* ſignatum legiſſet, ſeu Diocleates ipſe, ſeu, qui hunc primus exſcripſit, imperite ſane *Papam Stephanum*, qui iis temporibus nullus erat, interpretatus eſt, ac in ſcripta retulit, & tam in Concilio Delmitano, quam in baptismo ſecundo, ſæculis duobus poſteriore retinuit ; cum tamen literis illis initialibus revera nihil aliud ſignificaretur, quam in latinis quidem manuſcriptis *Pontifex ſummus* ; in Slavicis vero *Papa Sveti*, hoc eſt : Papa Sanctus. Ad idem Concilium pertinet quoque Honorius, Legatus Apoſtolicus, Leo item, & Joannes apocriſiarii imperiales ; inauguratio Budimiri in Serbliæ Chrobatiæque regem ; deſcripti regni utriusque fines : diviſio Provinciarum in maritimam, & montanam ; maritimæ in rubeam, & albam Chrobatiam : montanæ in Raſſiam, & Boſnam : & fixæ metæ limitesque ſingularum : inſtituti præterea Magiſtratus Banorum, Zupanorum, ac Centurionum ; & Eccleſiaſtica hierarchia pro Serblis quidem Diocliæ recens invecta, pro Chrobatis autem Salonæ, quo nomine & Spalatus veniebat, ſtabilita ; & utrique Metropolitæ, ſuique ſuffraganei Epiſcopi deſignati. Tandem ad *ſecundum* Serblorum ſæculi IX. *baptismum* referenda eſt legatio ad Michaelem III. Orientis Auguſtum adornata ; ſed quam Michaele interim perempto Baſilius I. excepit, qui Cæſarianum Legatum cum Sacerdotibus ad Serblos baptismo initiandos Conſtantinopoli transmiſit : huc quoque facit Conſtantini Philoſophi, & Methodii fratrum Romam evocatio per *Pontificem ſummum*, qui tunc Nicolaus I. erat ; ſuſceptum ab iis e Moravia per fines Pannoniæ, ac Serbliam iter ; Apoſtolica utriusque apud illos Serblos, qui nondum Chriſto nomen dederant, Evangelii prædi-

 catio ;

(A) Catal. Romanus Spalat. Antiſtitum : & Diocleates.

catio ; invecti in Serbliam codices ſacri, his authoribus idiomate Sclavorum, ac charactere novo concinnati : Miſſæ ſeu liturgiæ ad morem, & ritum utrumque conformatæ; tum, & legum codex a compilatore ſuo *Methodius* nuncupatus, magnoque in pretio apud Serblos habitus.

SERBL. Baptismus Serblorum geminus, ſæculi VII. ac IX. ex Porphyrogenito exploratus eſt : hos Diocleates in unum confudit commiſcuitque : utrique ſua, & quæ propria erant, ex vero per te ſunt reddita, & fides Diocleatis eſt liberata. At num ejus Delmitano Concilio, cujus Prophyrogenitus non meminit, ſit deferendum ? anceps adhæreo. Incerta ſunt illius tempora ; id Farlatus Scriptor diligentiſſimus ad IX. ſæculum depoſuit (A) : annus in obſcuro eſt : ſed & monumenta, actaque deſunt.

XI.

Deferendum eſt Concilio Delmitano ſub Budimiro celebrato.

BULG. Falleris : monumenta Concilii non deſunt, conſervavit ea Diocleates, atque ad nos transmiſit, quæ fida ſeniorum traditione didicerat, aut e manuſcriptorum reliquiis eruit. Legatum Sedis Apoſtolicæ Synodi Præſidem, quin, & Cæſarianos homines nominavit, acta recenſuit ; quanquam nonnulla ex ævo poſteriore, actisque baptismi Serblorum ſecundi IX. ſæculo celebrati, Delmitano Concilio male intexuerit. Farlatus Scriptor egregius, ut homines ſumus, aberravit, epocha Cyrilli, Methodii, & Michaelis III. Auguſti perperam a Diocleate Concilio aſſuta, ſeductus deceptusque ; hoc illi fraudi fuit. Nam cum ad eruendum verum tempus Synodi illius præ oculis imprimis habenda fuiſſet Budimiri regis ætas, quam Diocleates quoque ſatis aperte pluribusque, ut dicebam, indiciis cum ſæculo VII. copulavit; ea non attenta, ex ævo Cyrilli, ac Methodii Delmitanum Concilium a propria ſede ſua, ſæculo nempe VII. removit, & ad IX. deturbavit ; atque pro *Budimiro*, contra Diocleatis fidem, textumque, *Paulimirum* Regem ex ſuo ſubſtituit : qui, ſi ad duas facile præcipuas ejus Synodi notas, hoc eſt Budimiri ſolius Regnum, & Chrobatiam Serbliæ copulatam, animum advertiſſet, non erat in eam abiturus ſententiam, quam & vera epocha Budimiri ſecundi Serbliæ Regis, & longa ſeries principum poſt eum ad IX. uſque ſæculi Reges a Diocleate contexta, & diſtincti jam tunc a Serblianis, qui Chrobatiæ IX. ſæculo præfuerunt Duces, apertiſſime refellunt convelluntque. Itaque ævum Budimiri filii Satimiri primi Serbliæ Principis, Concilii Delmitani nota Chronologica uti præcipua, ita certiſſima, Synodum eandem citra controverſiam ſæculo VII affigit. Cujus annus licet individue, præciſe, certiſſimeque a nobis definiri nequeat, recte tamen primis Budimiri ſolius Regni annis conjungitur, & ſub ipſum Bulgarorum in Roma-

Quod ſæculo VII. vindicatur ad an. circiter 679.

num

(A) Illyrici ſacri T. 3. pag 66.

num Imperium incurſum, hoc eſt circa annum 679. conſtituitur, imperante tunc Orienti Conſtantino Pogonato, luctanteque quam periculoſiſſime cum Bulgaris paganis imperii invaſoribus, cum non longe antea & *Satimirus* primus Serblorum, & ſecundus Chrobatorum Princeps *Porga* vita, regnoque deceſſiſſent. Nec audiendus eſt hic Romanus Spalatenſium Catalogus, qui ſecundum Chrobatorum Principem *Porinum* appellat, ac regimen ejus ad annum uſque 680. producit: error enim ejus manifeſtus eſt, tam in nomine *Secundi*, quam in initiis, fineque primorum duorum Chrobatiæ Principum, quos ambos ille inter annos 650. & 680. concluſit. Nam palam eſt ex Porphyrogenito (A) primi Chrobatorum Ducis, quem *Porgæ Patrem* vocat, initia cum anno 636. & finem cum anno 639. conjuncta eſſe, ſiquidem baptismi tempus non attigerit; qui Chrobatis regnante jam ſecundo Principe *Porga* anno 640. obvenit Heraclio I. ad clavum Imperii ſedente. *Porinus* autem teſte eodem Porphyrogenito (B) nono tantum ſæculo Chrobatis Dux præfuit, qui excuſſo Francorum jugo gentem libertati reſtituit, & baptismum apud ſuos ſecundum celebravit, luſtratis ſacro fonte, & Lege Evangelica imbutis, qui nondum antea ſuperſtitionibus avitis nuncium miſerant.

Error Catalogi Spalat. in duobus primis Chrobatiæ Principibus corrigitur.

SERBL. Sint hæc, ut ex Porphyrogenito ſtatuiſti: at acta ipſa, quæ Delmitanæ Synodo tribuuntur, dubiam, ſuſpectamque fidem reddunt. Improbabilis videtur regnorum Serbliæ, ac Chrobatiæ copulatio, atque in unum Budimirum gente Serblianum, Chrobatorum quoque conſpiratio, quibus regno pares, dignique domi ſuæ vix deeſſe poterant. Diviſio quoque provinciarum Dalmatiæ in *maritimam*, & *transmontanam*; maritimæ rurſus in *albam*, & *rubram Chrobatiam*, aut commentitia prorſus eſt, aut Porphyrogenito incognita: ejus certe nullum exſtat veſtigium in Porphyrogeniti Geographia, quæ a Diocleatis Provinciarum deſcriptione non leviter, nec in paucis diſſidet. Nam Porphyrogenitus *Albam Chrobatiam* non in Dalmatia ipſa conſtituit, ſed prope Franciam, & ultra Turciam (C) ſubmovit: *Rubræ* autem

Opponuntur quædam Delmitano Concilio.

(A) Lib. de Adm. Imp. cap. 31. ubi de primo Chrobatorum baptismo ſub Heraclio I. agit: cujus textum ſupra retuli. (B) Lib. de Adm. Imp. cap. 30. ubi de ſecundo Chrobatorum ad ſæculum IX. baptismo ſic ſcribit: *Per aliquot vero annos etiam Dalmatiam incolentes Chrobati Francis ſubjciebantur . . tanta in ipſos crudelitate utebantur Franci, ut lactantes eorum pueros occidentes canibus objecerent: quæ res cum intolerabilis Chrobatis eſſet, facto diſſidio, principes, quos ex ipſis habebant, interemerunt: unde magnus contra eos exercitus movit e Francia: & poſt ſeptem annorum bellum ægre tandem ſuperiores facti Chrobati omnes Francos eorumque principem Kozilin e medio ſuſtulerunt: & exinde liberi, & ſui juris facti, ſacrum baptisma a Romano Pontifice petierunt, miſſique Epiſcopi ipſos baptizarunt principatum tenente PORINO.* (B) *Turciæ* nomine *Hungariam* intelligit cap. 31.

tem *Chrobatiæ* nuspiam meminit ; tractumque illum terrarum Dalmatiæ inferioris, qui a Zentina fluvio in occasum ad Istriam usque excurrit, simpliciter, absolute, & absque addito *Chrobatiam* appellat, ac XI. ejus Zupanias numerat : *Chlebianam*, *Tzenzinam*, *Emotam*, *Plebam*, *Pesentam*, *Paratbalassiam*, *Breberam*, *Nonam*, *Tzenam*, *Sidragam*, *Ninam* : ac tres alias : *Kribasam*, *Licam*, & *Guzechbam* Bano subjicit: partemque Chrobatorum in Pannoniam, & Illyricum subinde commigrasse tradit (A). Superiorem autem Dalmatiam, quam a Serblis occupatam, insessamque testatur, in Regiones quatuor, hoc est : *Diocliam*, *Tribuniam*, *Zachlumiam*, & *Paganiam*, Romanis dictam *Narentam*, dividit, & Zupanias, ac urbes nonnullas attingit.

Copulatio regnorum Serbliæ, & Chrobatiæ in Budimiro defenditur.

BULG. Copulatio regnorum Serbliæ Chrobatiæque, quam improbabilem ajebas, Diocleatis vetusti, probique Scriptoris testimonio nititur, quod nec a veterum quoquam refellitur, & inde pondus, ac robur accipit, quod post *Porgam* secundum Chrobatorum Principem, nullus deinceps ad IX. usque sæculum proprius, & a Serblianis distinctus seu Rex, seu Dux Chrobatiæ apud Scriptores quoscunque comparet (B). Qui duo populi, ut *Porga* exstincto, in unum Serblorum Regem conspirarent, ditionesque suas uni *Budimiro* gubernandas deferrent, si non Sanguinis communio, aut proximæ affinitatis nexus, Author certe esse potuit, metus gentis Bulgaricæ paganæ adhuc ac potentissimæ, quæ tunc magna ferocia Mysiæ utrique, Thraciæ, Macedoniæ, Thessaliæ, Dardaniæ, Epyro, Illyricoque se infundebat, & Orientis Imperio, Sclavorumque populis jugum, aut excidium minabatur. Divisio, descriptioque Provinciarum, quam Diocleates Delmi a Synodo adornatam refert, cum ad naturam regionum positionemque conformata sit, & parte aliqua a veteribus derivata, commentitium nihil sapit ; nec est cur Porphyrogenito incognita dicatur, cum Geographiæ ejusdem, si rem ipsam spectes, apprime consentiat. Nam uterque *Transmontanam*, & *Maritimam Serbliam* agnoscit, hancque iisdem limitibus circumscribit, ab ortu quidem Dyrrachio vel Dyrrachii oppidis, ab occasu Zentina fluvio, aut Delmi planitie Zentinæ affusa proxime : uterque ex hac meta Chrobatiam auspicatus Istriæ confinio ad occidentem definivit, urbeque, quam unus *Albunum*, alter *Valdevinam* nuncupat: uterque Serbliæ montanæ partem *Bosnam* agnoscit. Totum igitur discrimen utriusque Geographiæ in eo subsistit, quod Diocleates divisiones generaliores secutus paucis, ac fere jejune *Maritimam* absolvit : Porphyrogenitus autem ad minores divisiones delapsus, locupletius omnia pertractat, cum & Chrobatiæ Zupanias, & Serbliæ Maritimæ Regiones quatuor, cum Zupaniis,

Item Provinciarum divisio a Diocleate descripta: & Geographiæ Porphyrogeniti conciliatur.

(A) Lib. de Adm. Imp. cap. 30. ubi *Pannoniæ* nomine *Saviam*, & *Illyirici* vocabulo *Bosnam* indicare videtur. (B) Vide ad calcem Tabulam I. & II. ducum Chrobatiæ.

niis, urbibusque nominatim describit: quod, quia præstat vocabulis, ac nomenclatura a Serblis, Chrobatisque mutuata, indicio est, hanc quoque divisionem a Delmitana Synodo in usum gentium illarum invectam fuisse, quam Diocleates referre prætermisit: sed *Dalmatiæ Transmontanæ*, quam uterque Scriptor *Serbliam* appellat, descriptio apud Diocleatem copiosior, fœcundiorque est: is enim Drini fluminis cursu Serbliam in Bosnam, ac Rassiam diuisit, & Bosnam ad occasum Pini monte, Rassiam ab ortu Labo flumine definiit; quod vtrumque Porphyrogenitus neglexit.

SERBL. At, divisio *maritimæ* in *rubram*, & *albam Chrobatiam* nondum a suspicione liberata, exemtaque est: si enim illa Delmitanam Synodum Authorem habuit, cur nullum ejus in Porphyrogenito exstat vestigium?

BULG. Hanc quoque partitionem a suspicione liberat, ac Synodo vindicat Scriptorum quorumdam usus, ac Authoritas (A), &, quod plurimi facio, scutum ipsum vetustissimum ex albis, rubrisque taxillis permixte compositum, quo ab olim hodiedum Chrobatia utitur: eo enim, velut Symbolo quodam, tam veterem *Maritimæ*, *Dalmatiæ* divisionem in *rubram*, & *albam Chrobatiam*, quam & utriusque Regni unionem, a Diocleate assertam, testatam facit, stabilitque: quæ scuti Chrobatici origo, si non certa, probabilissima sane videtur. Nec te turbet, quod apud Porphyrogenitum *albæ*, *rubræque Chrobatiæ* in Dalmatia nulla exstet memoria. Nam cum Chrobati IX. Sæculo desciviissent a Serblis, distinctosque Duces sub Francis nacti essent, Serbli quoque *rubræ Chrobatiæ* nomen a Budimiro invectum; sensim antiquarunt, tractumque illum, qui a Zentina flumine ad Drilonem in ortum excurrit, primævo suo vocabulo *Dalmatiam superiorem*, aut *Serbliam Maritimam*, aut particularibus Regionum *Diocliæ*, *Terbuniæ*, *Zachlumiæ*, *Paganiæque* vocabulis, crebrius, familiariusque compellarunt. Ea proinde appelletione velut usu præsenti communius recepta Porphyrogenitus quoque usus est in Libro de Administratione Imperii, quo Romanum filium de situ, ac nominibus Regionum, Provinciarumque, ut suo ævo vigebant, informabat. Cæterum, neque tum vetus divisio, vocabulaque *Albæ*, & *Rubræ Chrobatiæ* ita in desvetudinem penitus abierunt, aut obliterata sunt, ut non memoria eorundem, ususque ad posteriorem ætatem transierit (B): cujus initia nullibi melius, quam in Delmitano Concilio cum Diocleate constitues.

Chrobatiæ quoque in Albam, & Rubram divisio defenditur: atque ex ea scuti Chrobatiæ regni origo deriuatur.

(A) Flavius Blondus, Andreas Dandulus. Et ante hos Joan. Sylizes curopalata ad annum 1071 in Michaele Duca Imperatore, dicens: *Serborum gens, quos etiam Chrobatos vocant, exiit. &c.* & Zonaras: *Gens Chrobatorum, quos nonnulli Servios vocant.* (B) Flavius Blondus Andreas Dandulus, aliisque.

XI. SERBL. Delmitana Synodus, cujus ævum ſæculo VII., & acta ipſa vindicaſti hactenus, tenuit dies ipſos XII. Octonis de Lege Divina, Sacris Literis, Eccleſiarum Statu, & Priuilegiis tractatum eſt: quatuor reſidui in Regnorum Juribus, ac immunitatibus, poteſtate Regis, Banorum, Zupanorum, & Centurionum Officiis, Prouinciarum diviſione, ac Epiſcopatuum, metisque definiendis collocati ſunt: terminataque Synodo Budimirus per manus Legati Apoſtolici Cardinalium, & Epiſcoporum conſecratus, ac diademate regali Serbliæ, Chrobatiæque coronatus eſt (A). Igitur præter baptismum primum, & primævam in Evangelio, ac Fide Chriſti Inſtitutionem, coronam quoque primam Serblia, Chrobatiaque debet Sedi Romanæ, eſtque illi, ab ipſo ſui exordio, Sacro una, ac profano jure devincta: Hoc eſt, quod adhuc ignoravimus; valet vero plurimum ad conciliandos, tam beneficæ in nos ſedi animos, poſtquam ab illa, & Religionis Chriſtianæ Sanctitudo, & Regni faſtigium, Majeſtas, gloria, decusque in nos profluxit.

Synodus Delmitana in dies XII. producta. Ibi Epiſcopi, & Magiſtratus inſtitutus, Budimirus coronatus.

Sanctitas Religionis Chriſtianæ, & Regni faſtigium apud Serblos a Sede Romana.

BVLG. Hoc tu interim alta mente retine, & in bonum gentis tuæ converte. *Budimirus* Rex, poſtquam annos regni XL. (B) partim in Patris conſortio, partim affatis ejus expleuit; anno, poſt celebratum Concilium, proximo 680. (C), cum vita longiore eſſet digniſſimus, humanis ereptus, Succeſſorem in Regnis *Svetolicum* reliquit: cujus nos, & Succeſſorum res, quas nobis vetuſtas reliquas fecit, Colloquio ſequente, compendio perſtringemus, Statumque Religionis, ac Regni Serblici, qui uſque ad IX. ſæculi interregnum viguit, quantum licebit, detegemus.

Obitus Budimiri ad annum 680 ſuccedit Svetolicus.

COL-

(A) Diocleates, quem vide ad finem. (B) Diocleates. (C) Catalogus Romanus Archi-Epiſcoporum Spalatenſium.

COLLOQUIUM SECUNDUM.

DE STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUMA CONCILIO DELMITANO ULTRA MEDIUM IX SÆCULI, SEU INTERREGNUM CIASLAVI.

SERBL. Duplex principum Serbliæ ſeries circumfertur, una a Porphyrogenito, altera a Diocleate contexta. Utrique vix quidquam commune invenio. Hanc ergo, an illam complectemur? Porphyrogenitus, initio per anonymos ducto, ſic ſuam adornavit (A). I. *Cum autem ſub Romanorum poteſtate eſſet Bulgaria* (erat vero ad annum usque 679. quo Bulgari irruperunt) *Servionum principe, qui ad Imperatorem confugerat vita functo*: (Confugerat autem ad Heraclium I. Satimirus) *Filius ipſius ſucceſſit*: (quem nos Budimirum appellavimus) *Mox nepos, & ſic omnes, qui ab eo deſcenderunt: ex quibus poſt annos aliquot fuit Boiſeſtlabus, a quo Radoslabus, a quo Proſegeos, a quo Blaſtimerus*: quem Baſilio I. ad annum 867. æqualem fuiſſe ex eodem Porphyrogenito novimus. At longe diverſam ſeriem, aliosque *Satimiri ac Budimiri* primorum regum Succeſſores deſcripſit Diocleates hoc ordine: *Svetolicum, Vladislavum, Tomiſlavum: Sebeſlaum, Raſbivojum, Vladimirum. Debinc, Caramirum, Tvardoſlaum, Tolimirum: Pribiſtlavum, Creſſimirum, Svetoradum, Radoſlavum, Ciaſlavum:* quo ſub annum 862. ab irrumpentibus Hungaris peremto, ſequutum eſt Serbliæ interregnum: quod etiam Porphyrogenitus (B). innuiſſe videtur, cum de Serblis ad annum 867. in hunc modum ſcribit: *Principes autem hæ gentes non habent, ſed Zupanos ſenes, quemadmodum & reliqui Sclavorum populi.* Ac paucis interjectis ſubdit: *Baptizatis autem ipſis tunc principes deſignavit* (nempe Baſilius I.) *quos vellent, eligerent ex ſtirpe, quam maxime amarent. Atque ex eo tempore principes ipſis ex eadem ſtirpe hodiedum, & non ex alia eliguntur.*

Series principum Serbliæ ex Porphyrogenito.

Item ex Diocleate

BULG. Seriem Regum Serbliæ nunc ex Diocleate abſque annorum nota deſcriptam, Romanus Spalatenſium Archi Epiſcoporum catalogus, cum annos ſingulorum regum definite circumſcribere haud poſſet, in certas annorum epochas digeſſit, redegitque. Igitur inter annos 638. & 680. *Satimirum* primum Serbliæ principem, & *Budimirum* ejus filium concluſit. Inter annos 680. & 774. *Svetolicum, Vladislaum, Tomiſlavum, Sebeſlavum, Raſbivojum, & Vladimirum* conſtituit. Ab anno 774. ad 830. quinque reges congeſſit: *Caramirum, Tvardoſlaum,*

Chronologia eorundem ex Romano Spalatenſium artiſtitum catalogo.

(A) Conſtant. Porphyr. L. de adm. Imp. c. 32. (B) Idem ibidem c. 29.

um, *Tolimirum*, *Pribiſtlavum*, & *Creſſimirum*. Tandem inter annos 830. & 840. *Svetoradum*, & *Radoſlavum*. Ac iterum eundem *Radoſlavum*, & *Ciaſlavum* inter annos 840. & 860. compoſuit. Quo quidem lucis aliquid Diocleati affudit.

SERBL. Probaturne tibi hæc Regum ſeries a Diocleate digeſta, & an defers epochis chronologicis a laudato Catalogi authore conſtitutis?

BULG. Opinor Catalogi authorem annorum epochas, quibus reges Serbliæ concluſit, ſatis apte conſtituiſſe, & vix in pauculis annis deviaſſe: qui, ſi ad indicatos a Diocleate regum annos animum advertiſſet, potuit & ſingulis Regum annos proprios deſcribere, calculo ſatis veriſimili, quemadmodum nos ipſi præeunte Diocleate Reges in ordinem chronologicum reducemus. Nec eſt quod opponam regum ſeriei a Diocleate contextæ: generationum dumtaxat numerum inter annos 774. & 840. ad pauciores reſtringendum pronuncio. Quare in ſua epocha recte ſubſiſtunt *Satimirus*, & *Budimirus* Reges: quorum prior ex Porphyrogenito paulo ante 679. deceſſit: alter vero, cum a Diocleate annos XL. regnaſſe feratur, a patre in Regni conſortium aſſumtus eſt anno 639. Subſiſtunt quoque in aſſignato annorum curriculo *Svetolicus*, *Vladiſlaus*, & *Tomiſlaus*: *Sebeſlaus*, *Rasbivojus* & *Vladimirus*. Nam his omnibus non niſi tres generationes continentur, ut videre eſt ex Tabula I. Regum Serviæ, (A). trium autem generationum commode capax eſt curriculum annorum 94., quod periodo illa intercipitur. At cum in epocha ab anno 774. ad 840. ducta, anni non niſi 66. intercedant, licet ſeptem Regibus *Caramiro*, *Tvardoslavo*, *Tolimiro*, *Pribiſtlavo*, *Creſſimiro*, *Svetorado*, & *Radoſlavo* locus, ac tempus ſatis patens adeſſet, præcipue, cum eorum poſtremus etiam ultra annum 840. regimen produxerit: ſex tamen generationibus, quas hic Diocleates adſtruit, anni nequaquam ſuppetunt. Quare in hujus periodi principibus, non plures tribus generationes ſtatuendas opinor, ſic: ut *Caramirus* pater *Tvardoſlavi*, & *Tolimiri* fuerit; ac proinde *Tolimirus* frater, non vero filius *Tvardoſlavi* exſtiterit: quod idcirco etiam eſt amplectendum, quod Orbinus (B). *Tvardoſlavum* improlem deceſſiſſe affirmet. Deinde, ut *Tolimiri* filius fuerit *Pribiſtlavus*: & ex *Pribiſtlavo* nati ſint tres filii *Creſſimirus*, *Svetoradus*, & *Radoſlavus* (C). cum vel ipſæ annorum 66. anguſtiæ non admittant, ut *Pribiſtlavi* filius *Creſſimirus*: Creſſimiri *Svetoradus*: Svetoradi *Radoſlavus* exſtiterit, ut ſcripſit Diocleates. Nec primus eſt hic Diocleatis error genealogicus, ut mirari ſubeat, ſi corrigatur. Admiſſa vero ad hunc modum genealogiæ emendatione, admitti poteſt regnaſſe omnes ordine a Diocleate indicato. *Ciaslavum* tamen, Radoſlavi filium regnum ultra annum 860. produxiſſe, attigiſſe-

que

(A) vide Tab. I. Reg. Serb. (B) Orbinus in nota marginali p. 213. (C) vide Tab. I. Reg. Serbl.

que 862. evincit Hungarorum irruptio, quæ ante hunc annum non contigit (A), & Ciaslavo mortem, ac Serbliæ interregnum attulit (B).

II. Narrata Diocleatis de Regibus Serbliæ.

SERBL. His, quæ Diocleatem gravabant hactenus, declaratis, experiamur jam, an, quæ is narrat de ſuis regibus, cum fide aliarum hiſtoriarum conſentiant? Narrat *Tomiſlavum* bella geſſiſſe cum *Hungaris*. Narrat *Vladimiri* connubio, quod cum Hungariæ regis filia iniit, pacem inter gentem utramque eſſe compoſitam. *Caramiro* autem rege defeciſſe *Albam Chrobatiam*: ſed a Tvardoſlavo filio receptam. *Creſſimiro* demum regnante progreſſis ex *Iſtria Germanis*, bellum exarſiſſe, quod *Svetoradi* connubio cum filia Ducis Germanorum ſit finitum. Denique *Radoſlavo* rege *Albam Chrobatiam* rebellaſſe, Seditionem movente Bano *Beliſio*: & Radoslavum a filio Ciaſlavo throno dejectum exulem Romam conceſſiſſe, ac vitam illic terminaſſe.

Cum fide aliorum Scriptorum conſentiunt.

BULG. Hæc etiam, quæ prima fronte ficta putes, apprime cum aliarum hiſtoriarum fide conſentiunt, ſi Diocleati recta detur interpretatio. Itaque bella *Tomiſlavi* cum *Hungaris*: & *Vladimiri* cum *Hungara* conjugium de *Hunnis Abaribus* tunc Panoniæ dominantibus exponenda veniunt. Nam gens, quæ hodie *Hungarorum* nomen gerit, *Tomiſlavi* & *Vladimiri* ævo, a Serblia quam longiſſime abfuit, nec Europæ adhuc innotuerat. Apud eundem Scriptorem ſub *Germanorum* vocabulo *Franci* latent: & defectio *Albæ Chrobatiæ*, quæ rege *Caramiro* eveniſſe narratur, aut fuit ipſa occupatio *Iſtriæ*, *Liburniæque* per *Francos*, quam eorum annales ad annum 789. defigunt: aut ejus occaſione Chrobatorum defectio latius ſerpſit. Sed præter *Iſtriam*, & *Liburniam*, quæ in Francorum poteſtate manſerunt, cætera recepit *Tvardoſlavus*, *Creſſimiro* autem regnante, novum bellum cum *Francis* exarſit, qui ad annum 806. *Iſtria* egreſſi, magnam ulterioris quoque *Albæ Chrobatiæ* partem ſuo adjecerunt imperio (C). Sub quorum deinceps clientela poſiti Chrobatæ, proprios rurſus, ac diſtinctos a Serbliæ regibus Duces numerare ceperunt. Ex quibus *Bornam* ordine primum nominatum invenio ad annum 818. Dalmatiæ, Liburniæque principem: tum *Ladiſlavum* nepotem ejus ad annum 821. & ſequentem. Dein *Miſlavum* (D), poſthac Conſtantini Porphyrogeniti *Porinum*, qui crudele Francorum Dominium peroſus, poſt ſeptennii bellum, ut narrat Porphyrogenitus (E): *omnes Francos, eorumque principem Cotzilin e medio ſuſtulit*: Chrobatosque Francorum jugo exemit: & gentem, qua parte adhuc pagana fuerat, per Sacerdotes Roma accerſitos, Chriſto regeneravit ſub annum 832. Sed *Goſſilinum* Comitem, qui ipſe Porphirogeniti *Cotzilin* eſſe debet, non a Porino e medio ſublatum, ſed jubente Ludovico pio anno 834. cum pluribus aliis capite mulctatum refert author

(A). Annales Bertiniani apud Ducheſne T. 3. (B). vide Tab. I. Reg. Serbliæ. (C). Eginhardus (D). vide Tab. II. Ducum, regumque Chrobatiæ. (E). L. de adm. Imp. c. 30. N. 8.

vitæ Ludovici pii (A). *Porinum* in principatu ſequutus eſt *Terpimirus* I. quem rurſus ſub Francorum clientelam rediiſſe indicat diploma ipſius anno 837. editum: cui, quia epocham a regno Lotharii Italico petitam præfixit (B). non obſcurum Francicæ clientelæ teſtimonium præbuit. Quæ de *Radoſlavo* Diocleates commemorat, magnam partem ſtare poſſunt. Stat ergo *Belizium* partis albæ Chrobatiæ, quæ in poteſtate Seblorum adhuc manſerat, Banum fuiſſe, & cum rebellaſſet, armis ſubactum (C). Stat quoque Radoſlavum a Ciaſlavo filio throno dejectum, exulem Romæ vitam clauſiſſe, ac in æde S. Joannis Lateranenſi Sepultura donatum. At, eundem *Paulimiri regis* avum fuiſſe alibi negabimus, præeunte Porphyrogenito, hocque duce genealogiam *Paulimiri* a Diocleate temere conſtructam, corrigemus, veriore ſubſtituta.

SERBL. Diocleatis narrationibus cum fide aliarum hiſtoriarum compoſitis; reliquum eſt, ut moduum, viamque detegas, qua ejus regum Series cum Serie principum a Porphirogenito indicata, concilietur. Multam hactenus perplexis Diocleatis, confuſiſque narrationibus lucem affudiſti; implebis vota omnium, ſi ſeriem utramque concilies. Nec te moretur, quod iſthoc præſentis tui inſtituti non eſt. Dandum eſt amico aliquid etiam extra ordinem poſcenti.

Series principum Porphyrogeniti conciliatur cum ſerie Diocleatis.

BULG. Si anonymos Porphyrogeniti Serbliæ principes ex Diocleatis Serie usque ad *Pribiſtlavum* ſuppleamus, nihil fortaſſis, ſeu in Diocleatem, ſeu in Porphyrogenitum peccabimus. Imo id prorſus cum mente, ac teſtimonio Porphyrogeniti conveniet, qui ſeriem ſuam anonymorum principum a primis Serbliæ regibus diſerte inchoavit, & tacitis nominibus per generationes complures ad *Boiſeſtlabum* uſque perduxit, cum ſic ait (D): *Serviorum principe, qui ad Imperatorem confugerat, vita functo ſucceſſit filius, mox nepos, & ſic omnes, qui ab eo deſcenderunt: ex quibus poſt annos aliquot Boiſeſtlabus.* Sed ſic nondum Porphyrogenitum cum Dioclate ex toto conciliavimus. Id, ut fiat *Boiſeſtlabum* Porphyrogeniti eundem cum *Pribiſtlavo* Diocleatis eſſe pronuncio. Moveor ad hoc affirmandum *primo* ex ipſa ſimilitudines ac vicinitate, quæ eſt inter hæc duo nomina: & qui fortaſſe a Porphyrogenito primitus Scriptus fuit *BRIBESTLABOS* ab aliis ſubinde levi, ac ac facillima literarum permutatione (E). efformatus eſt *BOISESTLABOS.* Deinde, quod ad idem prorſus tempus, hoc eſt, ad finem octavi, & initium noni ſæculi ſpectet *Pribiſtlabus* Diocleatis, & *Boiſeſtlavus* Porphyrogenito. Tandem, quod, ſicut apud Porphyrogenitum Boiſeſtlabi fili-

Boiſeſtlabus Porphyrogeniti eſt idem cum Pribiſtlavo Diocleatis.

(A). Du Cheſne in hiſt. Franc. Script. T. 2. p. 312. (B). Diploma Terpimiri exhibet, Lucius, & ex eo Farlatus. (C). Porphyr. L. cit. n. 10. c. 31. qui inter urbes Chrobatiæ recenſet *Belitzin*: a qua Bani cognomentum fluxit. (D). L. de adm. Imp. c. 32. (E), in locum *R* ſubſtituendo. *O*, & in locum *B*. literam *S*. affirem prorſus.

filius fuit *Radoslavus*; ita quoque apud Diocleatem *Pribiſtlavi* filius debeat eſſe *Radoslavus*, ut antea evicimus.

SERBL. Sit ita, vt ſtatuiſti: fuerint *Pribistlavi filii Creſſimirus*, *Svetoradus*, & *Radoslavus*: at, cur omiſſis *Creſſimiro*, *ac Svetorado*, *Radoslavum* dumtaxat *Boiſeſtlavi* filium commemorauit Porphyrogenitus?

BVLG. Opinor id factum idcirco, quod continuo a patris morte *Radoslavo* Serbliæ montanæ principatus obuenerit, quem ſolum, ac præcipue Porphyrogenitus deſcribendum ſuſceperat. Ex qua eadem cauſa, *Ciaslavum* quoque Radoslavi filium maritimæ Serbliæ Regem a Diocleate relatum ſilentio præterivit, & ſolum *Proſegæm*, montanæ Serbliæ principem attigit, ex quo *Blaſtimeres* (A), qui paucis poſt *Ciaslavi* interregnum annis montanæ ſuæ, quam a patris morte tenuit maritimam quoque Serbliam copulauit (B), & Baſilio I. imperante, ſuffragio populi vtramque moderatus eſt ab anno 868, vt infra dicam. Atque hanc ego vnam, ſi non certiſſimam, probabilem certe Diocleatis cum Porphyrogenito, ipſaque veritate conciliandi rationem, modumque inuenio. Neque tamen vim facio, aut quemquam in noſtram cogo ſententiam. Ad cujus perſpicuitatem nequid deſideretur Tabellam Serbliæ Montanæ Principum ad hanc normam exactam, & cum Diocleate conciliatam, ad calcem adnecto (C).

Porphyrogenitus Montanæ Serviæ Principes præcipue Diocleates Reges Maritimæ perſequitur.

SERBL. His principibus, quorum ſeriem paulo ſupra medium IX. ſæculi deduximus; Statum Regni Serblici liberrimum, & nec Romanis Imperatoribus poſt Heraclium I. nec Bulgaris obnoxium, aut vectigalem fuiſſe diſcimus ex Porphyrogenito (D). Et de Romanis quidem ſic aſſerit: *Ab Imperio Heraclii Imperatoris, uti, cum de Chrebatis, ac Serblis agemus, dicetur: univerſa Dalmatia, nec non finitimæ illis gentes Chrobati, Serbli, Zacalumi, Terbuniotæ, Canalitæ, Diocletani, & Arentani, qui, & Pagani nuncupati ſunt, ditioni Romanæ ſe ſubtraxerunt; quippe, cum Romanum imperium per imperantium tunc temporis ignaviam, & maxime Michaelis Amorienſis Balbi, tantum non expiraſſet; qui Dalmatiam* (nempe Maritimam) *incolebant, ſui juris facti ſunt, nec Romano Imperatori, nec cuiquam alteri ſubjecti. Itidem conterminæ illis gentes Chrobati, Serbli, Zachlumi, Terbuniotæ,*

III.

Poſt Heraclium I. Status regni Serbliæ liber ad medium IX. ſæculi ex Porphyrogenito

(A) Ex Lib. cit. cap. 32. Porphyrogeniti verba ſunt: *Ex quibus poſt annos aliquot Boiſeſtlabus: a quo Rodoslabus: a quo Proſegas: a quo Blaſtimeres.* (B) Ex his, & Diocleate conſtat Serviam montanam ſæpius a Maritima diviſam, rurſumque copulatam fuiſſe. Quod nos etiam Tabula I. Principum Montanæ Serviæ expreſſimus. (C) Vide Tabulam I. Principum Montanæ Serbliæ ex Porphyrogenito Diocleati conciliatam. (D) Lib. de Adm. Imp. cap. 29.

Canalitæ, Diocletani, & Pagani excussis Romani Imperii habenis, liberi, suisque, non alienis legibus usi sunt. Atque hoc ipsum de Chrobatorum, ac Serblorum exemtione a dominatu Bulgarorum tradit libro eodem de Administratione Imperii (A).

Ex aliis uberius explanatur.

BULG. Hoc postremum nos alias in quæstionem vocabimus præeunte ipso Constantino Porphyrogenito. Id sane aliunde constat, ab irruptione Bulgarorum in Romanum Imperium, res Serblorum non leviter labefactatas esse, accisas eorum ditiones, & in angustius contractas, partemque Provinciarum, quæ antea Serbliæ suberant, & veteri Daciæ, ac Mœsiæ superiori respondebant, in jus, nomenque Bulgariæ commigrasse. Accisæ sunt quoque Serviæ vires, ac potentia non mediocriter diminuta est per secessionem bonæ partis Chrobatorum in Illyricum, ac Pannoniam, de qua Porphyrogenitus (B). Deinde Francis occupantibus sæculo VIII. Liburniam, Istriamque; & IX sæculo in Dalmatiam, majoremque Chrobatiæ albæ partem subingressis, novisque ex gente Chrobatorum Ducibus institutis.

SERBL. Tam varius, perturbatusque, cum per hæc sæcula Serbliani Regni Status fuerit, quæ, & an melior facies religionis erat?

Ecclesiæ Serblicæ Status ad medium IX. Sæculi idem fere, qui ab exordio.

BULG. Religio ex prima Institutione, eadem ac invariata mansit, si eos demas, qui post irruptionem Bulgarorum paganorum, ad avitas superstitiones desciverunt. Hierachiæ quoque Ecclesiasticæ per Serbliam idem fere ordo, modusque perstitit, quem Budimiri pietas inuexerat, & Legatus sedis Apostolicæ in conuentu Delmitano Synodali Decreto fixerat. Cujus testem habeo Diocleatem, qui postquam retulit *Budimirum* expletis regiminis annis XL. Diocliæ in Basilica Sanctæ Mariæ Sepultura donatum, & *Svetolicum* filium ibidem in Regem proclamatum, ac Ministerio Archi-Episcopi Diocliæ consecratum fuisse, continuo subdit: *Ex illa die denique mos adolevit, ut in eadem Ecclesia eligerentur, & ordinarentur omnes reges hujus terræ.* Quod sane argumento est, sicut Dioclienses Antistites, ita Reges quoque Serblorum in fide Christi, communione Sedis Apostolicæ, ac in potestate Patriarchæ Romani constanter perduravisse.

Jura Patriarchica a Rom. Episcopis in Serbliam exercita.

SERBL. Romanæ Sedis in gentem Serblorum jura Patriarchica, usu etiam maximarum rerum primo scilicet baptismo Serblorum, præsidio Legati Apostolici in Synodo Delmitana, ac denique Budimiri per manus ejus consecratione, coronationeque, & Episcopatuum institutione, divisioneque corroborata fuisse, extra omne est dubium. Jura eadem confirmauit etiam mos, vsusque successorum regum, qui per

Dio-

(A) Lib. eodem cap. 31. & 32. (B) Lib. eod. cap. 30.

Diocletanos Antiſtites Eccleſiæ Romanæ conjunctos, in æde Principe Sanctæ Mariæ uncti, conſecrati, ac regali diademate inſigniti ſunt longo ordine. At an Heraclius I. Auguſtus, qui ſæculo VII. primus Serblorum gentem Romano Pariarchæ ſubmiſit, jure id, atque ex debito egerit, hoc eſt: quod nunc in quæſtionem voco.

IV. Serblorum Regiones non ad Conſtantinopoleos, ſed Rom. Patriarcham pertinent. Cui Illyricum ſuberat.

BVLG. Ex veteri inſtituto, atque adeo ex æquo, & munere ita egiſſe Heraclium I. exploratum eſt. Noverat enim, & uſu, perpetuo & Oecumenicarum Synodorum decretis, regiones, in quas recens Chr obatos, Serblosque illocauerat cum vniuerſa Illyrico ad jus ſolius Patriarchæ Romani attinere, nec partem in eo habere vllam Conſtantinopoleos antiſtites. Nam poſtquam etiam in II. generali Synodo anno 381. Conſtantinopolitanus Patriarchatus eſt erectus, & per Synodum IV. anno 451. Chalcedone eſt confirmatus, probe noti erant limites, quibus nouus ejus Primatus, ne quando honore abuteretur, eſt circumſcriptus. Nec enim plures, quam tres diœceſes Aſiana, Thracica, Pontica, ac barbarorum Pontum accolentium ejus juriſdictioni aſſignatæ ſun t: verba canonis XXVIII. Chalcedonenſis accipe: *Ut & Ponticæ, & Aſianæ, & Thracicæ Diœceſis Metropolitani ſoli: præterea Epiſcopi Diœceſeon, quæ ſunt inter bubaros, a prædicto Throno Sanctiſſimæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur.*

Diœceſes Conſtantinopolitani ex Can. Conc.

SERBL. Regiones, quas Heraclio I. Serbli inſederunt, nec ad Aſianam, nec ad Ponticam Diœceſim pertinuiſſe palam eſt: at fortaſſe ad Diœceſim, quæ eſt inter barbaros, aut Thracicam, relatæ fuerint? Age igitur, & diæceſeon barbaricarum, ac Thraciæ provincias recenſe, vt de noſtris, quas inſedimus, regionibus, æquum feram judicium, ſemelque pro certo cognoſcam, ad quem iſtæ Patriarchatum ſint referendæ.

Explavantur Provinciæ Barbaricæ.

BULG. Illyrici regiones, in quas Serbli immigrarunt, ſub barbaricarum appellatione canone XXVIII. Chalcedonenſi non veniſſe, tum inde palam eſt, quod, dum condebatur canon, in poteſtate Romani imperii, & chriſtianæ exſtiterint (A); tum & ex fide veſtrorum interpretum ejuſdem canonis Zonaræ, ac Balſamonis, qui diœceſi barbaricæ non aliud adſcripſerunt, quam *Ruſſiam*, *Alaniam*, *Iberiam*, *Abaſgiam*, ceterasque Ponto Euxino affuſas provincias, quæ in barbarorum poteſtate degebant, nec pars imperii Romani cenſebantur. Sed neque ad Thraciæ diœceſim regiones Serblicas connumeratas eſſe certiſſimum eſt. Nam univerſæ imperii notitiæ (B), ſextus inſuper Rufus (C), Hieroclis Grammatici Synecdemus, ipſeque Conſtantinus Porphyrogenitus (D) ore uno ſex dumtaxat, nec plures

(A) Canon 28. conditus eſt in Syn. Chalced. anno 451. (B) Notitiæ Imperii Conſtantini M. Theodoſii, Honorii, & Arcadii. (C) in Breviario. (D). Lib. 2. de Thematibus.

Item Diœceſeos Thraciæ.

Provincias Diœceſi Thracicæ inſcripſerunt, hoc eſt: *Europam*, Thraciæ partem extremam, in qua eſt Byzantium: *Thraciam* proprie dictam: *Rhodopen*: *Hæmimontem*: *Scythiam ponticam*: ac *Myſiam inferiorem*, ſive *ſecundam*. Hierocles urbes ipſas Provinciarum ante Sæculum X. expoſuit: quem ſecutus eſt Porphyrogenitus Lib. 2. de Them. Atque, ut cæterarum Provinciarum Urbes nunc præteream, quæ fuerunt *Myſiæ ſecundæ*, ac *Scythiæ*, ex Hierocle accipe: *Myſiæ*, inquit, *ſecundæ ſub Præſide urbes VIII. Martiaonopolis*, *Odyſſus*, *Doroſtolus*, *Nicopolis*, *Novæ Appiaria*, *Ebrettus*. Ad *pontum* vero *Scythiæ*, *ſub Præſide urbes XV. Tomis*, *Dionyſiopolis*, *Acræ*, *Callatis*, *Iſtrus*, *Conſtantiana*, *Zaldapa*, *Tropus*, *Axiopolis*, *Capidava*, *Carſius*, *Trosmis*, *Noviodunus*, *Ægiſſus*, *Almyris*. Harum autem, ſeu Provinciarum, ſeu urbium nulla a Serblis inſeſſa eſt. Itaque ex laudato Chalcedonenſi Canone Provinciæ Regni Serblici, ſicut extra fines Patriarchæ Conſtantinopolitani erant poſitæ, ita ab ejus jure liberæ, exemptæque fuerant, atque adeo ad Romanum, cujus omne Illyricum fuit, unice, & jure optimo ſpectabant.

Urbes Provinciarum Myſiæ ſecundæ, & Scythiæ ponticæ.

V. Illyricum primitus latiſſime verſus orientem patuit.

SERBL. Illyricum vero, quam late porrectum, quæ ejus Diœceſes, Diœceſeon Provinciæ, ac Provinciarum Urbes? & an omnes Romano Patriarchæ adſcribendæ?

BULG. Illyrici non una ſemper magnitudo, nec conſtans fuit. Crevit, & diminutum eſt, adjectis, vel detractis Provinciis. Tiberius Auguſtus etiam *inferiorem Myſiam* Illyrico adſcripſit, cui, & Strabo, Appianus, ac Svetonius, aliique Scriptores eandem incluſerunt. Imperator Valerianus ipſam quoque Thraciam Illyrico connumeraſſe videtur, cum ad Ablavium de Claudio ſic ſcribit (A). *Deſine conqueri, quod adhuc Claudius eſt tribunus - - Dux factus eſt, & Dux totius Illyrici: habet in poteſtate Thracias, Mœſos, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus.* Ita cum principio rei Chriſtianæ Illyricus latriſſime pateret, longiusque in Orientem procurreret; Conſtantinus magnus Thraciam ejus gremio exemit, ſex Provinciis, quas ſupra enumeravimus, Thraciæ Diœceſi aſſignatis (B). Conjunxit vero idem Illyrico decem, & ſeptem Provincias: *Norici duas*: *Pannoniarum duas*: *Valeriam*: *Saviam*: *Dalmatiam*: *Mœſiam primam*: *Daciarum duas*: *provinciam Macedoniæ*; *Theſſaliæ*: *Achajæ*: *Epyrum primam*, & *ſecundam*: *Provinciam Prævalitanam*, & *Cretam Inſulam*. Quas, & Sextus Rufus in Breviario ſic recenſuit: *Provincias habet Illyricus ſeptem*, & *decem*: *Noricorum duas*: *Pannoniarum duas*: *Valeriam*: *Saviam*: *Dalmatiam*: *Mœſiam*: *Daciarum duas*: & *in Diœceſi Macedoniæ ſunt ſeptem*: *Macedonia*, *Theſſalia*, *Achaja*, *Epyri duæ*, *Pravalis*, & *Creta*. Quibus Jornandes *Dardaniam* a Conſtantino magno, ac Rufo cum cæteris confuſam, permixtamque, diſtincte ſuperaddidit.

A Conſtantino magno contractum ad Provincias XVII.

SERBL.

(A) Apud Trebellium Pollionem. (B) In Notit. Imperii adſcripta Conſtantino M.

SERBL. Cum diviſione Imperii, quæ Honorio, & Arcadio imperantibus obtinuit, quia & Illyricum in Orientale, ac Occidentale diviſum eſt, & illud Orientis, hoc Occidentis Imperio obvenit; fors & hierarchia Illyrici, & Eccleſiaſtica quoque adminiſtratio mutationem aliquam ex diviſione ſubiit? Diviſum in Orientale, & Occidentale.

BULG. Nullam prorſus: nam diviſio regnorum, jura ſacrarum ſedium non dividit, nec perturbat. Manſit ad hæc Illyricus, qualis antea fuit, nil auctis, nil diminutis Provinciis: Illyrico enim Ortentalis Imperii obvenere Diœceſes duæ Macedonica, ac Dacica: in Macedonica Diœceſi Provinciæ erant ſex: *Macedonia*, *Achaja*, *Creta*, *Theſſalia*, *Epyrus vetus*, *ac nova*, & *pars Macedoniæ ſalutaris*. In Diœceſi autem Daciæ fuerunt Provinciæ quinque: *Dacia Mediterranea*, & *Ripenſis*: *Mœſia prima*: *Dardania*: *Prævalis*, & *pars Macedoniæ ſalutaris*. Imperii autem Occidentalis, cum una eſſet Diœceſis Illyrica, e ſex provinciis fuit compoſita: hoc eſt, ex *Pannonia prima*, & *ſecunda*, *Savia*, *Dalmatia*, *Norico Mediteraneo*, & *Ripenſi*. Quæ ſex Provinciæ cum prioribus undecim in unum collectæ, numerum ſeptimum, & decimum implent, poſtquam *Dardania* cum Dacia Ripenſi, ac Mediterranea confuſa, permixtaque, proprium nomen, & Provinciæ numerum amiſit; quam nos tamen claritatis cauſa retinebimus cum Hierocle. Utriusque ulterior diviſio in Diœceſes, & Diœceſeon in Provincias.

SERBL. Expone jam præeunte laudato Scriptore urbes ipſas *Diœceſeos Dacicæ*, provinciarumque huic adſcriptarum: nam has ipſas inſedit gens Serblica cum Dalmatiæ parte Occidentis Illyrico contributa.

BULG. Ex Dacicæ Diœceſeos provinciis, *Mediterranea Dacia* ſub Conſulari urbes habuit V. *Sardicam* Metropolim, *Pantaliam*, *Germe* ſeu Germaniam, *Naiſſum*, atque *Remeſianam*. *Ripenſis Dacia* perinde ſub Conſulari urbes numerabat V. *Raziariam* metropolim, quam Porphyrogenitus *Raſe* vocat, nec obſcure tradit fuiſſ Bulgariæ, Serbliæque limitem: *Momopiam* ſeu Benopiam: *Acoenes*: *Caſtra Martis*: *Idaum* vel Iscum. Provinciæ *Dardaniæ* ſub Præſide vrbes erant tres: *Scupon* metropolis: *Marion*, & *Ulpiana*. Provinciæ *Prævalis* ſub Præſide pariter III. urbes: *Scodra*: *Liſſus Doracion*. Demum Provincia *Moeſiæ primæ* cenſuit ſub Præſide urbes V. ſcilicet: *Viminacium* metropolim, *Singidonum*, *Gratianam*, *Tricornium*, & *Orthomarchum*. Has vero provincias, urbesque cum gens Serblica magnam partem tenuerit, & Dalmatiam, qua in ortum vergit, Illyrico incluſas: quid aliud eſt conſequens, quam, ut Romano Patriarchæ ſubſit, in cujus ſolius ditione, poteſtateque fuit inde a pimis temporibus, omne, quam late patet, Illyricum. Provinciæ Diœceſeos Dacicæ, eſque provinciarum urbes.

SERBL. Hoc vero eſt, quod Græci, ac noſtrates eorum ſtudioſi pernegant. Nam poſt Imperii, Illyricique diviſionem; Ori- VI. Diviſio Il-

lyrici in Orien. & Occid. nil Rom. Patriarchæ juribus detractum.

entale Illyricum ejusque *Diœceſim Dacicam* Romano ſubductam, in Jus Patriarchæ Conſtantinopolitani migraſſe tradunt, ac præcipue, poſtquam Theodoſius II. Auguſtus Anno CCCCXXI. lege XLV. ſanxit, ut ſiquid dubii per ſui Illyrici Provincias in quæſtionum Canonicarum examine emergeret, illud non a ſingularibus Epiſcopis, quin, neque a Synodis Provincialibus, verum a conventu Sacerdotum totius Diœceſeos Illyricanæ diſcuteretur, peractaque diſcuſſione, & ſententia expoſita, controverſia tota Conſtantinopolim transmitteretur & Judicio Patriarchæ ſubſterneretur qui ut, Theodoſius ajebat, *Romæ veteri prærogativa fruitur.*

Sed nec Lex Theodoſii II.

BULG. Ne te quid prætereat, rem omnem ab ovo exordior. Diviſio Illyrici in Orientale, ac Occidentale jam Anno CCCLXXIX. invecta (A) Epiſcopis Conſtantinopolitanis cupiditatem injecit, ſedi ſuæ vindicandi Orientale Illyricum. Neque ſemel hoc ab iis tentatum eſt, poſt adeptum Patriarchatus Honorem (B). Damaſus per id tempus Papa, ut his illorum Conſiliis obviaret, Theſſalonicæ Archi-Epiſcopum Acholium, Vicarium Sedis Apoſtolicæ pro Illyrico conſtituit (C): quæ dignitas Siricio, Anaſtaſio, Innocentio, & Zoſimo Pontificibus curſum ſuum Theſſalonicæ feliciter tenuit. At Bonifacio Pontifice Romano, & Rufo Theſſalonicæ vices apoſtolicas gerente graves motus exorti ſunt, Illyricianis Epiſcopis, Papæ Bonifacii ſtatutis quibusdam per Rufum vulgatis, acriter refragantibus: quorum audacia per Bonifacii literas, non modo compreſſa non eſt, ſed & crevit, ſummumque in periculum authoritatem Apoſtolicam adduxit: peroſi enim Vicariatum Rufi, Epiſcopi Illyrici, Imperatorem Theodoſium II. alioquin augendi Conſtantinopolitani antiſtitis percupidum, denique ad Legem XLV. emittendam impulerunt (D). Legis ejus parte prima cavebat Auguſtus, ut in Provincias Illyrici antiqui Canones vim obtineant: parte vero altera decernebat, ut dubia in Canonum interpretatione occurrentia non unius Metropotani Judicio, ſed Synodi totius Illyricianæ Diœceſeos expendantur, atque inde relatio ad Conſtantinopolitanum transmittatur: quo quidem antiqui Canones quam maxime lædebantur. Verum vix lege miſſa, cum ab Honorio auguſto Socero admonitus fuiſſet de ſubreptione, & fallacia Illyrici Epiſcoporum, ac injuria, quæ Romano Pontifici eo Canone irrogabatur (E) continuo ab incepto deſtitit, & lege antiquata, vim ei omnem detraxit, moremque vetuſtum per omnia

(A). Sozomenus L. 7. c. 5. Theodoret. L. 5. c. 5. Ludov. Du Meſnil Doctr, & diſcip. Eccleſiæ. (B) Conc. Conſtant. anni 381. c. 3. (C) Epiſtolæ Damaſi od Acolium Theſſ. in Hiſt. Rom. bipartita apud Eman. Sehlſtratii in antiqu. Eccl. (D) Cod. Theodos. (E) Honorii auguſti patrui Epiſtolam ad Theodoſium II. hujusque reſcriptum ad Honorium publicavit Holſtenius in Collectione Romana pag. 81. & ſeq.

mnia obtinere juſſit: quod datis ad Honorium auguſtum literis anno CCCCXXII. his verbis teſtatus eſt: *Omni ſupplicantium Epiſcoporum ſubreptione remota, ſtatuimus obſervari, quod priſca Apoſtolica diſciplina, & canones veteres eloquuntur. Super qua re, ſecundum formam oraculi perennitatis tuæ ad viros illuſtres Præfectos Prætorii Illyrici noſtri ſcripta porreximus, ut ceſſantibus Epiſcoporum ſubreptionibus, antiquum ordinem ſpecialiter faciant cuſtodiri.* Quare, & poſt Bonifacium Romani antiſtites Cœleſtinus, Sixtus, Leo, & qui hos ſequuti ſunt, veſtigiis anteceſſorum inſiſtentes, neglecto Conſtantinopolitano, vices ſuas Theſſalonicenſibus deferre non deſtiterunt. Sed nec Chalcedonenſis Synodus celebrata anno CCCCLI. quanquam recenti memoria, legis ejus rationem aliquam habuit: nam Canone XXVIII. quo maxime Conſtantinopolitani authoritas amplificata eſt, eodem etiam limites, intra fines trium diœceſeon *Aſianæ*, *Ponticæ*, *Thraciæ*, ac *Barbarorum*, primatui ejus circumducti ſunt.

Quam Theodoſius retractavit.

Vicarius Apoſtolicus a Damaſo P. Theſſalonicæ ſtetit ad Juſtinianum I.

SERBL. Ad Theodoſianam nihilominus legem ſe noſtri applicant, qui Serblianos in orientali Illyrico, ipſaque ejus Diœceſi Dacica illocatos, malunt Conſtantinopolitano, quam Romano Patriarchæ ſubeſſe.

BULG. Immemores vero illi ſunt retractationis Theodoſianæ, cujus paulo ante meminimus. Sed nec ad notitiam eorum perveniſſe videtur novella conſtitutio XI. Juſtiniani I. emiſſa Beliſario urbis Conſule (A) quæ Theodoſianam legem, ſi quem illa unquam habuiſſet vigorem, antiquavit, & funditus evertit. Juſtinianus cum amplificandæ patriæ ſuæ ſtudio cumprimis teneretur, Præfecturam Prætorii Illyrici, Theſſalonica in *Juſtinianam primam* nutricem ſuam transtulit; Catellinum ejus urbis Epiſcopum ad honorem, gradumque Archi-Epiſcopi provexit, ejusque authoritati ſupremæ ſuppoſuit provincias *Daciæ Ripenſis*, ac *Mediterraneæ*, *Mœſiam primam*, *Dardaniam*, provinciam *Prævalitanam*, *ſecundam Macedoniam* (B), & partem etiam *ſecundæ Pannoniæ*, in qua, ut Hierocles loquitur, ſunt *Syrmis* & *Baſſiana* urbes: atque, ut eidem Archi-Epiſcopo vices Sedis Apoſtolicæ delegaret ab Agapeto Papa ardenter expetiit, & a Vigilio demum impetravit, ut conſtat ex ejusdem Auguſti novella conſtitutione CXXXI. cujus verba ſunt: *Beatiſſimus Archi-Epiſcopus primæ Juſtinianæ Patriæ noſtræ, ſemper ſub ſua Jurisdictione habeat Epiſcopos provinciarum Daciæ Mediterraneæ & Daciæ Ripenſis, Præbalis, & Dardaniæ, KAE MYSIAS TIS ANTERAS*, hoc eſt: *Myſiæ Superioris, & ab ipſo ordinentur, ipſe vero a proprio ordinetur Concilio, & in ſubjectis ſibi provinciis, locum obtineat Sedis Apoſtolicæ Romæ, ſecundum quod definitum eſt a ſummo Papa Vigilio.*

VII. Ab hoc patriæ ſuæ Juſtinianæ primæ invectus.

Ejus provinciæ.

SERBL.

(A) Anno 535. (B) Urbes ſecundæ Macedoniæ Hierocles octo ſequentes enumerat: *Stolos*, *Argos*, *Euſtrajon*, *Pelagoniam*, *Bargelam*, *Celenidem*, *Hermoniam*, *Zaparam*: ex quibus fines, & circumſcriptio ſecundæ Macedoniæ dignoſcitur.

Prævalitanæ Provinciæ urbes.

SERBL. Si *Præbalis*, igitur & *Diocletanus* Epiſcopus cum ſuo Metropolita *Scodrenſi*, qui pars Prævalitanæ Provinciæ fuere, in jus, & poteſtatem Archi-Epiſcopi, ac Vicarii Apoſtolici *Juſtinianæ primæ* conceſſere. An vero hæc gubernandi forma per Vicarios Apoſtolicos Diœceſes Illyrici diu ſubſiſtit? Si ea ad Heraclii I. tempora viguit, cur is non Juſtinianæ primæ Archi-Epiſcopi opera in baptizandis Serblis uti voluit, ſed Roma Sacerdotes accerſivit?

BULG. Ad Bulgaricam uſque irruptionem in imperium, Prævalitanam provinciam cum ſuis urbibus *Scodra*, ac *Dioclia*, Juſtinianæ primæ Archi-Epiſcopo, ac Vicario Apoſtolico paruiſſe, ne dubita. Docent id præter alia, literæ Gregorii I. Papæ ad Joannem primæ Juſtinianæ, & Conſtantinum Scodrenſem datæ (A) in cauſa Pauli Diocletani Epiſcopi Indictione V. anno Pontificatus XII. (B). Hic poſtquam ob confeſſum carnis crimen Sententia Epiſcoporum depoſitus, & Neemeſion de conſenſu Joannis in Diocliæ Epiſcopum ordinatus eſt; vi, ac potentia, prædonis more, ſedem ingreſſus, Eccleſiam ſpoliaſſe, & Neemeſionem ad necem quæſiſſe, ferebatur: quibus intellectis Gregorius Papa examen cauſæ totius detulit Joanni Archi-Epiſcopo Vicario ſuo Apoſtolico, & re comperta, Paulum Monaſterio includi, ſubrepta Eccleſiæ reſtitui, ac Neemeſionem in ſedem reponi juſſit. Conſtantino autem Scodrenſi, velut Motropolitæ, in mandatis dedit, ut ſcriptorum exemplaria, quæ ipſe ad Joannem Vices Apoſtolicas tenentem transmiſerat, diligenter relegat, ac executioni mandet: atque, ſi executio, adverſantibus obſtaculis locum habere nequeat, ſcripta univerſa Vicario Apoſtolico in manus reſtituat. Hactenus Gregorius. Quanquam vero hæc Eccleſiaſtica Hierarchia, & gubernandi forma ante Irruptionem Bulgaricam, annumque 679. non deſierit, Heraclius tamen anno 640 non a *prima Juſtiniana*, ſed *Roma* Sacerdotes ad Serblorum converſionem accerſivit, quod nec Serblorum regio univerſa a Juſtinianæ Archi-Epiſcopo penderet, minime vero Chrobatia, cui, Serbliæque una opera Miniſterium ſalutis impendi voluit. Imperante autem Conſtantino Pogonato, cum anno 679 Bulgari pagani *Mœſias*, *Dardaniam*, *Dacias*, *magnamque Macedoniæ partem* ſuo ſubjugaſſent imperio, depulsis tota fere regione Epiſcopis; Eccleſiaſtica Illyrii Dacici hierarchia convulſa eſt: & ſub tempus idem *Dioclia* in *Delmitana Synodo*, in Serbliæ metropolim provecta, ſui juris evaſit. Sic autem everſo Vicariatu Apoſtolico in *Juſtiniana prima*; forma per Vicarios Apoſtolicos gubernandi reſiduas Orientalis Illyrici Eccleſias non deſiit, ſed crevit potius auctaque eſt, atque in ipſam etiam Imperialem, ac Patriarchalem urbem propagata fuit: jam enim mos inolevera: illuc etiam Apoſtolicos Vicarios immittere, nec hoc ad pompam duntaxat, ſed ad felicius inde velut e ſpecula gubernandas cunctas imperii Eccleſias, ut teſtis

Vicariatus Apoſtolicus Juſtinianæ primæ, Bulgarorum irruptione convulſus eſt.

Et Dioclia ſui juris facta eſt in Delmi Synodo, & Archi-Epiſcopatus Serviæ.

(A) Gregorii I. P. ep. 84. & 85. (B) Eſt annus ſalutis 602.

teſtis eſt Epiſtola Conſtantini Pogonati ad Leonem II. Pontificem data (A) verba Imperatoris ſunt: *Hortamur porro veſtram Sanctiſſimam Summitatem, ut quamprimum mittat, quem deſignare ſolet Apocriſiarium: ut is in Regia, & a Deo conſervata noſtra urbe degat: & in emergentibus, ſive dogmaticis, ſive canonicis, ac prorſus Eccleſiaſticis omnibus negotiis veſtræ Sanctitatis perſonam referat.* Vicarii Apoſtolici Conſtantinopoli.

SERBL. Poſtquam & uſu vetuſtiſſimo, & Sacris Canonibus, & piis Auguſtorum Sanctionibus, ac more perpetuo Illyricum omne Patriarchæ Romano vindicaſti: qui factum igitur, ut in has etiam regiones, quas Bulgari, Serblique obtinemus, Conſtontinopolitanus Epiſcopus ſe denique immiſcuerit, implicueritque?

BULG. Irruptio Bulgarorum in utramque Myſiam, Dacias, Dardaniam, Macedoniam, ac Theſſaliam ſub annum 679. cum pagani, & admodum feroces eſſent, ejectis tota Regione Epiſcopis, difficilem, & vix pervium Romanis Pontificibus tractum illum terrarum reddiderunt. At, impia Iconomachorum hæreſis a Leone Iſauro Imperatore ſub annum 727 invecta, ſub Conſtantino Copronymo, & Leone Chazaro propagata, aditum pœne omnem in maximam Illyrici partem Sedi Apoſtolicæ præcluſit, poſtquam Leo Iſaurus, ſive Italiæ, Romæque defectione. quam Papæ Gregorio II. tribuebat, ſive acribus ejus objurgationibus, conſtantique defenſione ſacrarum iconum provocatus; anno DCCXXX Illyricum univerſum, imo quidquid ditionum Imperio Orientis ſuberat, jurisdictioni Sedis Apoſtolicæ ſubduxit avulſitque. VIII. Irruptio Bulgarorum Paganorum, & hæreſis Iconomachorum Illyricum præcluſit Patriarchis Romanis.

SERBL. At, meliore Eccleſiæ facie reſtituta ſub Irene, & Conſtantino auguſtis, celebrato Nicææ anno DCCLXXXVII. Concilio adverſus Iconoclaſtas; & error proſtratus, & ſua Romano antiſiti jura in Illyricum reddita fuerint.

BULG. Occaſionem quidem, quæ hac rerum in melius converſione oblata videbatur, vacuam non dimiſit Hadrianus I. Exſtat ejus Epiſtola ad Principes (B), qua jura Sedis ſuæ in ereptas provincias repetebat, atque in integrum reſtitui poſtulabat. At fruſtra id fuit: ſopita, non exſtincta erat Iconomachorum hæreſis, quæ paucis poſt annis a Leone Armeno revecta, ſub Michaele Balbo, ac Theophylo robur novum, viresque reſumſit; nec niſi auſpiciis Theodoræ piiſſimæ Auguſtæ, ac Methodii Conſtantinopoleos Patriarchæ conatibus ſub an. DCCCXLII. penitus profligata eſt, ſacris imaginibus antiquo honori reſtitutis. Quod Hadrianus I. fruſtra repetiit.

(A) Sedit Leo II. inter annos Chriſti 682. & 84. (B) Hadriani I. Epiſt. incipit: *Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere.* Data Ind. IX. anno 786. & anno ſequente recitata in Synodo VII. Act. 2.

SERBL. Quando aris ſacræ icones per piam principem, ſanctumque antiſtitem ſunt reſtitutæ, æquum erat, ut & paſtori ſuo veteri Illyriciana Diœceſis, cæteraque per hæreticos Imperatores avulſa poſtliminio redderentur. Quæ ſi reddita non ſunt, cauſa nec una fors, nec levis ſubeſſe debuit.

Uti & Nicolaus I.

BULG. Nicolaum I. Romanum Pontificem anno DCCCLX a Michaele Auguſto III. repetiviſſe Illyricum expoſitis diſertis Sedis Apoſtolicæ juribus, uſuque vetuſtiſſimo, exploratum eſt ex ejusdem literis ad Auguſtum (A): *Oportet*, inquiebat, *veſtrum imperiale decus, quod in omnibus Eccleſiaſticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem noſtra Eccleſia habuit, veſtris temporibus reſtaurare dignemini: quatenus vicem, quam noſtra Sedes per Epiſcopos veſtris in partibus conſtitutos habuit, videlicet Theſſalonicenſem, qui Romanæ Sedis vicem per Epyrum veterem, Epyrumque novam, atque Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, Daciam ripenſem, Daciamque mediterraneam, Moeſiam, Dardaniam, Prævalim: Beato Petro Apoſtolorum principi contradicere nullus præſumat: quæ anteceſſorum noſtrorum temporibus ſcilicet: Damaſi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cœleſtini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis, & Hormisdæ Sanctorum Pontificum Sacris diſpoſitionibus regebatur. Quorum denique inſtitutiones, ab eis, illis in partibus deſtinatas, per miſſos noſtros, ut rei veritatem cognoſcere valeatis, veſtræ auguſtali potentiæ dirigere curavimus. Præterea Calabritanum Patrimonium & Siculum, quæque noſtræ Eccleſiæ conceſſa fuerunt, & ea poſſidenda obtinuit, & diſponendo per ſuos familiares regere ſtuduit, veſtris conceſſionibus reddantur &c.* De Vicariatu Apoſtolico *Juſtinianæ primæ* invecto, altum tacet, quod urbs ea regionesque non jam in Imperii Conſtantinopolitani, ſed Bulgarorum poteſtate degerent. At his etiam nihil profectum eſt: nam Conſtantinopolitani Auguſti, Præſulesque, qui Illyricum velut deſertam arenam adierant, nullis ſive Hadriani, ſive Nicolai jura ſua vetera allegantium argumentis precibusve adduci poterant, ut a capta ſemel Poſſeſſione Illyrici dimoveri ſe ſinerent. Igitur abdicatis etiam erroribus, & profligata Iconomachica hæreſi, piiſſimi quoque Principes antiſtitesque mori recepto, & plusquam Sæculi ſpatio confirmato inſiſtendum putaverunt, Illyricianusque Diœceſes, quas injuria occupaverant, vi, ac potentia potius, quam æquitate Conſtantinopolitano aſſeruerunt ac defenderunt.

SERBL. Etſi cauſæ, quæ Conſtantinopolitanos ad retinendum Illyricum permoverunt, ignotæ mihi ſint, non defuiſſe tamen legitimas arbitror.

BULG.

(A) Nicolai I. Epiſt. incipit: *Principium itaque divinæ poteſtatis.* Data Ind. IX. anno 860.

BULG. In pauca colligam, quæ illos moviſſe poterant. Igitur hoc primum fuiſſe opinor, quod ritus Græcorum, & olim late diffuſus in regionibus Illyrici viguerit; & ſpatio ſesqui Sæculi illius infelicis, quo hæreſis Orientali dominabatur imperio, multo latius per Bulgariam, Serbliamque propagatus ſit, omneque pene Illyricum compleverit, cum ſacerdotes, ac monachi ordinationis Conſtantinopolitanæ ſacrarum iconum cultores, tyrannidem Iconomachorum fugientes, in has regiones, velut aſyli, perfugiique locum ſe infuderunt. Et tunc quidem per pios illos exules, & fidei chriſtianæ ſemina apud Bulgaros paganos jacta ſunt, & ritus Græcanicus mirum in modum eſt dilatatus. Deinde quod plus decreto imperiali Leonis Iſauri, quam canonicis ſanctionibus hac parte deferendum ducerent. Fuit præterea, ſicut occupatio, ita & obfirmata detentio diœceſeos Illyricianæ, velut vindicta quædam de Romanis Pontificibus, qui Francos in Italiam acciverant, & Imperii Romani coronam, non ſine acerbo Conſtantinopolitanorum vulnere, Carolo Magno ad cæteras addiderunt. Huc demum faciebat, quod videretur magis e re imperii fore, ſi totum quam late patebat imperium, domeſtico Patriarchæ ſubderetur, regiones vero, quas Bulgari decerpſerant, eripuerantque, cum profano jam non poſſent, ſacro tamen ſaltem coercerent imperio, & in communione ſua continerent. Nulla itaque jam ſpes affulgebat, provincias illas Romano Patriarchæ vindicandi, niſi ipſæ gentes Romano ſe ultro Pontifici ſubmitterent.

Cauſæ, ob quas Rom. Patriarchæ Illyricum redditum non eſt.

IX.

SERBL. Michael Bogor, princeps Bulgarorum paucis poſt annis miſſo avitis ſuperſtitionibus nuncio, Chriſti fide ſuſcepta, primus, ſi recte memini, magnam Illyricianæ diœceſeos partem, quam gens ejus ante duo fere Sæcula inſederat, Sedi Apoſtolicæ reſtituit, cum a Nicolao I. anno 866. ſacerdotes, ſacra, & canonica inſtituta ardore magno ſibi, ac genti ſuæ expetiit, ſuſcepitque.

Michael Rex Bulgariæ Sacra Chriſtiana complexus, Regnum ſuum Rom. Patriarchæ ſubmittit.

BULG. Verum, nec hæc poſſeſſio pacata, aut longi emporis fuit, nam Bulgaria, quæ ſe Nicolao I. velut legitimo paſtori, ac Patriarchæ tradiderat, a Succeſſore Hadriano II. amiſſa eſt.

Mox tamen in dubium de Diœceſi incidit: & Sententiam Patriarcharum exquirit.

SERBL. Unde vero, quibusve cauſis factum, ut Bulgari a Romano Patriarcha celeritate tanta ad Conſtantinopolitanum deſciſcerent, quadriennio vixdum evoluto?

BULG. Ut hoc denique eveniret, non una cauſa interceſſit. Primam, præcipuamque facile fuiſſe dixero, quod Formoſus Portuenſis Epiſcopus, gentis Apoſtolus, quem tanto ardore Rex Michael a Papa Patriarcham expetiverat, obtineri non potuit. Sed nec Marinus Diaconus, quem pari ſtudio Rex poſtea optaverat, conceſſus ſit. Ergo ea Romanorum Pontificum cunctatio, tergiverſatioque rem bene ceptam primum corrupit. His acceſſere conatus Græcorum Imperatoris Baſilii I. quos ille omnes ad diœceſim Bulgaricam, Conſtantinopoli conſociandam

dam convertit. Hujus enim artibus id denique perfectum eſt, ut Rex Michael piiſſimus dubitare ceperit, ad cujus denique Patriarchæ jura ditiones ſuæ pertineant, atque ideo ſententiam Patriarcharum, qui cum Legatis Apoſtolicis collecti, Conſtantinopoli Synodum celebrabant; ſuper Diœceſi Bulgarica, per Legatos ſuos exquirendam duxerit. Ibi, cum abſoluto jam Concilio Legati Bulgarorum, ſuum, Regisque dubium proponunt, & quæſtio partem in omnem ventilatur, ſententia a Patriarchis Orientalibus pro Conſtantinopolitano pronunciata, Romani Pontificis jura non leviter afflixit, quæ denique proſtravit penitus Grimoaldi Latini Epiſcopi, qui tunc apud Bulgaros degebat, perfidia: is enim multis Græcorum muneribus corruptus, non abactus a Græcis, aut Bulgaris, ſed ſuopte Bulgaria omni deceſſit, & Presbyteros, ut idem agerent, ſolumque verterent, impulit, prætextu, fallaciaque deliberatæ per Synodum ſententiæ (A).

SERBL. Ad Concilium, reſtituto in ſedem ſuam S. Ignatio, coactum anno DCCCLXIX., & ſequenti demum terminatum, acceſſiſſe Michaelis Bulgariæ principis legatos, peractoque Concilio, quæſtionem de Bulgarica Diœceſi propoſitam, inter Legatos Apoſtolicos, & Orientis Patriarchas diſceptatam, pronunciatamque fuiſſe pro Sede Conſtantinopolitana, probe memini, fruſtra intercedentibus, atque etiam refragantibus Legatis Pontificiis. Tu mihi in memoriam paucis revoca argumenta, quæ in utramque partem prolata ſunt.

Quæſtio propoſita inter Vicarios Orientales, Legatos Apoſtolicos diſceptatur.

BULG Cum Legati Michaelis, poſt ſalutationis officia dubium ſuum de Diœceſi propoſuiſſent Patribus: Apoſtolici Legati, ad Romanum Patriarcham eos pertinere, tam ex uſu veteri, quam & propria eorundem electione definierunt. At Vicarii Orientalium Patriarcharum haud aquieſcentes deciſioni, ex Bulgaris quæſierunt: *Quando vos illam patriam cepiſtis, cujus poteſtati ſubdita erat? & utrum Latinos, an Græcos Sacerdotes habuerit, dicete?* Illis vero reſpondentibus: *Nos illam patriam a Græcorum poteſtate armis evicimus: in qua non Latinos, ſed Græcos Sacerdotes reperimus.* Hinc vero prima Orientalium ſententia fluxit: *Si Græcos Sacerdotes ibi reperiſtis, manifeſtum eſt, quia ex ordinatione Conſtantinopoleos illa patria fuit.* Sed cum Legati Pontificii illationis fallaciam detexiſſent exemplo complurium Græcæ nationis, ac ritus Eccleſiarum, quæ ab olim in eum diem Romano Patriarchæ parebant; oſtenderunt in Patriarchatuum finibus ſtatuendis, nec ritus, nec nationis, linguarum, aut imperii rationem habendam; ſed uſus antiquiſſimi, & Eccleſiaſticorum Canouum, qui Sacrarum ſedium limites fixerunt: *Ex decretalibus autem*, ajebant Romani Legati, *doceri poteritis, quod Sedes Apoſtolica utramque Epyrum novam, & veterem,* to-

(A) Guilielmus Bibliothe. in vita Hadriani II.

totam Theſſaliam, atque Dardaniam, in qua & civitas demonſtratur, cujus nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur; antiquitus Canonice ordinavit, & obtinuit, & per hoc ordinationem, quam tunc paganorum Bulgarorum irruptione amiſerat; non a Conſtantinopolitana Eccleſia, ut modo fingitur, abſtulit, ſed ab his modo factis Chriſtianis recepit. Huic vetuſtiſſimo juri ſacris Canonibus ſuffulto, imo & Legibus Imperialibus de ordinandis Eccleſiis etiam Græcanicis per omne Illyricum confirmato; vim præterea, pondusque addidere Legati ex ſpontanea Michaelis Bulgariæ, Regis acceſſione ad Patriarcham Romanum Nicolaum, hujusque ſuſceptis in illa Provincia Apoſtolis laboribus; Epiſcopis denique, ac Sacerdotibus in eadem tunc degentibus, adeoque uſu etiam præſenti. Quibus quidem argumenta Vicariorum Orientalium, ex ritu Græcanico, qui ab olim illic viguit; jure item Conſtantinopolitanorum Imperatorum in eas quondam provincias, plene enervarunt.

SERBL. Enervatis vero his Orientalium argumentis, unde factum nihilominus, ut in adverſam Sententiam proruperint Vicarii Orientis?

BULG. Multum in animis illorum auguſti præſentia potuit: odium deinde ob arctiorem ſedis Romanæ cum Francis conjunctionem plus valuit, quam cauſæ æquitas: quare in hanc demum ſententiam proruperunt. *Satis indecens eſt, ut vos, qui Græcorum Imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in Regno noſtri principis ordinandi jura ſervetis. Quapropter Bulgarorum patriam, quam ex Græcorum poteſtate dudum fuiſſe, & Græcos Sacerdotes habuiſſe comperimus; Sanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, a qua per paganiſmum receſſerat, nunc per Chriſtianismum reſtitui judicamus.* Bulgarica Diœceſis per Vicarios Orientales Conſtantinopolitano adjudicatur.

SERBL. Boni viri, iniqui judices, Bulgaricam Diœceſim irruptione Bulgarorum paganorum, ereptam Conſtantinopolitano Anſtiti non docetis; ſatis namque conſtat per Juſtinianæ primæ Archi-Epiſcopos, eosdemque Vicarios Apoſtolicos Diœceſim Dacicam gubernatam fuiſſe: unde ergo, & quo momento reſtituendam Conſtantinopolitano judicatis? Iniquæ, nec veritati, ſed odio, æmulationeque Francorum ſubnixæ ſententiæ reclamaſſe Sedis Apoſtolicæ Legatos non dubito.

BULG. Reclamarunt: tum, quod manifeſte iniqua eſſet, tum, quod a Judicibus inferioribus, non electis, nec admiſſis, quin &, gratia metuve corruptis, & contra ſanctiones Canonicas lata eſſet. Nec reclamarunt utcunque, verum & Authoritate Sancti Spiritus irritam daclararunt, cauſæ totius judicio Sedi Apoſtolicæ reſervato. Ignatium autem, Sanctum illum Patriarcham, porrectis Hadriani II. Frustra reclamantibus Legatis Apoſtolicis

Papæ Literis ab omni Bulgariæ Ordinatione prohibuerunt. Et Epiſtolam quidem Apoſtolicam reverenter ſuſcepit Ignatius, legere tamen diſtulit, hocque tunc in publicum reſponſum protulit: *Abſit a me, ut ego bis præſumtionibus contra decorem Sedis Apoſtolicæ implicer: qui nec ita juveniliter ago, ut mihi ſubripi valeat; nec ita ſeniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo, ipſe committam.* Quibus quidem cauſæ implicatæ accuratius examen a ſe ineundum ſignificavit, acturumque, quod ex æquo, & juſto compererit. Atque hunc finem habuit Colloquium illud. Nec tamen Sanctus Patriarcha a more, quem Iconoclaſtarum hæreſis, & Leonis Iſauri Decretum invexerat, ordinandi Eccleſias Illyrici, Bulgariæque deſtitit, licet vetantibus, imo & cenſuras comminantibus Hadriano æque, ac Joanne VIII. Pontificibus, cujus poſtremi, antequam adferrentur Literæ, vitam ſancte concluſit Ignatius.

SERBL. Abſtractæ a Romano Patriarcha Diœceſis Bulgaricæ tempus, cauſas, modum, ſeriemque omnem te præeunte didici. Reliquum eſt, ut Serblicæ Eccleſiæ tranſitum, transeundi cauſas, modumque evolvas. Nam, & hanc Patriarchæ Conſtantinopoleos per eadem tempora acceſſiſſe pro comperto habeo.

X. Patriarchæ Romani jura in Serbliam quoque labefactavit irruptio Bulgarica, & hæreſis iconomachorum.

BULG. Labefactavit quidem & per Serbliam Sedis Romanæ jurisdictionem Patriarchicam paganorum Bulgarorum irruptio, & quæ ſecuta eſt Iconoclaſtarum hæreſis; & pii illi Orthodoxique Conſtantinopolitani Sacerdotes, ac Monachi, qui hæreticorum tyrannidem fugientes, in Serbliam magno ſe numero infuderunt. At, alia inſuper, & peculiaris cauſa movit, ut Serblia Imperio æque, a quo dudum deſciverat, ac Sacerdotio Conſtantinopolitano ſe arctius adjungeret, metus ſcilicet Saracenorum, quorum claſſis ſub ultimos Michaelis III. annos ex Africa in Dalmaticum mare invecta Diocletanæ Serblorum provinciæ urbes, *Butuam*, & *Roſam*, ac inferius *Decatera* everterat, & jam obſidione diuturna *Raguſium* ipſum premebat, majoraque in dies genti univerſæ detrimenta minabatur. His ergo malis periculisque commoti, & ipſi cum Raguſæis Legatos ad Michaelem Auguſtum deſtinant auxilium, opemque imploraturi. Quæ, cum a Baſilio I. qui ſub idem tempus perempto Michaeli ſucceſſerat, continuo addicta fuiſſent, & Nicetas Oripha ad claſſem validam in hoſtes educendam, mandata accepiſſet; ſolaque legationis iſtius, ac imperialium axiliorum fama barbari obſidionem ſolviſſent velis retro converſis: Chrobati, Serblique ea Imperatoris humanitate, beneficioque devincti per Oratores ſuos Conſtantinopolim ablegatos, ultra ſe, ſuaque auguſto tam pio, tam potenti ſubmiſerunt, & ſub veterem imperii clientelam, quam inde fere ab Heraclio, ac præcipue Michaele Balbo excuſſerant; de novo reddiderunt. *Serbliani* ultro etiam proceſſerunt, &

Quorum pars baptiſmum Conſtantinopoli petit, & impetrat.

quo

quo deditio firmior, teſtatiorque eſſet, baptiſmum expetierunt, & impetrarunt (A).

SERBL. Parce, ſi ſermonem abrumpto: dixeras ex Porphyrogenito *Serblos* Heraclio I. imperante jam anno DCXL. ſacro fonte luſtratos fuiſſe miniſterio Romani Pontificis: ut quid igitur altero rurſus baptismo initiari optant? An jam tunc viguit id malum, ut baptiſmum Latinorum nullo loco ducerent?

BULG. Abſit: nondum eo licentiæ proruperat Oriens. Illis ergo duntaxat, ut dudum dixeram, optatus, impetratusque eſt baptismus, qui anno DCXL, quo Principes cum magna gentis parte Chriſto acceſſerant, pertinaces in avita ſuperſtitione perſtiterunt, aut deſerta interim religione ad cultum idolorum redierunt. Hoc nos docet Porphyrogenitus: qui etiam teſtis eſt, ne nunc quidem omni gentis veſtræ provinciæ fidei lumen affulſiſſe, *Narentanis* ſcilicet obſtinatius idolorum cultui adhærentibus: qui idcirco, & ad diſcrimen Chriſtianorum Serblorum ab his *pagani* deinceps nuncupati ſunt (B).

SERBL. Qui Faſilio I. imperante Sacris undis luſtrati ſunt, opinor fuiſſe illos, qui *mediterraneum*, *ſeu montana*, ac peculiari, & proprio nomine *Serbliam* dictam, quam & hodie ſic appellamus, inſidebant. Illos vero, qui Heraclio I. Auguſto per Romanum Pontificem baptizati fuerunt, *Serbliæ Maritimæ*, hoc eſt: *Dioclie*, *Præbalis*, *Terbuniæ*, *Canalis*, *ac Zachlumiæ* incolas fuiſſe arbitror.

Qui Serblorum baptizati fuerint Baſilio I. Imperatore a Conſtantinopolitanis.

BULG. Contra fidem Porphyrogeniti, & neſcio quo fine, quove authore hæc tu comminiſceris. Porphyrogenitus (C) montanæ illius Serbliæ Principes derivat a primo illo, qui ad Heraclium confugerat, & per Romanos Sacerdotes Sacris Chriſtianis initiatus eſt. ſi vero Principes Montanæ Serbliæ, quidni & magna ejus pars populi Chriſto acceſſerit. Certe hujus plane Regionis urbes numeraſſe mihi videtur Porphrogenitus, cum ibidem ad extremum ſubjungit: *Suntque in baptizata Serblia oppida, quæ habitantur: Deſtenicum Tzernabusce, Megyretus* (D), *Dresnec*, *Leſnez*, *Salenes*: & *in agro Boſonæ Catara*, & *Desnez*. Si, quæ Provincia integra Heraclio imperante baptismi expers manſiſſet, eam proculdubio Porphyrogenitus, ſicut *Narentanam*, nominatim deſignaſſet. Quare tenendum, Provinciarum ſingulas, unica dempta *Naretana*, Heraclio imperante fidem Chriſti cum Principibus

(A) Lib. de Adm. Imp. cap. 29. (B) Ibid. N. 11. (C) Lib. eodem cap. 32. 7. & 8. (D) Ibidem Nro 28. & Nro. 8.

bus complexas fuiſſe, quamquam non modica pars populi in variis Provinciis perſtiterit in avitis erroribus, ac expoſt etiam Bulgarorum paganorum infecta commercio, ad idola illis communia defecerit. Huc facit, quod Diocleates Serbliæ Montanæ Epiſcopos duos *Serbienſem* ſcilicet, ac *Boſonenſem* in Delmitana Synodo inſtitutos numeret.

SERBL. Dilucitato hoc etiam, reliquum eſt, vt baptismi iſtius ſecundi annum figas, Miniſtros indices, ac denique Apoſtolos detegas, qui Serblorum animos cupiditate baptiſmi inflammarunt. Nam cum Saracenorum metus ad auxilia ab Imperatore quærenda; promtaque, ac valida eorundem, oblatio ſuſceptaque litorum maris Dalmatici defenſio ad expetendam, ſubeundamque Imperii tutelam permovere Serblos potuerit; ultra tamen hæc omnia amplius quid requiro, quo ad mutandam etiam ſuperſtitionem avitam ſunt inducti.

Anno 867. vel principio ſequentis Serbiis per Conſtantinopolitanos Sacerdotes baptiſmus collatus eſt.

BULG. A Serblianis ad Baſilium Oratores advenerunt, poſt cædem Michaelis III. vergente in finem Anno 867. Et quia teſte Porphyrogenito (A) auguſtus Legatione humaniſſime accepta, Oratoribus Serblorum redituris continuo *Cæſarianum*, ſeu legatum ſuum, ac Sacerdotes, quos ad manum habuit, adjunxit; baptiſmus idem aut cum fine Anni ſexageſimi ſeptimi, aut cum principio ſequentis eſt conjungendus, & Conſtantinopolitanis Sacerdotibus ab Ignatio Sancto miſſis, in acceptis referendus.

SERBL. Non inſtitit ergo Heraclii I. veſtigiis Baſilius I. nec Roma, ut ille, ſed Conſtantinopoli Miniſtros ad abſolvenda baptismi ſolemnia aſſummendos putavit. Ut vero ab Heraclii exemplo creederet, & Romani Pontificis in hoc pio opere conſortium defugeret, ac Conſtantinopolitanis deferret, cauſam fuiſſe opinor Dogma preceſſionis *Spiritus Sancti ex Filio*, quod Latini univerſe tuebantur, & additionem vocis, *Filioque* ad Symbolum, cujus ſive factæ, ſive admiſſæ, jam tunc palam arguebantur Romani Pontifices.

BULG. Si ita ex animo ſentis, aberras a vero longiſſime. Ne tu mihi jam tunc reverentiam in Sedem Apoſtolicam exuiſſe Baſilium, aut cum Photio primo additionis inſectatore colluſiſſe, aut conſenſiſſe putes, quem ipſe anno hoc eodem, & illo prope momento temporis, quo ſolus imperii habenas arripuit, in obſequium Sedis Romanæ, Patriarchatu deturbavit, Ignatium reſtituit, atque utrumque per Legatos ad cauſam Romæ agendam adduxit. Nullum hic ego divortii in dogmate veſtigium invenio, & epiſtola anno ab hinc prio-

(A) Lib. de Adm. Imp. cap. 29. & Chron. Porphyrogeniti in vita Baſili avi.

priore adverſus Nicolaum Papam exarata, & Baſilii etiam nomine ſubſcripta, non hujus manu ſignata erat, ſed Photii partus, ac commentum fuit (A). Igitur cum Baſilius Princeps apprime Catholicus, Sedisque Apoſtolicæ cultor eximius, per Sacerdotes a Sancto Ignatio recens in Thronum reſtituto deſignatos, Serblianos Chriſto per baptismum genuit; uterque mori ſub Iconoclaſtis cepto, & plusquam ſæculi ſpatio confirmato inſtitit, ac præſcriptione quadam temporis, uſusque Illyricum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ velut propriam Diœceſim aſſerendum, tuendumque putavit. Qui jus præſcriptionis prætendebant.

SERBL. Hæc ergo prima, ac palmaris Illyricianæ Diœceſeos fuit invaſio, cum partem Serblianæ gentis idolis addictam, Conſtantinopolitanus Antiſtites ſolemni baptismo luſtravit exeunte, ut diximus, anno 867. vel ineunte ſequenti.

BULG. Invaſio altera in gente Bulgarica mox anno 870 ſucceſſit, cum poſt octavam Conſtantinopoli abſolutam Synodum, idem S. Patriarcha Ignatius, deſertam, ut diximus, a Grimvaldo Epiſcopo, & Latinis Sacerdotibus Bulgariam iniit, & Archi-Epiſcopum provinciæ dedit, atque ut Porphyrogenitus (B) de avo ſuo Baſilio loquitur, Bulgarorum gentem, qua largitionibus, qua honoribus eo perduxit: *Ut plures creari Epiſcopos, iisque conſtipari haud abnueret: quorum opera, eorumque quos ex montibus, & cavernis terræ religioſiſſimos Monachos Imperator acciverat, eisque eam meſſem deſtinavit, avitis moribus valere juſſis in Chriſti Sagenam quidquid Bulgaricæ gentis eſt, conceſſit.*

BULG. Ignatium Patriarcham cum Baſilio auguſto, ut nunc in Bulgariam, ita biennio prius curas ſuas porrexiſſe in Serbliam, res ex Porphyrogenito narratæ, ipſaque temporum ratio evincit. Apoſtolos autem, qui ſemen fidei apud Serblos idolis adhuc addictos jecerunt, atque, ut pertinacia poſita Chriſto ſe mancipa-rent, perſvaſerunt; fuiſſe *Conſtantinum* Philoſophum, ac *Methodium* fratres fidenter aſſero. Et ex voto quidem cum cæteris Serblorum negotiatio ceſſit Apoſtolis; ſoli *Narentani* primo huic Apoſtolorum aſſultui reſtitere, Aſſuri ſecundo, ubi nempe rurſum Methodius in arenam eandem redierit. Apoſtoli ſecundi apud Serblos baptismi Cyrillus, & Methodius.

SERBL. Unde tu mihi *Conſtantinum* Philoſophum, & *Methodium* accerſis; illos poſtquam Apoſtolico Officio ab anno 858. a-

(A) Vide Epiſt. Baſilii auguſti ad Nicolaum P. de XI Decembris, quæ incipit: *Qualis ſe habeat mentis noſtræ voluntas.* Et S. Ignatii: *Eorum vulnerum.* Item *Anaſtaſium* Bibl. in vita Hadriani II. Succeſſoris Nicolai.

(B) In Chronico.

pud *Gazaros*, *Bulgarosque* ſunt perfuncti, ad Moravos conceſſiſſe Anno 862. novimus, non facile inde redituros.

BULG. Imo divino prorſus Conſilio accidit, ut quorum inſtitutione Apoſtolica primum *Gazari*, *Bulgarique*, & mox *Moravi* ſacris Chriſtianis ſunt exculti; eorundem etiam hortatu, monitisque, Serblorum gentis pars magna, cui nondum fidei lumen affulſerat initia, progreſſumque ſalutis ſuæ debeat.

SERBL. Quo tu duce, quo authore audes hoc Conſtantino, & Methodio aſſerere quod ex pluribus, qui vitam, geſtaque eorum conſignarunt (A), quod ſciam, vix aliquis attigit. De Serblico iſtorum Apoſtolatu ſilent omnes.

BULG. At Diocleates biographis antiquior affirmat: qui, quod Scriptores alios præterierit, ex majorum traditione didiciſſe potuit, & diſerte conſignavit. A quo omnia, quæ hoc ſecundo baptiſmo evenerunt, recenſentur; & præclare cum Porphyrogenito, aliisque fidis Scriptoribus, & ipſa temporum ratione congruunt, ſi modo, ut dudum antea monui, *Budimirus* cæteraque, quæ ad baptiſmum primum, ac Delmitanum Concilium ſpectant, reſcindantur, reſciſſaque ſæculo VII. cui pertinent, & propria ſunt, reſtituantur. Diocleatis teſtimonio de Conſtantini, ac Methodii apud Serblos Apoſtolatu, accedunt Scriptores, ac biographi complures (B), qui (detractis ſolum erroribus ex Diocleate hauſtis, & perturbatione temporum, perſonarumque correcta) Conſtantini, & Methodii Apoſtolatum Serblianum ad ſæculum IX. confirmabunt, quorum ſententiæ ſuffragatur, & pondus addit uſus codicum ſacrorum idiomate Slavonico, & Charactere his authoribus invento concinnatorum: qui, cum ſub ipſa jam ſæculi X. initia per Dalmatica Concilia, ut alias dicturi ſumus (C), ſit acriter oppugnatus, argumento certiſſimo eſt, apud Serblos, Bulgaros, ac Chrobatos ipſo jam IX. ſæculo invectum fuiſſe.

SERBL. At cur, & unde factum, ut Conſtantinus, ac Methodius deſerta ſtatione Moraviæ ad Serblos, Chrobatosque ipſo anno DCCCLXVII. advenerint.

BULG. Narrat, & id Diocleates, affirmans eos a Romano Pontifice e Moravia Romam evocatos: in quo quidem omnes biographos conſentientes habet: qui id recte ad Nicolaum I. ſummum Pontificem referunt. Nec alienum ſive a ratione ſuſceptæ Romam profectionis, ſive a Zelo illorum fuit, ut iter ex Moravia per Slavicas Pan-

(A) Apud Hagiologos Antverpienſes Tz, ad diem IX. menſis Martii. (B) Orbinus pag. 45. Joan. Georg. Stredowsky, aliique (C) Colloquium III.

Pannoniæ gentes, quarum Apoſtoli erant, tam brevitate viarum, quam ſpe uberioris fructus invitati, inirent, & Bulgaros quidem, veteres diſcipulos in fide confirmarent; Serblorum vero partem, quæ nondum Chriſto acceſſerat, baptiſmi cupiditate inflammarent, ſacrisque omnes libris inſtruerent. His ergo authoribus, præconibusque baptismi deſiderium Serblis injectum opinor, quem denique Baſilii I. humanitate recens devincti Conſtantinopoli exoptarunt. Verum cum peracto apud Serblos ex itinere Apoſtolatus Officio Romam adpuliſſent, Nicolao, a quo evocati fuerant, jam vita functo, Hadrianum II. a die XIV. Decembris ſedentem venerati ſunt: a quo ſummo honore, gaudioque accepti, tum ob illatas Romæ Sancti Clementis Papæ exuvias, tum ob tot gentes Chriſti ovili aggregatas; ipſi quidem in Epiſcopos, diſcipuli vero, quos in Comitatu habebant, in Sacerdotes conſecrati ſunt: ac Methodio ad Moraviæ Archi-Epiſcopatum redeunte, Conſtantinus Romæ adhæſit, poſitoque Epiſcopatus honore, & ſumto Cyrilli nomine, non poſt multos annos in Monachatu ſancte obiit.

SERBL. Reliquum jam eſt, ut, quo Rege Serblis imperante baptismus ſecundus peractus ſit, conſtituas: nam Budimirus, quem hic perperam Diocleates immiſcuit, ad baptiſmum primum ſæculi VII. pertinet.

BULG. Poſt peremptum anno DCCCLXII. *Ciaslavum* Regem, nullum Serblis regali nomine præfuiſſe ex Diocleate ſtatuimus. Hoc ergo *Interregni* tempore, quod annos aliquot tenuit, baptismus ſecundus, Serblorum parti obvenit. Diocleati, mihique conſentit Porphyrogenitus, qui eotum apud Serblos non Principem, ſed Zupanos duntaxat rerum potitos affirmat (A). Baſilium vero, cui ſe Serbli univerſi ſubmiſerant, poſt peracta baptismi ſolemnia, genti poteſtatem feciſſe eligendi principis, in quem præcipue animo propenderent; ſubditque ex eo tempore de ſtirpe eadem ad ſuam uſque ætatem (B) Principes delectos eſſe. Quare vacante pricipatu, & ipſo *interregni* tempore, quod poſt mortem *Ciaslavi*, teſte Diocleate, excepit, batismus ſecundus Serblis obvenit.

Baptismus celebratus eſt tempore interregni

SERBL

(A) Lib. de Adm. Imp. cap. 29. *Principes vero, ut ajunt, hæ gentes non habent, præter Zupanos ſenes, quemadmodum etiam reliqui Sclavorum populi.* Et poſt pauca: *baptizatis autem ipſis, tunc Principes ipſis deſignavit, quos vellent, eligerentque e ſtirpe, quam maxime amarent. Atque ex eo tempore Principes ipſis ex eadem ſtirpe hodiedum, & non ex alia eliguntur.* (B) Id eſt annum 949. quo Porphyrogenitus ſcribebat.

SERBL. Electi tunc principis nomen aut Porphyrogenitum ipsum latuit, aut nos latere voluit : neque enim quemquam eo loco, proprio nomine designavit. Hoc etiam, si potes supple.

Post secundum baptismum Blastimeres in Regem electus : jure supremo penes Basilium Imp.

BULG. In quem vota, Suffragiaque populi conspirarunt, opinor fuisse *Blastimerem* filium *Prosegoes* montanæ Serbliæ principis. Nam, & ætas ejus cum Basilio congruit, ut colligitur ex Porphyrogeniti cap. 32. (A), & idem Porphyrogenitus (B) eundem *Blastimerem* Principis nomine donat, notasque summi, & regnantis apud Serblos principis in eo designavit, cum scribit : *Blastimerem Serviorum Principem, filiæ suæ maritum dedisse Krajnanum Belæ Terbuniæ Zupani filium, & honoris ergo Principem appellasse, &, ut sui juris esset, effeciisse : ex quo Phalimeres natus est Pater Tzuzemiri.*

SERBL Ex his Porhyrogeniti notis, & authoritate, qua *Blastimeres* usus est, in ornando genero suo Krajnano Regem Serblorum gentis fuisse facile agnosco : at una etiam clare perspicio, Basilium Augustum, delato sibi a Serblis summo imperio, egregie usum fuisse, facta genti potestate eligendi, constituendique Regis.

BULG. Nec hic stitit : sunt alia quoque præterea, quæ Basilium suprema apud Serblos Majestate egisse comprobent : tale est, quod mandato ejus *Serblii*, *Zachlumi*, *Terbuniotæ*, *Canalitæ*, *ac Ragusini*, *omnisque Dalmatia* correptis armis, classeque conscensa, in Longobardiam adversus Seracenos, suos emiserunt exercitus, eosque Bario urbe ejecerunt (C). At lene admodum, moderatissimumque supremum id Basilii in Serblos imperium fuisse inde conficio : quod cum Romani Dalmatæ per Narentanos paganos pressi, insulis, litoribusque desertis in continentem se recepissent, hinc vero etiam a Chrobatis, Serbisque arcerentur, ac propterea querelas ad augustum detulissent, querulantibus Dalmatis optimus Imperator id denique consilii suggessit : viderent, ut oblato tributo, quod Romano Prætorio hactenus inferre consveverant, Chrobatos, Serblosque sibi devincirent, pacemque ea pensitatione redimerent : se enim contentum fore, si Romano imperio, in testimonium fidei, ac clientelæ, vel exiguam prioris litri partem penderent. Tributum singularum Dalmatiæ Romanæ urbium Aspalati, Tetrangurii, Diadoræ, Opsaræ, Arbæ, Beclæ, Ragusiique recensuit Porphyrogenitus (D), quo denique pax Dalmatis a Serblorum, Chrobatorum infestatione redemta est.

SERBL.

(A) Nam Presiamo Bulgarorum Regi, & Basilius, & Blastimeres coævi erant. (B) Lib. de Adm. Imp. cap. 34. de Terbuniotis. (C) Lib. eod. cap. 29. (D) Lib. eod. cap. 30. ad finem.

SERBL. Narentanos in ſuperſtitione avita perſtitiſſe anno adhuc DCCCLXX. teſtantur violati per eos in mari Sedis Apoſtolicæ Legati, qui Conſtantinopoli reduces, rebus, actisque Concilii Conſtantinopolitani octavi, ſpoliati, ægre vita retenta, nudi propemodum Romam ſubiere. Id ipſum confirmat quoque, quod Narentani ad Barenſem ejusdem anni expeditionem aſſumti haud fuerint: & quod Chrobatorum, qui Ludovico II. Francorum Imperatori parebant, atque ſub ejus ſignis eadem ad Barium expeditione merebant, oppida domosque abductis in captivitatem multis, barbare deprædati ſunt: id, quod Ludovico qnerulandi per literas apud Baſilium Orientis, ac Serblorum Imperatorem, occaſionem præbuit. Cæterum graſſationes hæ terra marique Narentanis caro ſteterunt, deprehenſi enim a Venetis in mari, egregie mulctati ſunt.

Bulg.

SERBL. At, non diu poſt has deprædationes, barbariem cum idolorum cultu exuiſſe Narentanos, teſtis eſt Porphyrogenitus: qui enarrato Serblorum cæterorum Baſilii auſpiciis baptismo, mox iſta de Narentanis ſubjungit: *Deinceps vero, & hi, miſſis ad eundem præclarum Imperatorem Legatis, petierunt baptizari: miſit itaque, & baptizati ſunt* (A).

Narentani baptismum expetunt, impetrantque a Baſilio I.

SERBL. Nempe vicinorum omnium *Serblorum*, *Chrobatorum*, *Dalmatarum*, *ac Venetorum* odia, quæ in ſe provocaverant, & metus hinc *Baſilii*, inde *Ludovici* auguſtorum, repreſſit paululum hominum ferociam, & ſalutarem de abdicanda idololatria cogitationem animis eorum ingeſſit.

BULG. At, a Methodio Moraviæ Archi-Epiſcopo fracta denique eſt ipſorum pertinacia. Is vero, ut rurſus in has terras advenerit, accipe. Poſt Svatopluchum Moraviæ Principem perſecutorem novellæ Chriſti Eccleſiæ fidelium communione ejectum, Methodius anno 872. tam auxilii quærendi, quam fratris Cyrilli viſendi cauſa Romam ſecundo petiit, itinere per Serblos nuper converſos inſtituto, quibus in fide confirmatis, ad Narentanos divertit, & qua piis monitis, qua metu ſalutari injecto, univerſos ad deſerenda idola, & baptiſmum exoptandum adduxit: qui denique recenti Serblorum aliorum exemplo provocati, per Legatos Baſilium convenerunt, & baptismum Conſtantinopoli impetrarunt, Methodio interim Romam profecto, ubi fratrem Cyrillum non diu ante, vitam ſancto fine concluſiſſe comperit (B).

Permoti ad Chriſti fidem a Methodio anno 872.

(A) Lib. de Adm. Imp. cap. 29. (B) Author anonymus poſterioris vitæ SS. Cyrilli, & Methodii apud Henſchenium ad 9. Martii.

SERBL. Ita jam Narentanorum quoque ſolemni baptiſmo, antiſtiti Conſtantinopolitano jus Patriarchicum in Serbliam confirmatum eſt, Baſilio operam, & authoritatem ſuam in id conferente, cujus ſtudio Bulgaria quoque poſt Orientalium Vicariorum ſententiam anno 870. Throno Conſtantinopolitano ſe plene ſubmiſerat.

BULG. Serblorum, Bulgarorum, ac Narentanorum exemplum brevi conſequuta eſt quoque Dalmatia omnis, atque Chrobatia, ſicque univerſus prope Illyrici populus, ſeu Baſilii beneficiis, potentiaque devinctus, ſeu Orientalium Patriarcharum ſententia deceptus, a Romano ad Conſtantinopolitanum Patriarcham deſciverunt, hunc-que velut Paſtorem Diœceſanum aliquamdiu venerati, ſunt, ac frequentarunt.

XI. Defectionem Serblorum Bulgarorum, ac Narentanorum ad Conſtantinopolitanum Patriarcham.

SERBL. Gens Serblorum gemino ſolemni baptismo ex manibus Conſtantinopolitanorum Sacerdotum accepto: Bulgari miniſtrorum Latinorum dimiſſione. ac Græcis in eorum locum admiſſis, defectionem ſuam a Patriarcha Romano teſtati ſunt: quorum etiam Epiſcopos *Gabrielem Achridæ*, & *Agathonem Moraborum* Archi-Epiſcopum Photiano Conciliabulo anno 879., & præſentes adfuiſſe, & ſubſcripſiſſe invenio. At quando, & quo indicio Dalmatæ, Chrobatique defectionem ſuam prodiderint, incompertum mihi eſt.

Sequuntur quoque Dalmatæ, ac Chrobati ſub Georgio Archi-Epiſcopo Spalat.

BULG. Georgius II. Dalmatarum, & Chrobatorum in ſede Spalatenſi Archi-Epiſcopus cum Clero omni populoque, eadem qua Bulgari Orientalium Vicariorum ſententia abductus fuiſſe videtur, ut denique in partes Conſtantinopolitani tranſiret, populo omni jam alioquin in Baſilium Orientis auguſtum defenſorem ſuum, toto animo propendente, inclinanteque, quanquam Chrobati tunc adhuc cum principibus ſuis in clientela Francorum degerent. Ea Eccleſiarum ad Conſtantinopolitanum antiſtitem ſeceſſio, brevi poſt ſe traxit defectionem quoque a Francorum Imperio. Nam, ut Dandulus ad annum 878 narrat, Comes *Sedesclavus* ex progenie *Terpimiri* quondam Chrobatorum Ducis ortus, imperiali Baſilii fultus præſidio auxilioque, Chrobatiæ dominatum arripuit, captis & in exilium relegatis *Demegoi* Ducis filiis; atque ut auxiliatori ſuo gratiam referret, excuſſo Carolomani Francorum Regis ſummo imperio, Baſilii protectioni ſe ſubmiſit.

Dalmatarum defectio continuat Marino Archi-Epiſcopo.

SERBL. Georgii II. Spalatenſis Archi-Epiſcopi defectionis veſtigium exhibet epiſtola Joannis VIII. Papæ, poſt Georgii deceſſum ad Dalmatiæ Epiſcopos exarata Indictione XII. anno 879. Ea enim certiſſimum monumentum eſt inceptæ defectionis ſedente Georgio, a qua, ut denique eos abduceret Joannes Pontifex, literas, quas dixi exaravit ad Epiſcopos (A). Revocat illic in mentem Dalmatis fe-

li-

(A) Initium earum eſt: *Paſtorali ſolicitudine moti.*

licitatem veterem, quæ viguit, gubernante ipſos Romana Sede, & mala oculis ſubjicit, quibuscum conflictantur, ex quo a prima Matre ſua receſſerunt, atque ad extremum admonet, ut ſucceſſorem Canonice electum, primævo inſtituto Romam pro conſecratione, & Pallio dirigant; ſi ſecus agant, cenſuras comminatur. Ne vero metu *Græcorum*, aut *Sclavorum* ab acceſſu ad Sedem Romanam arceantur, patrocinium opemque pollicetur. *Sclavorum* autem nomine hic *Serblos* deſignari manifeſtum eſt: nam *Chrobati* ſub Principe ſuo *Branimiro* Romano Patriarchæ ſe jam reddiderant. His tamen literis non profeciſſe magnopere Joannem Papam opinor.

BULG. Imo inchoatam a Georgio defectionem, Marinus recens electus ſucceſſor, multo teſtatiorem fecit, cum contra diſertum Joannis mandatum, moremque majorum, non Roma, ſed ex Photii Conſtantinopolitani Epiſcopi arbitrio, ſuggeſtioneque conſecrationem cum Pallii honore a *Valperto* Aquilejenſi perinde Shismatico expetivit, ſuſcepitque anno 879.

SERBL. Has tot defectiones a Romano Pairiarchatu ad Thronum Conſtantinopolitanum, quo animo Roma tulit? nihilne tot invaſionibus reſtitit?

BULG. Reſtitit procul dubio primis ſtatim Ignatii Patriarchæ conatibus Hadrianus II. Joannes vero VIII. etiam cenſuras intentavit, niſi Diœceſi Illyriana Ignatius ſe abſtineret, ſuosque, quos in Provinciam immiſerat reduceret. Verbo: plurimas eo curas convertit, ut Bulgaros, Dalmatas, Serblos, Chrobatos. & quicunque deſciverant, ad ſedis ſuæ gremium revocaret.

SERBL. Abſceſſio Illyricarum Provinciarum, gentiumque tranſitus ad Conſtantinopoleos Patriarcham, quem hactenus copioſe elucubraſti, conſtansne perpetuus, aut longi temporis fuit? aut mutationem aliquam rurſus ſubiit?

Chrobati primi ad Rom. Patriarcham redeunt anno 879.

BULG. Suſceptis a Joanne VIII. tot curis, pro recuperanda Illyrico, defectio haud diuturna eſſe potuit. Primi *Chrobati* Theodoſio Nonenſi, eorum Epiſcopo operam dante, & *Branimiro* Principe conſentiente, receptui cecinere anno adhuc 879. Exſtant duæ Joannis epiſtolæ ad *Branimirum* datæ Ind. XII., & ſequente (A). Denique, & ad *Theodoſium* Epiſcopum, Sacerdotes, ac populum (B), quorum exemplo non diu poſt etiam Dalmatæ ad officium redierunt, ac veteri, veroque Patriachæ ſuo Romano ſe reſtituerunt.

SERBL.

(A) Ad Branimirum eſt, incipit: *Relegentes nobilitatis tuæ literas.*

(B) Ad Theodoſium Epiſcop. Non. *Dilectionis tuæ literis receptis.*

XII. Joannis VIII. P. conatus pro recuperanda Diœceſi Bulgarica.

SERBL. Cordi imprimis Joanni fuiſſe Diœceſim Bulgaricam manifeſtum faciunt tot ejusdem epiſtolæ ad *Michaelem* Regem Bulgarorum, fratrem Regis, ac regni Proceres exaratæ. Quin & ad Baſilium Auguſtum, ac ipſum quoque Photium, cujus, a morte Ignatii reditum ad Sedem Conſtantinopolitanam, qui in annum 878. incidit, ea tantum lege admiſit, ratumque habuit, ſi ſe a Bulgarica Diœceſi uſurpanda abſtineret, nullos illuc deſtinaret impoſterum, nulli Sacri Ordinis, aut Pallii inſigne tribueret. Sed eſtne tot actis Pontificiis profectum aliquid?

BULG. Quam plurimum. Nam cum in Synodo Conſtantinopolitana anni 879. Petrus Apoſtolicæ Sedis Legatus inter cæteras, quas Papa Photio præſcribebat conditiones, hanc quoque legiſſet: *Ne Conſtantinopolitanus poſthac in Bulgaria ordinet antiſtites, neque pallium eo mittat, aut ligatos a Sede Apoſtolica, & Conſtantinopolim confugientes, venia donet*: Synodus ad extremum reſpondit: *Nos jam antea diximus veſtræ Sanctitati: quod ſermo de Diœceſibus a præſenti cauſa differt, & peculiare tempus deſiderat. Cæterum tamen vobiſcum orabimus piiſſimum noſtrum Imperatorem ſuper ea re.* Preces igitur apud Auguſtum interpoſuere Patres. Ita vero, cum res omnis ad Imperatorem remiſſa fuiſſet, Baſilius quidem a Diœceſi Illyriciana, ac jure in eam arrogato deceſſit, literisque datis per reduces Legatos Pontificios teſtatus eſt ſe Eccleſiam Bulgaricam Apoſtolicæ Sedi reſtituere, & claſſem deſideratam adverſus Saracenos emiſſurum: Joannes vero anno 880. in reſponſoriis ad Baſilium (A) gratiis dictis pro ſubmiſſo adverſum Saracenos navali auxilio, redditoque Eccleſiæ Romanæ monaſterio Sancti Sergii, quod intra mœnia Conſtantinopoleos fuit; de Bulgaria hæc ſubdit: *Tertio vero vobis grates multas referimus, quia Bulgarorum diœceſim pro amore noſtro, gratanti animo Sancto Petro, ut juſtum erat, permiſiſtis habere.*

Quæ ceſſit, Baſilius I. an. 880.

SERBL. At poſt hanc etiam Baſilii ceſſionem, nondum *Michaelem Bulgarorum Regem*, ad Patriarcham Romanum rediiſſe, manifeſtum faciunt Joannis epiſtolæ continua deinceps annorum ſerie ad Indictionem XV. ultimam vitæ Joannis periodum exaratæ, in quibus blandis ſevera miſcens *Michaelem* ad Sinum Sedis ſuæ revocat, reditumque ſvadet. Ut adeo non vana ſubeat ſuſpicio, principem hunc, quamcunque pium ac Sanctum, annos tamen multos ab Eccleſia Romana alienum, ſciſſumque exſtitiſſe.

At Michael Bulg. Rex nondum ad Rom. Patriarcham rediit.

BULG. Depone hanc injurioſam in ſanctum regem ſuſpicionem: nam lis ea de Diœceſi nil prorſus unioni membrorum cum Eccleſiæ

(A) Quarum initium eſt: *poſt immenſas ſolicitudines.* Id. Aug. Ind. XIII.

cleſiæ capite detraxit. Deinde fervente etiam quam maxime inter Conſtantinopolitanum, & Romanum Patriarcham lite ob Diœceſim Bulgaricam, utroque ſibi eandem acriter vindicante, *Rex Michael* multam venerationem Sedis Apoſtolicæ conſtanter retinuit, quam Ind. XI. anno 878. Xenio ad Joannem Papam miſſo: anno 879. per legatum ſuum Functicum, & oblatis donis teſtatus eſt: denique anno 881. Ind. XIV. rurſum per legatos ſuos parabat inviſere; id quod Theodoſius Nonenſis Chrobatorum Epiſcopus ſummo Pontifici retulit.

Licet Caſpiri Eccleſiæ conſtanter conjunctus fuerit.

SERBL. Submiſſos tamen a Michaele tunc non fuiſſe legatos, palam eſt ex epiſtola Pontificis data Ind. XIV. aut ſequenti (A). Denique ex ejusdem Pontificis poſtrema, quæ incipit: *Cum non tam initia in bonis ſint laudanda. quam finis*: hujus enim epiſtolæ ſevera illa Papæ verba notari mihi velim: *redite*, inquit, *ad mentem veſtram, redite ad cor - - cogimur, ſi non emandaveritis, quod geſſiſtis, & ad præſens vos in hoc Sæculo digne corripere, & ut in futuro, quantum in nobis eſt, maledictionibus repleamini, non præterire: Feſtinate corrigere, quod iniquè geſſiſtis.*

BULG. Imo vero ex hac poſtremo data Ind. XV. anno 882. qui ſupremus Joanni fuit, ad liquidum apparet, miſſos Michaelis Regis Romam adveniſſe non utique absque Regalibus literis: ac agnoviſſe Joan. Pontificem, & *bonam Regis voluntatem, & firmitatem fidei, & exquiſitum in Deum amorem*: teſtatamque eidem abunde fuiſſe *fidelitatem Regis erga Sanctam Romanam Eccleſiam, cum hanc, ut olim, in præſens etiam auxiliatricem habere cupiat, viſitando Sanctos Apoſtolos, eorumque ſuffragia implorando.* Igitur de prompta, parataque Michaelis voluntate corrigendi, quidquid admiſſis in Bulgariam Conſtantinopolitanis Sacerdotibus peccatum fuerat, dubius jam Papa non erat. Sed modus, quo correctio retro actorum iniri debeat, ſalva nimirum, integraque, ut Rex optaſſe videtur, in ſacras perſonas reverentia, nulloque in novello Chriſtiano populo ſcandalo, aut perturbatione, ancipitem adhuc Regem detinebat. Mora, ac tempore ſanari hæc poſſe credebat Michael: at moræ impatiens Joannes, urgebat ſibi per legatum indicari, quidquid emendare Rex conſtituit; ſpondebatque, quemcunque correctionis modum Rex ſuggeſſiſſet, ſe complexurum, cauſamque omnem ſecundum Deum ordinaturum. Hunc, ut genuinum Pontificiæ epiſtolæ ſenſum eſſe cognoſcas, exſcribo totam, & ad calcem refero (B). Lege, perpende, rumina, & vix aliud inde elicies. Utinam vero ad manum nobis eſſent ipſæ piiſſimi Regis literæ; plus procul dubio lucis illæ affunderent, apertiusque ejusdem conſtans in Sedem Apoſtolicam reverentia effulgeret.

(A) Epiſtolæ initium eſt: *Miramur.* (B) Joannis VIII. ep. 297. ad Michaelem Regem Bulgarorum vide ad calcem.

SERBL. Sitne vero, sive a Rege, sive a Papa suggestus deinceps aliquis correctionis modus, lenis scilicet, ac pacatus, atque ab omni perturbatione liber, qualem Rex optasset, hoc est, quod adhuc nosse cupio.

Marino Pontifice, Romano Patriarchatui accessit.

BULG. Cum non diu post hæc ultro, citroque acta *Ioannes VIII.* Indic. XV. anno 882. exeunte ex hac mortali vita decesserit; *Marinus* in Petri Sede Successor, olim Bulgaricæ Apostolus, & ad regimen Ecclesiæ Bulgariæ expetitus, negotium hoc omne procul dubio pro sapientia, ac zelo, placidissimis modis composuit: Michael vero pro solemni sua in Sedem Apostolicam observantia, & veteri in Marinum affectu, compositionis modum est complexus. Monumenta rei hujus, compositionisque, aut vetustas, ut multa alia obruit; aut in archivis hodieque, non levi detrimento delitescunt, aut diligentiam meam effugerunt. Compositum vero ex vtriusque voto negotium fuisse persvadent, hinc Marini Papæ pro Bulgaria Romæ asserenda zelus, inde vetus, ac constans Regis in Marinum propensio, fiduciaque.

SERBL. Monumenta cum desint, licebitne conjectura saltem assequi modum compositionis tunc initæ? Græcanicum ritum, qui ab excessu Latinorum Sacerdotum invaluit, per Ecclesias Bulgariæ, mutationem subisse non putem.

A quo Vicarium Apostolicum accepit, quem Bulgari Patriarcham appellarunt.

BULG. Sapienti Marini suggestione, & Regis Michaelis consilio factum opinor, ut more olim sub Justiniano I. invecto Bulgariæ Archi-Episcopo Vices Apostolicæ delatæ sint; atque ita Vicariorum ministerio Ecclesias istius Illyrici Romanus Patriarcha, nulla rerum aut ritus perturbatione, postliminio gubernandas susceperit. Conjecturæ hujus meæ, quam in notitia rerum Ecclesiasticarum *Marini*, & Zelo ejus Bulgariam Patriarchæ Romano conjungendi, Regisque Michaelis pietate fundo, confirmationem ex Calo Joannis Imperatoris Bulgarorum literis, tum, & ex Catalogo Archi-Episcoporum Bulgariæ, suo loco proferemus (A).

SERBL. Igitur vivo adhuc Basilio Augusto, & Marino Pontifice, Ecclesias Bulgaricas, quin, & Serblicas ad Romani Patriarchæ obedientiam rursum accessisse credis, ac tueris.

BULG. Id quidem ego mihi persvasum habeo. Tu si nondum in meam concedis sententiam, & Basilium lusisse existimas, cum Illyricum

(A) Vide Colloquium III.

Illyricum, a Bulgaris, Serblisque occupatum, Sancto Petro, ac Joanni VIII. anno 880. ceſſit, profer cauſam, ob quam a me diſſentis.

SERBL. Non opinor quidem Baſilium luſiſſe, cum ad preces Joannis Papæ Sancto Petro Dacicam Illyrici diœceſim habere permiſit. At revocaſſe etiam ceſſionem non temere affirmo, quando Joannes Papa anno 881. miſſo Conſtantinopolim *Marino* nuncio Apoſtolico, Synodum illam Photianam anni 879. in annum 880. productam, irritam, nulliusque roboris declaravit, & corruptos legatos ſuos Paulum Anconitanum, & Eugenium Oſtienſem Epiſcopos, ac Petrum Cardinalem Presbyterum, una cum corruptore Photio condemnavit. His enim turbis in urbe commotis, ut Baſilius graviter offenſus erat, ita uſque eo ira provectum exiſtimo, ut, & Marinum Legatum cuſtodiæ traderet, & conceſſam antea Joanni Papæ, ac Sedi Romanæ diœceſim Bulgaricam rurſus ad ſe reciperet, ac per Photium pariter irritatum gubernandam juberet.

XIII. Ortis etiam diſſidiis inter Baſilium & Ioannem VIII. ceſſio Bulgaricæ Diœceſeos a Baſilio revocata non eſt.

BULG. Marinum quidem Joannis Papæ nuncium, infra dignitatem, imo inſigni contumelia Conſtantinopoli affectum, & dierum triginta carcere maceratum: auxilia quoque, quæ adverſus Saracenos ad Romæ defenſionem ſubmiſerat, ab irato Imperatore revocata invenio: at Diœceſim Illyricam, Patriarchatui Romano detractam, ac rurſum Conſtantinopolitano ſubjunctam non invenio, eſtque, unde plane oppoſitum eruam. Nam Catalogus Eccleſiarum anno mundi 6391. Chriſti 883. vivo adhuc Baſilio, & Photio Conſtantinopoli ſedente, Marino vero Romano Pontifice per Leonem ſapientem Baſilii Auguſti filium concinnatus, quo Provincias, Urbes, Sedesque Epiſcopales Throno Conſtantinopolitano ſubjectas recenſet, ordinemque inter eas conſtituit; nec Illyrici Provinciarum, ſeu antiquis *Daciarum*, *Dardaniæ*, *Mœſiæ*, *ac Prævalis*, ſeu novis *Bulgariæ*, *Serbliæ*, *Chrobatiævt* nominibus; nec Urbium, aut Epiſcopalium in his Sedium, vel apice uno meminit. Ut adeo ceſſioni anno 880. factæ, Baſilium inhæſiſſe, omneque ſtudium hujus Diœceſeos Dacicæ a Bulgaris, Serblisque occupatæ poſuiſſe credam, univerſamque Diœceſim Dacicam Marino ſedente ad Patriarchæ Romani obſequium rediſſe.

SERBL. Falleris, an fallere voluiſti? legi & ipſe concinatam a Leone Sapiente expoſitionem: illic vero præter avulſas a Romano Patriarchatu Metropoles *Theſſalonicam*, *Nicopolim*, *Corinthum*, *Athenas*, *Patras*, *Syracuſas*, *ac Rhegium*, diſerte, ac nominatim *Epiſcopatus Serbliæ* quoque exponitur, & una Throno Conſtantinopolitano reſervatur.

Sed nec Serblia a Baſilio retenta eſt ſub jure Conſtantinopolitani.

BULG. *Serbliæ Epiſcopatus*, quem oggeris, ſicut ſub Theſſalonicenſi Metropolitano fuit, ita pars Theſſaliæ erat, nec gentem veſtram in præſens attinebat. Ut enim dudum antea ex Porphyrogenito,

nito (A). retuli; erat in Theſſaliæ themate urbs, ac terrarum tractus a primis majoribus veſtris nomine *Serbiæ* inſignitus, quem illi, Heraclio I. concedente primum inſederant, at mox etiam deſeruerunt, relicto ditioni, urbique ſolo nominis veſtigio, quod Leone Sapiente viguit, & hodiedum perſeverat. Hæc ergo *Serbia* cum parte *Macedoniæ*, *Theſſalia*, *Græcia*, *Siciliaque* a Romano Patriarcha avulſa, Conſtantinopoli addita fuit; non vero *Serblia*, quam hodie gens veſtra incolit, ſive *Maritima* illa, Provincias *Diocletanam*, *Præbalim*, *Canalim*, *Terbuniam*, *Zachlumiam*, & *Paganiam*, ſive *Narentam* complexa: ſive *Montana* per *Daciam utramque*, *ſuperiorem Mœſiam*, & *Boſono agrum* late diffuſa: quæ tunc quidem, & antea a longo tempore Bulgarorum imperio magna parte ſuberat.

SERBL. Poſtquam hoc etiam dubio me exolviſti, ac Bulgariam, Serbliamque, quam gens noſtra incolit, Romani Patriarchatus partem, tam primævo, antiquiſſimoque, quam etiam jure poſtliminii per Joannem VIII. vindicato, præclare hactenus demonſtraſti; novum rurſus Serblianæ, Bulgaricæque genti ſuggeris argumentum, ex quo cognoſcat, non Conſtantinopolitani ſe juris eſſe, nullique magis, aut arctius debere ſe eſſe devinctam, quam vero, legitimoque, & proprio ſuo dicœceſano Romano Patriarchæ. Aſt, hoc vinculum, nexumque turbavit fortaſſe baptiſmus, quem Baſilio I. imperante pars magna Serblorum, & Narentani ab Ignatio Sancto Conſtantinopoleos Patriarcha ſuſceperunt?

Indicatur, quid Serbliſ vadeant S. Ignatius Serblorum baptizator: Cyrillus item, & Methodius Apoſtoli: ac denique majores ipſorum.

BULG. Minime: quin potius, & Sancti *Ignatii* Patriarchæ Serblos baptizantis, & *Cyrilli*, ac *Methodii* gentis noſtræ Apoſtolorum exemplis admonemur, ut ſicut illi in medio turbine Photiani diſſidii, Romanæ Sedi immoti adhæſerunt, & *cavillationibus Photii* contemtis, poſthabitisque, conjuncti fide, ac obſequio perſtiterunt; ſic nos quoque conſtanti, perennique Sedem eandem Apoſtolicam honore, ac obſervantia proſequamur. Denique, & majorum noſtrorum, quos Baſilii potentia, aut error, ex Orientalium Vicariorum ſententia hauſtus, ad breve tempus Romanæ Dicœceſi ſubduxerat, veſtigiis inſiſtentes, nos totos, parique promptitudine Romano Patriarchæ, dicœceſano noſtro legitimo, rurſus reſtituamus, ſubmittamusque.

COLLO-

(A) L. de adm. imp. c. 32. *Principatu Serbliæ, a patre ad duos fratres devoluto, alter ſumpta populi parte dimidia ad Rom. Imp. Heraclium confugit, qui excepto locum inhabitandum dedit in themate Theſſalonicæ, qui ex eo tempore* SERBLIA *nuncupatur - - aliquanto vero poſt viſum eſt Serviis in ſuam terram redire, & dimiſit quoque illos Imperator.*

COLLOQUIUM TERTIUM.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM A SÆCULI IX. MEDIO AD XI. PRINCIPIUM, SEU MAJUS INTERREGNUM.

SERBL. Poſt Diœceſim Dacicam per Baſilium I. Joanni VIII. ceſſam, an invenis Epiſcopos Romanos jura ſua Patriarchica in Provincias Illyrici Serviam, Bulgariamque extendiſſe, atque inſigni aliquo monumento conſignaſſe, ſtabiliſſeque ad poſterorum memoriam?

BULG. Ne res duorum regnorum permixtæ, narrationi tenebras offundant, a Bulgaris duco initium, quorum res per hæc tempora arcto adeo nexu cum Serblicis junguntur, ut unæ, citra alteras ægre cognoſci poſſint. *Michaelis Bogoris*, qui primus e numero Bulgariæ Regum Chriſto nomen dedit, ſubjectio erga Sedem Apoſtolicam conſpicua prorſus eſt. Nam anno 866. Epiſcopos, ac Sacerdotes Roma ad gentis ſuæ converſionem accerſivit, fidei, morumque inſtitutiones a Nicolao I. expetiit: arma præterea, quibus Chriſto, ac ſibi rebelles ſubditos perdomuit, cum militari cingulo, & propriorum crinium faſce, in perenne fidei, ac ſervitutis monumentum ad Principem Apoſtolorum Divum Petrum transmiſit (A). I. Michaelis I. Regis Bulg. reverentia ad Sedem Apoſt.

SERBL. Sed facta hæc ejus illuſtria obſcuravit tranſitus a Romano ad Conſtantinopoleos Patriarcham, poſt acceptam anno 870. Vicariorum Orientalium Patriarcharum ſententiam. Anno 870. ſubmittit ſe Conſtantinopolitano Patriarchæ.

BULG. Nihil minus: nam Epiſcopos, & Sacerdotes Latinos, quos antea Roma acceperat, non ipſe provincia exegit, aut juſſit decedere, ſed ultro deſertus ab ipſis, ſubeuntes Conſtantinopolitanos, velut decretis Eccleſiæ obediens filius, admiſit: atque iis etiam admiſſis, nihil prorſus de religioſa obſervantia erga Sedem Apoſtolicam remiſit, diminuitve. Hanc enim, ejusque Præſulem

(A) Anaſtaſius Bibl. Nicolai I. epiſtolæ Annales Bertiniani.

Joannem VIII. Legationibus assiduis, & donis, ac Xeniis oblatis, omnique officiorum genere, tanquam caput totius christiani populi, quolibet prope anno excoluit (A).

SERBL. Sint ita plane omnia, ut ajebas: & fide optima, ac in obsequium sententiæ, ut ferebatur, ex concilio Patrum acceptæ, Constantinopolitanos admiserit: fueritque hoc unice, quod Michaelem in obedientia Patriarchæ Constantinopolitani detinuit: frustra tamen sunt hæc omnia, nec propositæ a me quæstioni satisfacis, nisi denique monumento quopiam comprobesMichaelem deserta Constantinopoli, se, Bulgariamque Romanis Patriarchis restituisse, & hos jura sua Patriarchica postliminio illic exercuisse.

Marino Pontifice redit ad Romanum Patriarchatum. A quo Reges coronas: Ecclesia Bulgarica Vicarios Apostolicos accipit.

BULG. Quæ tu monumenta a me poscis? non est tibi satis, quod comperta Vicariorum Orientalium subreptione, ultro se, Bulgariamque Michael Marino Romano Patriarchæ subjecit, & per institutos ab eo Vicarios Apostolicos gubernandam permisit: &, quod denique expetito Roma diademate, successores suos Sedis ejusdem authoritate coronis insigniri voluit. An possunt ampliora, nobilioraque Patriarchatus Romani monumenta, aut exstare in Bulgaria, aut a quoquam desiderari?

SERBL. Si sic res se vestræ habeant, in tuto sunt omnia. Nam coronatio Principum Sedis Apostolicæ authoritate facta, & Vicariorum Apostolicorum in Bulgaria institutio, Patriarchatus Romani certissimum sunt monumentum. Apostolicos illos Vicarios, qui denique Achridæ Sedem fixerunt, si recte memini, Bulgari sua deinceps phrasi *Patriarchas* appellarunt.

BULG. Gens Bulgarorum, & imperialium coronarum insignia, quibus Principes suos ad Sæculum usque XI. nullo demto, ornatos gloriatur, & Patriarchatus sui initia, non ad fontem alium, quam Romanos Pontifices refert: ab his utrumque hoc decus in Regnum suum, atque uno, & eodem prorsus tempore promanasse ultro grata agnoscit, ac profitetur.

SERBL. De Calo Joanne quidem Bulgarorum Imperatore id mihi exploratum est, quæsisse impetrasseque ab Innocentio III. sibi diadema, imperio vero suo Patriarcham. At quando hoc demum evenit? post duo nempe a magno Bulgarorum interregno sæcula, nec ante annum salutis MCCIII. Quæ vero rerum facies per Bulgariam fuerit post medium IX. Sæculi per decimum & principia unde-

(A) Joannis VIII. P. epistolæ.

undecimi, hoc eſt, quod nunc inquiro. Poſt *Michaelem I.* Regem Chriſtianiſſimum, qui anno 883. ſceptro depoſito ſe intra cænobii anguſtias ad liberius Deo famulandum recluſit; Bulgariam moderati ſunt hoc ordine: Preſiamus filius ab anno 883 ad 885. Michael Boryzes ad annum 888. Inde Vladimirus (A) cum Simeone filio, quorum iſte ad annum uſque 932 regimen perduxit (B). Tum ejus filius Petrus ad annum 970: in cujus filiis Boryze, ac Romano, hinc Ruſſis, inde Joanne Zimiſce Imperatore prementibus, Petri progenies, ac Bulgaricum imperium prope interiit: quod tamen extincto Zimiſce *Samuel* cum fratribus ſub annum 976. rurſum erexit, perduxitque ad annum MXIV. Succeſſor Gabriel a Bladislavo peremptus anno MXV. Joannes vero MXVIII. interiit: quem denique dedentibus ſe Bulgaris, longius interregnum excepit anno MXIX. Per horum vero tempora, ſuprema illa duo jura, quæ memoraſti, Romanos Patriarchas per Bulgariam exercuiſſe, quibus tandem teſtibus, quove documento comprobabis? vereor, ne cuncta antiquitas deleverit.

Series Regum Bulgariæ Vide de Tabellam ad Calcem.

BULG. Omnes, quos recenſuiſti Principes Imperiali Corona a Romana Sede inſignitos fuiſſe, teſtis exceptione major eſt *Calo-Joannes* præſtantiſſimus ille Bulgarorum Imperator Sæculi XIII., quem tu paulo prius appelaſti. Nam cum is ipſe, poſt longum Bulgariæ interregnum, animum adjeciſſet ad quærendam Roma Coronam, egit id exemplo præceſſorum, a quibus & ipſe longo ordine genus derivabat ſuum: affirmatque diſerte: majores ſuos non aliunde, quam a Sede Romana imperiali diademate inſignitos fuiſſe: audiamus ejus verba (C) in epiſtola ad Innocentium III. data, ſic ille loquitur: *Imprimis*, inquit, *quærimus ab Eccleſia Romana Matre noſtra coronam, & honorem tanquam dilectus filius, ſecundum quod Imperatores noſtri veteres habuerunt: unus fuit Petrus, alius Samuel*: atque, ne hos ſolos fuiſſe putes, ſubdit continuo: *& alii, qui eos Imperio præceſſerunt*: præceſſerunt vero Simeon, Vladimirus, Michael Boryzes, & Preſiamus primi *Michaelis* Chriſtianiſſimi Regis filius.

Quos coronas Roma accepiſſe teſtatur Calo-Joannes Bulg. Imperator.

SERBL. At mihi idoneus in hanc rem teſtis non videtur Calo-Joannes, quantumvis Imperator, quod tu non in malam partem vertes. Nam poſt duo fere ſæcula, poſt magna Bulgarici Imperii diſturbia, & diuturnum ſane interregnum hæc ille, atque in rem ſuam teſtatus

(A) Porphyr. L. de admin. Imp. C. 32. *Blaſtimerem* vocat filium Boryzis ad annum 886. Annales Bertiniani *Laudomirum* ad annum 892. (B) Leo Grammaticus: Sed Chron. juſſu Porphyrogeniti ſcriptum ponit annum 927. (C) Innocentius III. L. epiſt. epiſt. 115.

teſtatus eſt, & ſcripſit, poſtquam nempe cum Petro, & Aſane fratribus, Græcis ejectis, imperium in gente ſua inſtauravit, ſtabilivitque.

Teſtimonium Calo-Joannis vindicatur.

BULG. Si etiam Calo-Joannes Princeps ad vetera anteceſſorum ſuorum monumenta non provocaſſet, fide adhuc digniſſimum ducerem; nam cum illa, quæ retuli, ſcripſit, præerat jam Imperio magna potentia; & diadema Imperiale, quod a Græcorum Auguſto, ac Patriarcha oblatum, aſpernatus fuerat, ſola pietatis cauſa, majorumque imitatione a Sede Apoſtolica quæſivit, optavitque (A): *Ex quo*, inquit, *ſciverunt iſtud Græci, miſerunt mihi Patriarcha, & Imperator: veni ad nos, coronabimus te in Imperatorem, & faciemus tibi Patriarcham, quia imperium ſine Patriarcha non ſtaret.* At Calo-Joannes inſuper ad ſcripta majorum provocat, ſic enim ſupra dicta continuat: &, *qui eos imperio præceſſerunt, ſicut in libris noſtris invenimus eſſe ſcriptum.* Explanat deinde hoc ipſum diſertius adhuc in edicto ſuo anno MCCIV. emiſſo (B). *Cum placuit Domino Jeſu Chriſto me Dominum, ac Imperatorem Bulgariæ, & Blachiæ facere, inquiſivi in antiquorum noſtrorum ſcripturas, & libros, & bonæ memoriæ Imperatorum noſtrorum prædeceſſorum leges: unde ipſi ſumſerunt regnum Bulgarorum, & FIRMAMENTUM IMPERIALE CORONAM SUPER CAPUT EORUM: ET PATRIARCHALEM BENEDICTIONEM? & diligenter perſerutantes, in eorum invenimus ſcripturis, quod bonæ memoriæ illi Imperatores Bulgarorum, & Blacborum Simeon, Petrus, & Samuel noſtri prædeceſſores CORONAM IMPERII, ET EORUM PATRIARCHALEM BENEDICTIONEM acceperunt a Summa Dei Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede Principe Apoſtolorum Petro.*

SERBL. At libros etiam, ſcriptaque domeſtica alleganti Imperatori, an nullo præmiſſo examine, nullis ſui archivi tabulis inſpectis confeſtim fidem præbuit Pontifex? Id ſane non oportebat.

BULG. Nihil in hac cauſa gravi præcipitavit Innocentius, nihil diligentiæ omiſit: excuſſit ipſe Archivi Romani Tabulas, quin & Joanni Capellano anno MCCII. in Bulgariam cum Archi-Epiſcopali Pallio deſtinato injunxit, ut de coronatis per Romanos Pontifices Bulgariæ Principibus diligentius inquireret: teſtis horum eſt epiſtola Innocentii (C) quæ incipit: *Calo-Joanni Domino Blacborum, & Bulgarorum - - Apoſtolica Sedes - - - Petiſti humiliter, ut Coronam tibi Romana Eccleſia concederet, ſicut illuſtris memoriæ Petro, Samueli, & aliis progenitoribus tuis in libris tuis legitur conceſſiſſe. Nos ergo, ut ſuper hoc majorem certitudinem habere poſſemus, Regeſta noſtra fecimus perlegi diligenter: ex quibus evidenter comperimus, quod in terra tibi ſubjecta multi*

Reges

(A) Ex L. epiſt. Innoc. III. L. 3. ep. 142. (B) Quod incipit: *In nomine Patris* &c. (C) Ex L. 5. Innoc. epiſt. 116.

Reges fuerunt coronati - - mandamus quoque Ipſi (Joanni), *ut de Corona progenitoribus tuis ab Eccleſia Romana collata, tam per libros veteres, quam alia Documenta inquirat diligenter veritatem, & de omnibus tecum tractet - - ut cum per ipſum, & nuncios tuos, de omnibus redditi fuerimus certiores, conſultius & maturius, prout fuerit procedendum, procedamus.* Atque, cum Joannes legatus in Boſna aliquamdiu moras traheret, Dominico Archi-Presbytero Brunduſino idem legationis, & inquiſitionis munus Pontifex demandavit.

SERBL. Cum Innocentius III. poſt longam ſeveramque diſquiſitionem, Regium denique diadema per Legatum ſuum Leonem Sanctæ Crucis Cardinalem ad Calo-Joannem cum vexillo transmiſerit; neceſſe eſt, eum comperiſſe Bulgariæ Principes *Petrum*, *Samuelem*, & *qui hos imperio præceſſerunt* coronas ſuas Roma accepiſſe.

Et Innocentii III. Papæ authoritate confirmatur.

BULG. Nec id modo, ſed comperit quoque poſt Samuelem etiam nonnullos authoritate Apoſtolica in Bulgaria redimitos eſſe. Adi Innocentii epiſtolam, qua Hemericum Hungariæ Regem reprehendit, ob moras injectas legato ſuo Cardinali Leoni ad coronandum Calo-Joannem per Hungariam tendenti; & una teſtatum facit: *antiquitus multos Reges in Bulgaria ſucceſſive fuiſſe coronatos authoritate Apoſtolica Petrum, Samuelem, & alios nonnullos poſt eos.* Erant vero poſt Samuelem *Gabriel Romanus*, & *Joannes Bladislavus*, quo extincto, Bulgaria anno MXIX. in poteſtatem Græcorum venit, & inter varios motus, revolutionesque utcunque perſtitit, donec Regum, quos dixi poſteri *Petrus*, *Aſan*, & *Calo-Joannes* fratres excuſſo Græcorum jugo, eandem rurſus genti ſuæ vindicaſſent anno MCLXXXV.

SERBL. Poſtquam Imperatores Bulgariæ inde a Michaelis I. temporibus, ad occaſum uſque, ſeu interregni tempora, annumque adeo MXIX. ſub Romani Patriarchæ authoritate ſtetiſſe ſummis teſtimoniis Calo-Joannis, & Innocentii, ac veteribus Documentis, quæ utrique facem prætulerunt, ipſisque adeo coronarum imperialium monumentis confirmaſti; facilius jam inducor, ut credam, quod dudum antea affirmaſti, Marini Romani Papæ, & Michaelis I. Regis conſilio communi, ſtudioque effectum, ut *Vicariatus Apoſtolicus* olim a Juſtiniano I. Auguſto, & Vigilio Papa in regionem illam invectus (A), ſed per Bulgarorum paganorum ferociam deletus extinctusque, rurſum a Marino Papa, & Michaele Rege ſit excitatus, & revectus ſub annum 883., quo ipſo, ſecedente Michaele Rege Chriſtianiſſimo in cœnobium, *Preſiamus* filius res Bulgaricas moderandas ſuſcepit.

(A) Nam *Juſtiniana I.* a Bulgaris *Achrida* dicta eſt.

II. Vicariatus Apoſtolicus per Marinum in Bulgaria inſtauratur.

BULG. Et recte id quidem, nam cum Preſiamum a Marino diademate imperiali inſignitum teneamus, faſtigium vero imperiale, quod Bulgari antiquo, perpetuoque jure ſibi vindicabant, ex Græcorum æque, ac Bulgarorum ſenſu, cum Patriarchali Throno tam arcto nexu, ac fœdere copulatum crederetur, ut unum, extra alterius conſortium haud ſtare poſſe perſvaſum haberent; conſequens eſt, a Marino primum ſicut diadema, ita ſimul Patriarchatum in Bulgariam promanaſſe, quem jam Michael I. a Nicolao I. Papa quæſiſſe, optaſſeque videtur (A). Certe ex fonte eodem, Roma ſcilicet, utrumque hoc una ac conjunctim profluxiſſe, ex Regni ſui monumentis agnovit, & teſtificatus eſt Calo-Joannes Imperator, rerum gentis ſuæ optime gnarus, cum in hæc verba ſcripſit ad Innocentium: *Noſtri prædeceſſores Coronam Imperii, & eorum Patriarchalem Benedictionem acceperunt a ſumma Dei Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede Principe Apoſtolorum Petro.*

SERBL. Pono jam omne dubium de Bulgariæ per hæc Sæcula concordia, nexuque cum Romanis Patriarchis, poſtquam & coronas principum inde emanaſſe, & *Vicarios Apoſtolicos* ex Marini inſtituto in Eccleſiæ Bulgaricæ Throno ſediſſe perſpicio. At, cujus Epiſcopi perſonæ primum Vices Apoſtolicæ cum Autocephalia, & Patriarchali faſtigio delatæ ſint, ac cui loco Vicariatus adhæſerit, ſi noſti edicito?

Cum duabus Bulgariæ partibus Clementi defertur.

BULG. Archi-Epiſcopi Bulgariæ ad Marini uſque tempora nulli, ut videtur, Sedi affixi fuere, ſed nunc ex hac, alias ex alia Statione Eccleſiam Bulgaricam procurabant. *Preſiamus* a Marino diadema imperii ſortitus, authoritate ejusdem munus, dignitatem Vicarii Apoſtolici perſonæ *Clementis* Tiberiopolis, ſeu Belices Epiſcopi conjunxit (B): atque cum Preſiamus de finibus diœceſeos Bulgariæ cum Baſilio I. & Leone Sapiente auguſtis nondum conveniſſet, duas interim Bulgariæ partes regimini ejus ſubmiſit anno 883. parte tertia, quæ per diœceſim Macedonicam procurrebat, ſub lite exiſtente. At *Michael Boryzes*, poſt breve patris imperium, *Clementem* eundem Tiberiopoli revocatum, *Achridam*, quæ olim *Juſtiniana prima* fuit, transtulit; & ſequutus Juſtiniani I. exemplum, Sedi eidem dignitatem Archi-

---

(A) Quæſierat Rex Michael I. *An Bulgaris Patriarcha ordinari poſſit?* Nicolaus I. ad Bulgarorum conſulta reſpondit C. 72. ad finem: *Vos, ſive Patriarcham, ſive Archi-Epiſcopum, ſive Epiſcopum vobis ordinari poſtuletis: Eum a Sedis Apoſtolicæ Præſule, Sedis Beati Petri, a quo, & Epiſcopatus, & Apoſtolatus ſumſit initium, eſſe ordinandum.* (B) Eadem vulgo *Strumbiza* dicta eſt, a *Strymone* Macedoniæ fluvio, cui adjacebat. Vide expoſitionem Andronici ſenioris.

chi-Epiſcopi Bulgariæ, & *Vices Apoſtolicas* in perpetuum affixit; quin & compoſito interim cum Leone ſapiente negotio, tertiam quoque Bulgariæ partem, quam Græci Conſtantinopolitano arrogabant, Clementis ſupremo in ſacris Gubernio ſubmiſit, atque ita univerſæ Bulgariæ præfecit.

SERBL. Quo authore, aut vade hæc tu tam fidenter aſſeris? quis tibi in hanc præivit Sententiam? &, quæ tandem tertia illa Bulgariæ pars fuit, quam Michael Boryzes Clementi ſuo Archi-Epiſcopo vindicavit?

BULG. Præivit mihi in hanc Sententiam author indicis Archi-Epiſcoporum Bulgariæ concinnatus, ut videtur ſub annum MCLVI. quo Joannes Comnenus, in quo catalogus abſolvitur, Achridæ præfuit. *Tertia* autem Bulgariæ pars, quæ ad priores duas Clementi acceſſit, per *Theſſaliam*, & *Epyrum* effuſa fuit, porrigebaturque, ut author indicis explanat, a Theſſalonica uſque *Jericho*, & *Caninas* ſeu *Ta Sapiati* regionem. Regio autem, quæ hic *Canina* ſcribitur, eſt ipſa Leonis Sapientis *Canicia*, quam hic auguſtus, cum omni Theſſalia, veluti Macedonicæ Diœceſeos portionem throno Conſtantinopoleos in expoſitione anni 883. reſervaverat. At cum in poteſtate, & ſub Imperio Bulgarorum eſſet, ceſſit demum, paſſusque eſt, ut Achridano Archi-Epiſcopo ſubjiceretur. Quæ ego latius, author indicis ita paucis perſtrinxit: *Clemens Tiberiopolis, ſeu Belicæ Epiſcopus Achridam revocatus a Boryze Bulgariæ Baſileo ad curandam tertiam quoque partem Regni Bulgarici, quæ patebat a Theſſalonica uſque Jericho & Caninos ſeu Ta Sapiatas* (A).

Affigitur Sedi Achridanæ, cui & tertia pars Bulgariæ adjungitur.

Bulgariæ pars tertia indicatur.

SERBL. Itaque Achridanæ Eccleſiæ, ejusque prærogativarum Patriarchicis ſimilium fundator tuto conſtitui poteſt *Michael Boryzes*.

BULG. Tuto ſane: nam & Theophylactus doctiſſimus ille Bulgarorum Achridæ Archi-Epiſcopus, non alium ab hoc Boryze fundatorem Eccleſiæ ſuæ, juriumque ejus, ac autocephaliæ agnoviſſe videtur, cum poſt duo abhinc Sæcula ad filium Sebaſtocratoris in hæc verba ſcripſit; *Oro igitur, & bis literis tanquam corpore ſupplex procumbo, ut miſerearis feliciſſimæ quondam Eccleſiæ, quam chriſtianiſſimus ille Boryzes Bulgariæ BASILEOS unam, & ipſam de ſeptem Catholicis ædificavit: tu renova.* Ubi ſane cum Theophylactus

Michael Boryzes fundator Eccleſiæ Achridanæ, ejusque jurium: quæ fuit una e ſeptem Catholicis ſeu Univerſalibus.

(A) *Jericho* eſt urbs, & portus non longe infrà Dyrrachium ex L. 4. Alexiadis Annæ Comnenæ. *Canina* regio eſt in confinio Epyri veteris ad Acroceraunios montes, ubi & hodie in Tabulis Geographicis Haſii lego *Sopoto*, unde fors Taſapiatæ.

ctus Eccleſiam ſuam Achridanam *unam de ſeptem Catholicis* nuncupat, quinque Patriarchalibus, & Cypri Eccleſiæ Autocephalæ, eandem connumerat, ejusque fundatorem hunc Boryzem profitetur, cum *ædificatam* ab ipſo tradit. (A).

SERBL. Eccleſiam Achridanam, imperante Boryze, & Clemente Archi-Epiſcopo fuiſſe jam Autocephalam, univerſalem, & ad faſtigium Patriarchale provectam, nondum aſſentior: nam ipſe, quo nitebaris author indicis, non *Preſiamo*, aut *Boryze* imperantibus, ſed multo ſerius, *Petro* ſcilicet imperium Bulgaricum tenente, Archi-Epiſcopo *Damiano* id honoris obveniſſe teſtis eſt: en verba: *Hicce* (Damianus) *Patriarcha renuntiatus fuit a Conſilio imperiali, juſſu Lacapeni Romanorum Imperatoris.*

Eius autocephalia, & Patriar. ſerius a Græcis agnitus.

BULG. At hæc Scriptoris tu ſic accipe, non, quod tunc primum Autocephalia Achridam invecta ſit, ſed quæ pridem antea, reſtaurato per Sedem Apoſtolicam Vicariatu, in Bulgariam revecta fuerat, vigebatque; eandem Lacapeno Imperatore Græcorum etiam ſuffragio recognitam eſſe, probatamque.

SERBL. Suſtines ergo Vicariatum Apoſtolicum, ſacrique honoris faſtigium Clementi, Boryze imperante delatum, eoque ad Sedem Achridanam admoto, Achridæ deinceps cohæſiſſe. An vero neſcis *Clementem* a Sacris Romanis alienum prorſus egiſſe? Author vitæ (B) talem diſerte perhibet. Quis vero exiſtimet per Principes Sedi Romanæ devotos, quales *Preſiamus*, & *Boryzes* fuere, vivo adhuc Michaele catholiciſſimo rege talem Paſtorem ad Eccleſiam Bulgaricam Vicarii Apoſtolici nomine gubernandam admotum, Diœceſi auctum, amplificatumque fuiſſe, ſummoque jure Bulgariæ univerſæ præfectum?

Clemens a nota Schismatis defenditur.

BULG. Dabo tibi *Clementem* iis adumbratum eſſe coloribus, qui Schiſmaticum hominem notent: at talem etiam fuiſſe, qualem author vitæ Photianus expinxit, pernego: familiare hoc ipſis eſt, ut, qui a cætu illorum etiam alieniſſimi exſtiterunt, in ſuorum tamen numerum trahant, ſi modo a pietate, aut geſtis rebus clari, conſpicuique fuerint. Idem author, cum e turba Photianorum fuerit, Sanctum quoque Methodium in ſuorum claſſem retulit: an vero idcirco talis erat Methodius? nonne uſque ad extremum ſpiritum Sedi Apoſtolicæ obſequentiſſimum ſe præbuit, ac apprime Catholicum, quamquam ab æmulis in hæreſeos ſuſpicionem vocatus, ac propterea a Ioanne VIII. Romam ad dicendam cauſam anno 879. ſit accerſitus. Ubi ſicut fides ejus

(A) Vixit Theophylactus Sæculo XI. provecto. (B) Codice Vaticano MXLIX. fol. 348.

ejus magnis elogiis eſt exornata, ita ritus ab eo invectus ſermone Slavonico divina celebrandi officia, probatus eſt (A) Idem vitæ Clementis author *Francos*, & *Vichinum* Methodii diſcipulum Romæ a Joanne Papa ad Titulum Nitrienſis Eccleſiæ conſecratum, qui Gorasdum Sede Epiſcopali ejecit, tanquam hæreticos ſpiritui ſancto adverſantes proſcindit, traducitque: an vero idcirco tales fuiſſe exiſtimabimus?

SERBL. Stabilito Clemente, profer jam ſeriem Archi-Epiſcoporum Bulgariæ ex authore indicis, & quæ ille de ſingulis memoriæ prodidit.

III. Series Archi-Epiſcoporum Bulgariæ ex authore indicis.

BULG. Primum ille in ſuo catalogo ſtatuit *PROTOGENEM* Sardicæ Archi-Epiſcopum: *per quem* inquit, *Sancti Patres Philoſophum, qui ſpiritui ſancto detrahebat, confutarunt, ut fertur in actis ejusdem primæ Synodi* (B). Tum ſubdit *METHODIUM, ſancti Cyrilli Philoſophi germanum fratrem a Nicolao Papa*, ut ipſe ait, *Romæ ordinatum Moraviæ in Panonia Archi-Epiſcopum.* Tertio loco ponit *GORASDUM a Methodio conſecratum, verum ſubinde ab hæreticis ſpiritum ſanctum oppugnantibus expulſum.* Gorasdo ſubjungit *CLEMENTEM Epiſcopum Tiberiopoleos, ſeu Belices, revocatum ſubinde a Boryze Bulgariæ Principe ad curandam QUOQUE TERTIAM PARTEM Regni Bulgariæ, quæ a Theſſalonica uſque Jericho, & Caninos, ſive Ta Sapiatas patebat.* Poſt Clementem nominat *DAMIANUM Doroſtoli Epiſcopum, quæ nunc Driſta dicitur, quo ſedente Bulgaria Autocephalos honorata eſt, & ipſe renunciatus eſt Patriarcha ab Imperiali Senatu juſſu Romani Lacapeni: poſtea a Joanne Zimiſce Imperatore demotus.* Hujus Succeſſores recenſet deinceps hoc ordine: *Germanum, Philippum, Joannem, Leonem, Theodulum, Joannem Lampenum, Joannem Anum, Theophylactum Oratorem, Leonem Bungum, Michaelem cognomento Maximum*, ac denique *Joannem Monachum Comnenum.*

SERBL. Quis tibi jam de his Bulgariæ Archi-Epiſcopis ſenſus, & quod de ipſo indicis authore judicium?

Criſis in authorem eundem.

BULG. Compilatorem hunc ex ævo poſtremi Archi-Epiſcopi depoſuimus jam ad annum MCLVI. Eundem iniquum Latinis fuiſſe prodit, quod expulſores *Gorasdi*, Vichinum ſcilicet, & Francos proceſſionem Spiritus ſancti ex Patre, & Filio propugnantes, *hæreticos* compellet, ac *ſancti Spiritus oppugnatores.* Imperitiæ convincitur,

 quod

(A) Vide Joan. VIII. epiſt. 195. Ind. XII. & 247. Ind. XIII. ad Sventopulcrum Comitem Moraviæ. (B) Nempe *Nicenæ* conſcriptis a Gelaſio Cyziceno L. 2. c. 20.

quod alienos in ſeriem Archi-Epiſcoporum Bulgariæ inſerat, quodque disjunctiſſimos proxime conjungat, licet ubique, pluresque prætereat. Denique, quod Nicolaum Papam, quem præceſiſſe norunt omnes, Hadriani Succeſſorem conſtituat; Methodii ordinationem, quæ Hadriano II. debetur, Nicolao tribuat: Moraviam Panoniæ adſcribat, ac denique Moraviam eandem cum Bulgaria confundat.

SERBL. *Protogenes*, niſi fallor, & *Methodius* ad Bulgariæ Archi-Epiſcoporum claſſem non pertinent: ille enim *Sardicæ* præfuit, cum nomen Bulgariæ Orientis Imperio adhuc ignotum fuit (A): iſte autem, cum Apoſtolatu apud Bulgaros functus eſt, non Epiſcopus, ſed Monachus duntaxat erat: & quando demum ab Hadriano conſecratus eſt? non Bulgaricæ Eccleſiæ, ſed Moravis Archi-Epiſcopus datus eſt. Denique, cum Protogenes a Methodio ipſis quinque ſæculis diſtet, imperite unus alteri conjungitur, velut, ſi ſe proxime exceperint.

BULG. Sed nec *Gorasdus*, quem Vichinus Moravia ejecit, ad Bulgariæ Eccleſiam quidquam attinet: & author vitæ Clementis, cum Gorasdum extra fines Bulgariæ ejectum tradit, manifeſte *Moraviam*, quæ ſupra Panoniam, & in parte regionis veterum Quadorum, ac ultra Jazyges Metanaſtas ſita fuit, cum Bulgariæ tractu ad fluvium *Morabum* effuſo confundit. Etſi enim probe ſciam Preſiamum anno 883. in *Moraviam* arma infeſta tuliſſe (B) Bulgariæ tamen imperio regionem illam adjunxiſſe haud invenio.

SERBL. Expunctis autem his tribus, *Protogene*, *Methodio*, *ac Gorasdo*, quos tandem, ſive tu, ſeu alii melioris notæ ſcriptores ſubſtituunt? Leo Allatius *Vichinum* Bulgariæ Epiſcopis accenſuit: ſed hunc ad *Nitrienſis* Eccleſiæ, in Moravorum Dominio poſitæ titulum ordinatum fuiſſe palam eſt, & ſerius (C), quam, ut primus Bulgariæ Archi-Epiſcopus eſſe potuerit, quem anno 870. S. Ignatius Patriarcha Bulgariæ immiſit.

Sententiæ variorum de Bulgariæ Archi-Epiſcopis.

BULG. Hunc vero Baronius cum Pagio, ac Leone Allatio *Theophylactum* appellatum fuiſſe ferunt. Le Quienus rejecto Theophylacto *Gabrielem Achridæ* Epiſcopum, quem in Photiana Synodo anni 879. ſubſcriptum legerat, ſubſtituit. Aſt Aſſemanus *Gabrielem* expungit, quod licet *Achridæ* Epiſcopus fuiſſet, honore tamen eminentiore

---

(A) Præfuit Sardicæ Protogenes anno 325. in Conc. Nicæno: & 347. & in Sardicenſi. Vide Conciliorum collectionem Colleti T. 2. (B) Annales Fuldenſes apud Duchesne T. 2. Hiſt. Franc. (C) Nec enim Vichinus ante annum 880. promotus eſt, ut conſtat ex Joannis epiſtola ad Svetopluchum Comitem Moraviæ.

nentiore Archi-Epiſcopi, tituloque gaviſus non fuerit: in ejus vero locum advocat *Agathonem* Archi-Epiſcopum, a Baſilio I. anno 873. (A) ad Ludovicum Germaniæ Regem ablegatum, qui expoſt in Photiana illa Synodo anni 879. *Moraborum Archi-Epiſcopus* ſubſcriptus legitur. Idem poſt Agathonem *Gorasdum* collocat, quem opinatur eundem cum *Georgio* fuiſſe; de quo Joannes VIII. in epiſtola ad Michaelem Bulgarorum Regem, qua ſignificat depoſitum a ſe *Sergium* eſſe, quem *Georgius*, *qui falſo ſibi Epiſcopi nomen uſurpat*, licet indignum, multisque criminibus obvolutum, ad *Belogradenſem* Epiſcopatum promoverat. Verum, ut ex hac ipſa Pontificis epiſtola liquet, *Georgius* præceſſit potius *Agathonem*, quam ſecutus eſt: nam *Georgius* anno 878. Ind. XI. qua Pontifex regi ſcripſit, ſedebat: *Agathon* vero Photianæ Synodo ſubſcripſit anno 879.

SERBL. Inter tot variantes, confuſasque ſententias, quam tandem amplectemur? Tibi, ut animo præſagio, probatur nulla: tuam igitur, ſi quam habes, deprome.

BULG. Dum certiora nobis affulgeant, & firmiore aliquo Documento Baronii *Theophylactus* comprobetur, ego ex Joannis epiſtola 75. Ind. XI. ad Michaelem regem data (B) *Georgium* Archi-Epiſcopum ab Ignatio Patriarcha Bulgariæ datum opinor, primumque in ordine pono: nam *Georgium* fuiſſe *Archi-Epiſcopum* promotio *Sergii* ad Epiſcopatum abunde indicat: eundem vero Bulgariæ præfuiſſe inde conficitur, quod *Belogradum*, in cujus Sedem provexit *Sergium*, hic vix aliud intelligi poſſit, quam quod Savi, Danubiique confluentibus abluitur, & Tauruni nomine olim claruit: aut urbs altera novæ Epyri nominis ejusdem non longe ab Achrida in meridiem recedens; quæ urbs utraque ſub tempus illud in Bulgarorum poteſtate fuit. Certe *Belgrado Dalmatiæ*, quod *Alba maris* paſſim dicitur, nec longe a Jadera urbe in ortum divergit, multo ſerius Epiſcopales infulæ acceſſere, nec ante annum 1059, quo Creſimirus III. apud Chrobatos regnabat. Huc præterea facit, quod Michaelis regis ſcire non intererat, nec Pontificis regem admonere de facta per ſe *Sergii* depoſitione, ſi is in Gremio Bulgariæ Sedem non habuiſſet. *Georgium* autem Archi-Epiſcopum, *nomen Epiſcopi falſo uſurpare* idcirco dixiſſe videtur, quod ſtationem illam Bulgariæ non per legitimum Patriarcham, ſed Ignatio Conſtantinopolitano authore, promotoreque ingreſſus eſſet. Poſt *Georgium*, quem Photius Conſtantinopoli reſtitutus, Ignatiani nominis invidia dejecit ſede, opinor *Agathonem*, *Moraborum Archi-Epiſcopum*

Sententia noſtra.

(A) Annales Fuldenſes. (B) Miſſa per Eugenium, & Paulum Epiſcopos, quæ incipit: *Spiritualibus viſceribus te edito gaudebamus.* Ind. XI, quæ eſt annus Chriſti 878.

pum, qui Photiano conciliabulo ſubſcripſit anno 879. intruſum fuiſſe: cum enim *Methodius* Archi-Epiſcopatui *Moraviæ* per id tempus præeſſet (A), *Agathonem* Bulgaricæ ad *Morabum fluvium* ditioni antiſtitem a Photio datum exiſtimo, atque inde *Moraborum Archi-Epiſcopum* dictum. Quo denique ſeu mortuo, ſeu hortatu Michaelis I. regis, ſede illegitime adita, ultro decedente, *Preſiamus* rex *Clementem* Tiberiopolis Epiſcopum Catholicum, Bulgariæ Archi-Epiſcopum, ac una Vicarium Apoſtolicum renunciavit anno 883, duabus Bulgarici imperii partibus ſupremæ ejus curæ demandatis; cum tertia adhuc pars, in Diœceſi Macedonica poſita, a Conſtantinopolitano teneretur, & ſub lite eſſet; qua demum compoſita, tertiæ quoque Bulgarici Imperii parti Clementem eundem *Michael Boryzes* rex præpoſuit, atque ad capeſſendam veterem Archi-Epiſcoporum, & Vicariorum Apoſtolicorum Thronum *Juſtinianam primam* tunc *Achridam* dictam anno 885. revocavit, adduxitque, ex Sede deinceps illa Bulgariam univerſam moderaturum. *Clementi* author indicis ſubjungit *Damianum*: qui ſi Clementem proxime ſequutus eſt, nec quisquam medius interceſſit, utriusque regimen prorogandum erit quam longiſſime: Clementis quidem ad annum fere 932, quo *Damianus* a Lacapeno Imperatore Patriarcha Bulgariæ renunciatus eſt: Damiani vero uſque ad annum 972, quo a Joanne Zimiſce fertur depoſitus. A reliquo Bulgariæ Archi-Epiſcoporum Catalogo abeſt *David*, qui Joanne Bladislao imperante ſedit, & coævus Bulgariæ excidio, ac interregno fuit (B). Hunc vero inter *Joannem*, & *Leonem* ſtatuendum eſſe cenſeo, ſi, quod author indicis ait, *primus ex Romanis* Leo Achridæ eſt præfectus. Verum hæc preſſius veſtigare ad Bulgariæ Hiſtoriam potius, quam rem noſtram pertinet. Quare pluribus abſtineo.

SERBL. Ex depoſitione Sergii; Belogradorum apud Bulgaros Epiſcopi adverto, Joannem VIII. Pontificem, quanquam Conſtantinopolitani Bulgariam inſediſſent, a perſequendo tamen jure ſuo Patriarchico in eandem provinciam non deſtitiſſe: quod denique Marino Pontifice in integrum reſtitutum eſt. Sed præter Vicariatum Apoſtolicum tunc in Bulgariam revectum, & coronas Regibus impoſitas; nihilne præterea negotiorum Romæ cum Bulgaris interceſſit, ex quibus Romanus Patriarchatus ultro confirmetur.

BULG.

(A) Ut conſtat ex epiſt. Joannis VIII. qua Methodium Archi-Epiſcopum Romam evocat, ad fidei rationem reddendam Ind. XII. anno 879. n. 195. Et ex ep. 247. Ind. XIII. anno 880. ad Svetopluchum Moraviæ Comitem data, qua fidem Methodii laudat, quem cum *Vichino* conſecrato *Nitrienſi* remittit: & Linguæ Sclavonicæ in ſacris uſum probat. (B) Cedrenus.

BULG. Formoſum Papam, poſtquam 931. anno ad Petri Cathedram provectus eſt, Bulgariam veterem Apoſtolatus ſui arenam repetiviſſe, mutuisque officiis per literas, & legatos cum Simeone Rege egiſſe, extra dubium eſt. Baronius ad annum 903. nexum utrique peculiarem, & nogotiorum commercium interceſſiſſe affirmavit: at, quale illud, & in qua demum cauſa, nemo, quod ſciam, documento aliquo detexit (A). Ita ſummo temporum iſtorum infortunio, aut interciderunt publica Eccleſiarum monumenta, aut in ſcriniis a blattis, tineisque hodiedum exeduntur. Legationes mutuas, quibus idem Rex Simeon Joannem X. & hic regem excoluit, ad finem hujus colloquii referemus. Regum cæterorum cum Sede Apoſtolica negotia, officiaque aut vetuſtas obruit, aut feliciora evolvent tempora.

Simeonis Bulgariæ Imperatoris nexus cum Formoſo & Joanne X. Pontificibus.

SERBL. De Bulgaricæ Eccleſiæ acceſſione ad Romanum Patriarcham, ejusque, quoad prima Series Regum chriſtianorum ſtetit, cum Sede Apoſtolica nexu, ſatis, ſuperque. Quæ vero inter hæc Serblianæ Eccleſiæ ſors fuerit, ignoro penitus. Serblos an. 879. nondum Romano veteri ſuo Patriarchæ acceſiſſe eruo ex Joannis VIII. epiſtola (B) ad Dalmatiæ antiſtites data, qua ipſos ad reditum ſollicitat, & *Gracorum*, *Sclavorumque* metum conatur adimere, opem auxiliumque ſpondendo: nam eo loco *Sclavorum* nomine non alios, quam *Serblos* venire inde conficitur, quod a Chrobatis nullus jam metus Dalmatis eſſe potuerit, cum iſti jam anno eodem ad obſequium Sedis Romanæ redierint.

BULG. Poſt ſolemnem Illyrici ceſſionem a Baſilio I. anno 880. Joanni Papæ factam, nexum Eccleſiarum noſtrarum, & Serbliæ cum Patriarcha Conſtantinopolitano diſſolutum eſſe manifeſtum eſt, tum ex natura ceſſionis nunquam retractatæ, tum & ex laudata Leonis Sapientis expoſitione, quæ mox adornari cepit, & in qua nulla noſtrarum, aut Serblicarum Eccleſiarum memoria exſtat. Reſciſſo vero cum Conſtantinopoli commercio, quid aliud eſt conſequens, quam, ut Metropolitæ, Epiſcopi, Clerus omnis, populusque ſe primævo ſuæ Patriarchæ Romano reſtituerit, atque in ejus obſequium totus conceſſerit. Quare epocham reditus veſtri ad Patriarcham Romanum cum anno 880 conjungo.

IV. Serblorum reditus ad Romanum Patriarcham anno 880.

SERBL. Cum ſub idem fere tempus, anno nempe 883. jura Juſtinianæa favore Marini Pontificis per Illyricum ſunt reſtituta Bulgariæ Archi-Epiſcopo; nullumne is jus in Serbliæ Eccleſias ſibi vendicare aggreſſus eſt? *Primæ Juſtinianæ* diœceſim conflabant ſeptem

(A) Baronius putat Simeonem Formoſo ſedente ſe primum Patriarchatui Romano junxiſſe. (B) Quæ incipit: *Paſtorali.*

Provinciæ (A) *Dacia Mediterranea*, & *Ripenſis*, *Mœſia prima*, *Dardania*, *Prævalis*, *ſecunda Macedonia*, & *pars ſecundæ Panoniæ*: in quibus provinciis cum maxima pars Serbliæ, ipſeque ejus Metropolitanus Diocliæ Archi-Epiſcopus contineatur, Serblia prope univerſa, exceptis duntaxat *Tribunio*, *Chulmia*, & *Narenta*, ſub ejusdem Archi-Epiſcopi Bulgariæ jus conceſſit. Hoc vero ſi ita ſe habeat, communis immo eadem cum Bulgaris Serblorum conditio fuit: iisdemque argumentis, quibus Bulgariam, Serbliam quoque Romano Patriarchæ obnoxiam fuiſſe comprobaſti.

Pars Serblorum Achridano Archi-Epiſcopo Vicario Apoſtolico.

BULG. Illam Serbliæ partem quæ affuſa Danubio ad Savum uſque flumen porrigitur, paruiſſe Bulgariæ Archi-Epiſcopo Vices Apoſtolicas gerenti eo minus dubitari poteſt, quo certius, exploratiusque eſt, tractus illos provinciarum, qua Danubium propius reſpiciunt, a longo jam tempore, Imperium Bulgarorum ſubiviſſe, quin, & in nomen Bulgariæ immigraſſe. Teſtantur hoc, & innegabile faciunt Francorum Hiſtoriæ, (B) quorum regibus, poſt debellatos a Carolo Magno Hunnos, Abares, ſubactamque Panoniam, non una deinceps lis, bellumque finium cauſa cum Bulgaris interceſſit (C). Confirmat id etiam Porphyrogenitus (D) qui *Raſe* urbem, quæ veterum *Raziaria* videtur, & Ripenſis Daciæ Metropolis fuit, limitem fuiſſe Bulgariæ, Serbliæque non obſcure indicat. At Serblia ulterior, quæ ab his finibus ad Scardum montem, eoque transcenſo verſus Hadriaticum mare porrigitur, quemadmodum a propriis ſuis principibus regibusque gubernabatur, ita nec Archi-Epiſcopi Bulgariæ Imperium Sacrum ſubivit; ſed veteribus in Concilio Delmitano partis innixa privilegiis, ſub Diocletano ſuo veteri Metropolita libera, ſolique Romano Patriarchæ ſubjecta manſit: id, quod mox gravi bello Bulgaros, & Serblos inter occaſionem præbuit, præcipue poſtquam Blaſtimerus, ex Montanæ Serbliæ Principe, Serblorum omnium Rex effectus, nova fretus potentia tributum, quod a longis retro temporibus pendebat Serblia Bulgaris, detrectare cepit.

Pars Diocletano Metropolitæ paruit.

Belli occaſio inter Serblos & Bulgaros.

SERBL. Bellum inter Bulgaros, ac Serblos enatum ais: cauſam, & originem ejus refers ad detrectatum a Blaſtimere tributum æque, atque Achridani Archi-Epiſcopi in Sacris Imperium, qui Metropolim Diocletanam in provincia Prævalitana poſitam, atque cum ea univerſam Serbliam juribus ſuis Apoſtolicis arrogabat. Neſcio, quid jam prius a te poſtulem, an belli, quod Serblos, Bulgarosque commiſit, atque in annos plures productum eſt, progreſſum, exitumque? An potius argumenta, exemplaque ſubjectionis noſtræ adverſus Romanum

(A) Ex Juſtiniani I. Novella Conſtitutio XI. (B) Annales Bertiniani. (C) Iidem ad annos 825. 6. & 7. (D) L. de adm. imp. c. 32.

Romanum Patriarcham, quæ vix deeſſe poſſunt, ſi ſub ejus arbitrio, ac poteſtate egimus.

BULG. Bellum omne, quod abruptis veteris amicitiæ fœderibus anno 883 inter principes noſtros exarſit, nec utriusque morte compoſitum, ſed ad filios derivatum eſt; facile tibi ex Porphyrogenito enarrarem, verum, ne a ſcopo longius divagemur, ejus narratione uberiore ad profanam gentis utriusque Hiſtoriam relegata, argumenta ſubjectionis veſtræ ad Sedem Romanam accipe.

SERBL. Imo bellum tu mihi antea ex Conſtantino enarra: Eccleſiæ Serblicæ ſubjectionem poſtea comprobaturus exemplis.

Vi Series principum Montanæ Serbliæ, & Bella cum Bulgaris.

BULG. *Ad Blaſtimeri uſque tempora pacem cum Bulgaris habuere Servii*, inquit Conſt. Porphyrogenitus (A) *utpote vicini, & confines. Sed principatum tenente laudato Blaſtimere, arma contra Servios movit Bulgariæ Princeps Preſiamus* (B), *ſubjicere ipſos ſibi cupiens. Verum poſt trium annorum bellum, non ſolum nihil effecit, ſed & plurimos e ſuis amiſit. Poſt mortem autem Blaſtimeri regionem inter ſe partiti, principatum Serviæ exceperunt* (C) *tres ejus filii*: *MUNTIMERUS, STROEMERUS, & GOINICUS. Hos aggreſſus eſt Michael Boryzes* (D), *ſtragem, quam pater paſſus eſt, vindicare cupiens. Sed eum bellantem adeo afflixerunt Servii, ut filium ejus Blaſtimerum in vinculis abducerent, cum machinis grandibus duodecim* (E). *Tunc filii cauſa permotus Boryzes pacem cum Serviis fecit. In Bulgariam vero rediturus, & Serviorum in itinere inſidias timens, Muntimeri Principis filios BORENA & STEPHANUM viæ duces petiit, qui & indemnem uſque ad Raſe* (F) *perduxerunt, & ingentia ab eo munera beneficii hujus nomine acceperunt: vicißim donantes Xeniorum vice, duo mancipia, duos falcones, duos canes, ac pelles nonaginta: quod Bulgari pactum eſſe dicunt.* Hæc de bello ad apicem ex Conſtantino: quod anno 886. finem accepiſſe videtur.

Serbli Bulgaris vectigales.

SERBL. Dona illa recte Bulgari *pactum* dixere, nam ipſæ donorum ſpecies in finibus *Raſe* urbis oblatæ, ut citra ambages loquamur, verum, merumque tributum ſapiunt. Sed & Captivi Bulgari Principis per Serbliæ Principes reductio, non obſcura ſubjectionis nota apud me eſt. Quare ex ea Porphyrogeniti narratione id eruo: Serbliam montanam vectigalem Bulgaris fuiſſe, ac tributum illud jam a longo tempore in morem abiiſſe. Cui, cum Blaſtimerus montanæ Serbliæ

(A) Ibidem. (B) Anno 883. (C) Nempe *Montanæ*, de qua ſola ibi Porphyrogenitus. (D) Aggreſſio hæc ſpectat ad annum 886. (E) Alii legunt Vajvodis. (F) *Raſe* urbs, limes Serbliæ Montanæ, & Bulgariæ, videtur fuiſſe *Raziaria* veterum, urbs Daciæ Ripenſis.

Serbliæ Princeps, beneficio Baſilii Auguſti univerſarum Serbliæ provinciarum acceſſione, & viribus auctus, ſe ſe ſubduceret; Diocletanam præterea Metropolim Achridano in ſacris ſubmittere detrectaret; *Preſiami* Bulgarorum Imperatoris iras, & arma utroque hoc nomine in ſe excivit. Productum eſt bellum in quadriennium: & quanquam victoriæ continenter a Serblis ſtarent, neque iis tamen tributum a cervicibus depelli potuit; nec pax, niſi ſtipulata rurſus ejus penſitatione coaluit.

BULG. Cum veritatem ipſam aſſequutus ſis, inde es laude dignior, quod diſſimulatione eandem haud transmiſiſti. Et perduraſſe poſthac etiam clientelam confirmant depoſiti, & conſtituti per Bulgaros Montanæ Serbliæ Principes, atque per ipſosmet captivi in Bulgariam transpoſiti. Vix autem pax cum Boryze concluſa fuerat, cum civile bellum inter fratres Montanæ Serbliæ Principes exarſit. Audi illud ex Porphyrogenito, qui ſic priora continuat: *Paulo poſt*, inquit, *tres fratres Serviæ Principes contra ſe mutuo arma ſumſerunt: ſuperiorque factus MUNTIMERUS, cum vellet ſolus principatum tenere, captivos duos fratres in Bulgariam transmiſit: ſolum PETRUM GOINICI filium apud ſe retinens: qui fugiens, Chrobatiam venit. Sed de eo paulo poſt dicetur: STROEMERUS vero frater, cujus ſupra mentionem fecimus in Bulgaria filium habebat CLONIMERUM, cui uxorem Bulgaram dedit Boryzes, ex qua TZEHESTLABUM in Bulgaria ſuſcepit. At, MUNTIMERUS utroque fratre expulſo, principatu potitus filios tres genuit: PRIBESLABUM, BRANAM, & STEPHANUM: eique mortuo ſucceſſit maximus natu PRIBESLABUS: Anno igitur ſequente Chrobatia egreſſus GOINICI filius PETRUS, cujus ſupra meminimus, patruelem PRIBESTLABUM cum duobus ejus fratribus principatu ejecit, & ipſe eum capeſſit; illi vero fuga ſibi conſulentes, in Chrobatiam abeunt. TRIENNIO autem poſt BRANUS motis contra PETRUM armis, victus captusque, oculis ab eo privatus eſt. BIENNIO vero poſt e Bulgaria quoque fugiens CLONIMERUS TZEHESLABI PATER, movet & ipſe, urbemque Serviæ DOMINICA cum exercitu ingreditur principatus occupandi cauſa: quem armis ſuperatum PETRUS occidit:* & principatum rexit alios XX. annos imperante *beatiſſimo ſanctoque Imperatore LEONE, cui ſubjectus erat.* Hactenus Conſtantinus.

Continuatur Series Principum Montanæ Serbliæ. vide Tab. II. eorum.

Bellum civile eorundem.

SERBL. Tot, tantæque inter Serbliæ principes vices fructus erant belli civilis, quod Porphyrogenitus diligenter pertexuit, nec alio fere peccavit, quam quod ſingula definitis annorum notis non diſtinxit. Juvabit quævis ad calculum revocare, ſic enim narrationi lux affundetur uberior.

Chronologia Bellorum Serblicorum.

BULG. *Blaſtimerem* Proſegois filium, Radoslavi nepotem, montanæ Serbliæ principem, Baſilius I. an. 868. univerſæ Serbliæ regem præfecit.

Is

Is, cum *Preſiamo* Bulgaro *Triennio*, hoc eſt, anno 883. quarto, & quinto bellum geſſit, quo uterque pugnandi vivendique finem fecit. Anno 886. *Boryzes* Preſiami Succeſſor in tres Blaſtimeri filios bellum renovavit, unaque infelici expeditione concluſit. Hac vix finita, civile inter fratres bellum exarſit, quovis principatus partem ambiente. Victor *Muntimerus* univerſam Montanam Serbliam ſibi uni aſſeruit. Sed præmatura morte ſublatus, anno 887. *Pribeſtlabum* Succeſſorem reliquit. In hunc anno eodem ex Chrobatia redux *Petrus* arma movit, & victum, ac principatu ejectum cum fratribus in Chrobatiam expulit. *Triennio* poſt, hoc eſt anno 889. exeunte, *Branus* infelici exitu Petrum bello appetiit: & *Biennio* poſt, nempe 891, *Clonimerus* quoque ducto e Bulgaria exercitu, Petro congreſſus, vitam amiſit. Superatis ad hunc modum domeſticis Seditionibus *Petrus* ab anno 891 ad 911. ipſos nempe XX. annos, imperante *Leone Auguſto*, in cujus clientelam conceſſerat, in pace egit, montanamque Serbliam proſpere rexit, quoad in fide quoque *Simeonis* Bulgarorum Imperatoris manſit, arctamque cum eo amicitiam coluit, cujus filium e baptismo ſuſceperat (A).

SERBL. *Petrus*, qui Montanæ Serbliæ præfuit *Paulimiro* regnante in maritima; a morte hujus, quæ annum 902. ſequuta eſt, ſpreta *Tiſimiri* poſthumi ejus filii infantia (B), exemplo aliorum etiam Dynaſtarum, montanam Serbliam jure proprio, ac abſoluto, nulli domeſticorum obnoxius gubernabat, in illud potiſſimum animo intentus, ut exhauſtas bellis inteſtinis provinciæ vires reficeret: quod pace diuturna etiam obtinuit. Confirmatis vero jam viribus, cum Simeonem Bulgarorum Imperatorem graviſſimo bello cum Græcis ad Achelorum anno 917 implicitum videret, nec tam cito ſe eo explicaturum ſperaret, ad augendas res ſuas animum adjecit. Ingreſſus ergo primum Serbliam Maritimam, *Paganiam* Provinciam in poteſtatem redegit: tum anno ſequente 918. majora jam animo complexus, *Leonem Rabducbum* Dyrrachii præfectum in Pagania hoſpitio excepit: quo congreſſu, dum cum Græco Bulgarorum hoſte arcana colloquia, conſiliaque confert, Simeonis invidiam, irasque infelix Princeps in ſe excivit, belli flammam ventilante Petri æmulo Chulmiæ Principe Michaele Simeonis fido cliente (C).

Petrus occupat Paganiam.

BULG. Ita eſt: ſuſpecta jam dudum erat Simeoni arcta Petri cum Græcis conjunctio, & inique ferebat, eundem, velut in Græcorum clientela degere, malaque inde omnia ominabatur. Ad hanc

(A) Porphyr. L. de adm. Imp. c. 32. (B) Diocleates. (C) Porphyr. L. cit. c. 32.

rumpendam, cum vi aperta, ac hoſtilitate in principem ſibi vectigalem ſtatim ab initio uti noluiſſet, clam, & ſub manu, ut non vana eſt ſuſpicio, *Branum* primum in ipſum commovit, & poſt biennium *Clonimerum* profugium e Bulgaria ſimulantem, opibus adverſus Petrum adjuvit. Sed his virtute Petri debellatis, conquievit quidem, at nec ſuſpiciones conceptas animo dimiſit, nec intento in ejus res oculo unquam eſſe deſiit. Quem, poſtquam demum occupaſſe *Paganiam*, & clandeſtina colloquia cum Rabducho Dyrrachii præfecto miſcuiſſe cognoviſſet, auctis in immenſum ſuſpicionibus, toto jam æſtuabat animo, quin tamen adhuc expediret bellone aperto, an via alia occurreret Petro manifeſte jam ad regnum totius Serbliæ graſſanti, & pejora fors adhuc in ſe molienti (A).

SERBL. Aeſtuanti ad hunc modum ſuſpicionibus Simeoni ſtimulos ſubdidit *Michael* Serblianus Chulmiæ Princeps, vetus, probatusque Simeonis cliens. Perſuaſerat is Simeoni, a Petro, Græcisque cudi aliquid in Bulgariæ perniciem, nec ſine cauſa gravi profundi in Petrum a Romano Lacapeno Imperatore opes, ac munera; denique congreſſu illo, colloquiisque arcanis cum Rabducho deliberatum videri, ut Petrus corona totius Serviæ augeatur, armorum fœdus cum Hungaris jungat, unitisque viribus Græci, Serbli, ac Hungari Bulgariam latere ex omni invadant. Hæc, ſive vera, ſive per invidiam ab æmulo Michaele conflata, poſtquam Simeonis auribus ingeſta ſunt, facile æſtuantem illius animum ad exitium Petro pari arte ſtruendum impulerunt: *Furens ergo Simeon* inquit Porphyrogenitus, *contra Serviæ Principem Petrum, mittit cum exercitu Theodorum Sigricem, & Marmaen una cum PAULO BRANI principis filio, quem Petrus Serviæ princeps excæcaverat. Qui dolo Serviæ principem aggreſſi, & prole in ſacro Lavacro ſuſcepta, & dato juramento nihil eum mali ab ipſis paſſurum, per fraudem exire perſvaſum, in vincula e veſtigio conjectum, in Bulgariam abduxere, ubi & vitam finiit: PAULO BRANI filio in PETRI locum ſubſtito.* At neque *Pauli* poſthac meliorem ſortem ſuiſſe ſuſpicor, *Simeone* tam prompto, facilique adcredenda mala omnia.

A Simeone Bulg. Imperatore intercipitur.

BULG. Paulus, teſte Porphyrogenito (B) triennio principatum tenuit, hoc eſt annis 918, nono, & viceſimo. In hunc Romanus Lacapenus *Zachariam Pribeſtlabi* filium commovit, nec tamen ſuſtinuit: nam *Zacharias* captus in prælio, Simeoni aſſervandus in vinculis reſignatus eſt. Hæc primo triennio: quo vix peracto *Paulus* mutata fide, ad Lacapeni auguſti partes tranſiit anno 921. ex cliente Bulgarorum hoſtis effectus. *Simeon* ergo, *Zachariam* vinculis exemptum *Paulo* dejecto, principem inſtituit (C). Sed cum & iſte mox

Pauli ac Succeſſor. defectiones ac fata.

ad

(A) Idem ibidem. (B) Ibidem. (C) Anno 920. exeunte, vel 921.

ad Lacapenum defciviſſet, ut ingrati hominis levitatem mulctaret, exercitum ſub præfectis Marmaen, & Theodoro Sigrize in *Zachariam* immittit. Prælio commiſſo, victor Zacharias arma, & cæſorum Bulgarorum capita, partæ, victoriæ fideique ſigna ad Romanum Imperatorem transmiſit, cum Bulgaros inter, ac Romanos bellum adhuc ferveret. Nec a fide, ac obſequio auguſti *Zacharias* avelli potuit. Ergo validiores rurſum copias in Serbliam educi jubet Simeon, ſub Kneno, Hemneco, & Ezboclia ducibus, addito inſuper ad terrorem *Tzeheſtlabo Clonimeri filio.* Eo vero apparatu ac æmulo propinquante exterritus *Zacharias*, cum impar reſiſtendo eſſet, fuga in Chrobatiam ſe ſubduxit. Hactenus ex Porphyrogenito, qui narrata ſic concludit: *Bulgari Zupanis ſignificarunt, ut ſe convenirent, & principem Tzeheſtlabum exciperent: juramentoque deceptos, atque ad primum pagum adductos protinus in vincula conjicientes Serviam invaſerunt, populumque omnem a minimo ad maximum in Bulgariam abduxerunt: quidam vero profugi in Chrobatiam ſe receperunt, manſitque regio deſolatu.* Exſcripſi hæc ipſis Porphyrogeniti verbis, ne quid deſideres, & triſtiſſimum Serbliæ Montanæ excidium plenius cognoſcas.

Serblia Montana a Simeone evertitur.

SERBL. Simeonem ad hanc extremam crudelitatem provocatum arbitror repetitis principum Serblianorum, quos inſtituerat, defectionibus. Qui cum nec *Tzeheſtlabo* tuto poſſet confidere; quem principem Serblis oſtentaverat, eundem vinctum in Bulgariam abduxit, ipſoque ſeptennio captivum tenuit. Porphyrogenitus, qui hæc narrat, neglecto iterum calculo, nec annos principatus Zachariæ ſubduxit, nec ultimi Serbliæ excidii tempus definivit, nec fixit annum, quo Tzeheſtlabus fuga e carcere elapſus, deſolatam provinciam rurſum iniit. Supple igitur, ſi eſt, unde hæc repetamus.

BULG. Initia principatus Zachariæ tuto ad annum 921. figi poſſunt: fuga ejus in Chrobatiam, ac Montanæ Serbliæ excidium optime cum anno 926. colligitur: quo eodem & Dioclia cum multis Serbliæ maritimæ urbibus exciſa, & provincia Prævalitana Bulgariæ aſſerta eſt. Calculi mei rationem inde repeto: quod idem Porphyrogenitus, poſt enarratum Serbliæ Montanæ excidium continuo ſic ſubjungat: *Porro circa illud etiam tempus Chrobatiam cum Alagobotur armata manu ingreſſi Bulgari, omnes a Chrobatis interfecti ſunt.* Iſthoc autem Simeonis in Chrobatos bellum exarſit anno 927: quod denique teſte Spalatenſi hiſtoria, anno ſequente *octavo, ac viceſimo*, mediatore Madalberto Legato Apoſtolico feliciter eſt compoſitum. Quod *Tzeheſtlabum* attinet, cum ſeptennium ejus captivitatis ad annum 933. evolutum ſit, adventus ejus in deſolatam patriam recte cum anno eodem copulatur, quo jam Petrus, Simeonis filius apud Bulgaros imperabat.

Everſa & Dioclia anno 926.

SERBL. Ut, quæ ad Tzeheſtlabum pertinent, una, ac continenti narratione abſolvamus; quæ de ejus fuga ex Bulgaria, reditu in Serbliam, inſtaurato illic principatu, ac fors etiam poſteris Porphyrogenitus connotavit, recenſe: ne res natura conjunctæ divellantur.

Tzeheſtlabus mont. Serbl. principatum inſtaurat.

BULG. Ne deſiderium tuum morer, ipſa Porphyrogeniti verba exſcribo: ait is c. 32. ad finem: *Poſt ſeptem annos fuga deſerens Bulgaros Tzeheſtlabus cum aliis quatuor, Preſtblavo in Serviam venit. Non invenit autem in ea regione præter viros quinquaginta ſine uxoribus liberisque venatione victitantes. Cum his regionem obtinens, per nuncios tutelam, & auxilium ab Imperatore Romanorum petiit, promittens obedientiam per internuncios ejus juſſibus, qualem & ejus anteceſſores præſtitiſſent. Atque ex eo tempore multis illum beneficiis affecit imperator, ita, ut Servii, qui a Simeone diſſipati in Chrobatia, Bulgaria, aliisque locis, & regionibus commorabantur, re audita, ad ipſum undique gregatim illic convenirent. Quin etiam in urbem Conſtantinopolitanam plurimi e Bulgaria fugientes venerunt, quos veſtibus, cæterisque beneficiis ornatos imperator Romanorum ad Tzeheſtlabum miſit. Qui magnificis Romani imperatoris largitionibus regione conſtituta, & ad priſtinam incolarum frequentiam reducta, totum ſe Romano imperio ſubjecit: quippe imperatoris auxilio, frequentibusque beneficiis regione illa conſtituta, princeps quoque confirmatus eſt.* Sed neque hæc ſubjectio admodum diuturna fuit: nam ſublato ad annum 945. Lacapeno imperatore, brevi ab ea clientelari ſervitute, in plenam ſe libertatem Serviæ principes aſſeruerunt, ut narrat Scylizes Curopalates. Annos principatus Tzeheſtlabi, ac poſteros, ſtatumque Serbliæ, qui deinceps fuit, cum Porphyrogenitus ad annum 949. (A) nos deſerat, oportebit ex Diocleate, ac aliis impoſterum ſcriptoribus ſupplere.

VI. Diocleatis reges Serviæ poſt interregnum Ciaslavi. vide Tab. II. Regum Serb.

SERBL. Triſtiſſimo Serbliæ montanæ excidio, ejusque inſtauratione per Tzeheſtlabum expoſita, in quo Porphyrogenitus ſuam montanæ Serbliæ hiſtoriam concluſit ad annum 949, quo ſcribere deſiit: reliqvum eſt, ad plenam Serblici regni cognitionem, ut reges quoque ejus, qui ut plurimum e maritima Serblia exſtitere, in medium proferamus; atque, ſi fieri poſſit, Tzeheſtlabi quoque ſucceſſores in montana Serblia indicemus. Diocletas poſt *Ciaslavi* interregnum, catalogum Serbliæ regum inchoat (B) a *Paulimiro*: ex quo cum poſthumus *Tiſimirus* natus eſſet, principesque, ac Dynaſtæ provinciarum ab infantuli fide deſciviſſent, novum rurſus interregnum ſtatuit;

(A) Anno 949. ſcripſit Porphyrogenitus L. de adm. imp. qui vivere, & regnare deſiit anno 960. (B) Vide Tab. II. regum Serbl. ex Diocleate.

ſtatuit; duraſſeque ait, dum Tiſimirus armis paternum regnum reciperet. *Tiſimiro* ſubjungit *Prelimirum* regem, qui vivens, valensque regnum inter quatuor filios diviſit ita, ut Hvalimiro *Zenta*, Boleslavo *Trebina*, Dragislavo *Chernania*, Svevlado *Podgoria* regenda obvenerit (A). Sed hi omnes, patre Prelimiro vix exſtincto, orta populari ſeditione, a *Legetb* filiis deleti ſunt: qui tamen & ipſi mox, Deo vindice vario mortis genere interiere. Poſt has regum cædes, ſcribit evocatum *Sylveſtrum* ad regimen. Huic ſucceſſiſſe *Tugimirum* filium: Tugimiro *Hvalimirum* filium: Hvalimiro filium *Petrislavum*, & huic denique filium *Vladimirum*, qui Zentæ, ac Podgoriæ rex præfuit, & a rege Bulgariæ Joanne Bladislao peremtus ſcribitur ad annum MXV (B). Quo regum numero, ſi geneologicæ Diocleatis deductioni fides præſtari poteſt, ſeptem omnino generationes continentur.

BULG. Hic, ſi ubi, multipliciter hallucinari Diocleatem fatendum eſt; cujus, ut ab initio errores detegamus: Fallitur Diocleates *primo*, cum *Claslavi* interregnum ad *Paulimirum* usque producit: atque ita *Blaſtimerem* e regum catalogo exmittit: quem poſt breve, a Ciaslavi nece inrerregnum, in Serviæ Thronum a Baſilio I. provectum fuiſſe anno 868. ex Porphyrogenito oſtendimus (C): & ad annum 885. obiiſſe ſtatuimus (D). A cuius morte, cum Blaſtimeri filios continuo bellum Bulgaricum exceperit anno 886., & anno eodem civile inter fratres bellum coortum ſit, inter tot, tantaque Montanæ Serbliæ diſturbia, & afflictis, tantopere illorum Principum domi rebus, regni faſtigium in Blaſtimeri progenie non ſubſtitit: ſed ad *Paulimirum*, quem Diocleates ad hæc tempora nobis exhibet, tranſiit. *Fallitur ſecundo*: cum Radoslavum Regem, quem *Ciaslavus* filius expulerat, Romæ exulem cognita Ciaslavi nece, uxorem duxiſſe, ex ea *Petroslavum* filium ſuſcepiſſe, & in urbe eadem a *Petroslavo Paulimirum* gentium fuiſſe affirmat: & poſt devaſtatas a Saracenis litorales Dalmatiæ urbes, ipſo illo anno, quo Dalmatæ Romani e locis litoralibus profugi in continentem ſe receperunt, ibique a Sclavis preſſi, tributo addicto pacem redemerunt; *Paulimirum* eundem Roma in Apuliam, & hinc in Dalmatiam trajeciſſe, & ad Gravoſam excendiſſe narrat, magnoque Sclavorum affluxu exceptum, Trebinenſibus cumprimis urgentibus, adiviſſe Trebinam, ac paulo poſt votis communibus regem illic inauguratum eſſe. Conſtat namque Ciaslavi interregnum non ante annum 862., quo interiit, cepiſſe: conſtat quoque ex Porphyrogenito quadriennio poſt, hoc eſt 866. Saracenos urbes Dalma-

Errata Diocleatis indicantur.

Blaſtimerus non recte prætermiſſus.

Paulimiri genealogia reprobatur.

(A) Hæ erant propriæ Prelimiri provinciæ: in cæteras ſuprema tantum, ſeu regia authoritate pollebat. (B). Ex Diocleate Joan. Scylize, & aliis. (C) Colloquio II. (D) Colloquio præſenti, paulo ſupra ex Porphyrogenito.

tiæ litoribus affuſas vaſtaſſe, & anno 867. Raguſam oppugnaſſe, atque hoc eodem anno, Baſilio auguſto conſulente *Dalmatas Romanos* tributo promiſſo, Sclavos placatos ſibi reddidiſſe. Hæc rèrum chronologia cum explorata, certaque ſit; adſtructa a Diocleate Paulimiro genealogia, ſtare nullo pacto potəſt: nec modus ſuppetit intra ſex annorum anguſtias, tot enim inter 862., & 868. intercipiuntur, componendi duas generationes Romæ factas, & Paulimirum Petroslavi filium Radoslavi nepotem jam regno maturum in Dalmatiam reducendi ſub annum 868., quo nos verius ex Porphyrogenito *Blaſtimerem* in Serviæ regem inauguratum diximus.

SERBL. Hanc genealogicam, ac chronologicam Diocleatis hallucinationem, cum, & ipſe plene perſpiciam; eſtne unde, & a quibus majoribus verius, & cum fide *Paulimirum* deducamus, atque ubi certius regni ejus initia defigamus?

Et vera ex Porphyrogenito conſtituitur.

BULG. Erat *Paulimirus*, ſi me audis, Terbuniæ Princeps, ex Blaſtimeri Regis filia procreatus: qui cum Blaſtimeri filios, *Muntimerum*, *Stroemerum*, & *Goinicum* poſt fata Regis patris diſcordes anno 886. bello civili invicem ſævire, & viribus attritis, impares Regiæ dignitati ſuſtinendæ cerneret, anno eodem illud in ſe jure ſanguinis proximo derivavit, attraxitque, & populi ſuffragiis accedentibus Rex ſalutatus eſt. Nam, niſi me fallunt omnia, Diocleatis *Paulimirum*, ipſiſſimum Porphyrogeniti *Phalimerem* eſſe, fidenter pronuncio, & pro certo teneo: de quo idem (A) hæc ad noſtram memoriam transmiſit in deſcriptione *Terbuniæ*: *Terbunitarum*, & *Canalitarum eadem eſt regio*: *incolæ vero*, *a non baptizatis Serbliis deſcendunt*, *qui illic habitabant inde ab eo principe*, *qui e Serblia non baptizata ad Heraclium Imperatorem confugit*, *usque ad* BLASTIMEREM *Serviorum principem*, *qui filiæ ſuæ maritum dedit* CRAJNAN, BELÆ *Terbuniæ Zupani filium*; & *honoris ergo principem appellavit*, & *ut ſui juris eſſet*, *effecit*. *Atque ex illo* PHALIMERES *natus eſt*; *ex quo* TZUZEMERES. *Terbuniæ vero principes ſemper Serbliæ principi parebant*. Certe in ſententiam, quam dixi, adducunt me nimis multa: ac *primo* quidem, ſimilitudo nominum *Phalimeri*, & *Paulimiri*, quem apud Du Fresne (B) majore æqualitate *Paulimirum* Scriptum lego. Deinde ipſa temporis ratio, communioque; nam in idem prorſus tempus conveneniunt, Diocleatis *Paulimirus*, & Porphyrogeniti *Phalimeres*. Facit huc, & *Beli* cognomentum, quod *Paulimirum* Diocleates geſiſſe prodit: & *Terbunienſium* præcipua in ipſum propenſio, fidesque, & principatus ſedes *Terbuniæ* fixa, ubi & oppetiit, & conditus eſt. Omnia enim hæc, ac ſingula, quæ Diocleates *Paulimiro* aſſigna-

Pauiimirus Diocleatis eſt idem cum Porphyrogeniti Phalimeres.

(A) Porphyrog. Lib. de Adm. imp. cap. 34. (B) Du Freſne Illyr. vetus, & novum ex editione Poſonienſi anni 1746.

assignavit, sunt apud me, velut notæ totidem, nec obscuræ illæ, ex quibus in *Paulimiro* ipsius, Porphyrogeniti *Phalimerem* agnosco. Nam Porphyrogenitus *Phalimerem* suum *Terbuniæ principem* ad idem tempus fuisse ostendit: & Crajnan patre, ac *Bela* avo prognatum dixit, e quo *Beli* cognomentum, eidem adhæsisse verisimilius est, quam a fortitudine. Denique, quod perexiguo nominis divortio filium, quem Diocleates *Tisimirum* scripsit, Porphyrogenitus *Tzuzimerum* appellat coævum sibi principem. Unde, cum in sola fere origine *Paulimiri* Diocleates a Porphyrogenito dissentiat; & satis compertum sit, Diocleatem, ut alias sæpe, ita hic quoque in struenda genealogia exerrare; iterum, iterumque pronuncio *Paulimirum* eundem prorsus cum *Phalimero* esse: atque erroneam Diocleatis genealogiam a Radoslavo, & Petrislavo petitam, ex Porphyrogeniti fide emendandam.

SERBL. Est, quod tibi hic ex Porphyrogenito opponam. Is, (A) post Blastimerum montanæ Serbliæ principem, a Basilio I. ad regimen totius Serviæ provectum, continuo subdit: *atque ex eo tempore principes ipsis ex eadem stirpe hodiedum, & non e alia eliguntur.* Deinde, post descriptam Phalimeri sui genealogiam continuo, diserteque affirmat: *Terbuniæ principes Serviæ, Principi semper paruisse* (B): atqui, *Phalimeres* Porphyrogeniti non erat e stirpe *Blastimeri*: & cum *Terbuniæ* princeps fuerit, paruit potius Serviæ principibus, quam imperavit. Nequit igitur idem esse cum rege Diocleatis *Paulimiro*, nec recte cum eo confunditur. Oppositio gemina.

BULG. Ut te hoc labyrintho evolvam: do, *Phalimerem* non descendisse ex Blastimere, ex cujus filia est prognatus; at nihilominus e stirpe eadem fuisse, & ad communem stipitem, originemque genus suum cum Blastimere retulisse e Diocleate eruo: is enim tradit Zupanos majorum provinciarum, qualis sane *Terbunia* fuit a Budimiro rege, ex fratrum consanguineorum numero delectos, præfectosque gubernationi fuisse. Ex tali igitur genere, & *Phalimeres* processit: cujus majores, licet semper antea Serbliæ principibus paruerint, postquam tamen *Crajnan* sui juris princeps per Blastimerem effectus est teste Porphyrogonito (C) nihil prohibet quin *Phalimeres* concertantibus Blastimeri filiis, eo etiam nomine, quod regia domo, & Blastimeri insuper filia prognatus esset, in Serbliæ totius solium a populo sit provectus; atque adeo unus, ac idem cum rege *Paulimiro* fuerit. Dissolvitur.

SERBL. Præcipua Paulimiri gesta e Diocleate colligam. *Liutomirum* Tihomili filium, Rassiæ superioris, in qua *Lim*, & *Ibar* fluGesta Paulimiri.

vii

(A) Lib. de Adm. Imp. cap. 29. (B) L. de Adm. Imp. c. 34. (C) Ibidem.

vii naſcuntur, Zupanum obſequium detrectantem, prælio vicit, peremitque ſub ipſum regiminis principium, quod in annum 886. incidit. Coævus *Petro montanæ Serbliæ principi*, & *Michaeli Chulmorum duci*, nulla cum his bella geſſiſſe legitur; quod argumento eſſe poteſt, ab utroque pro rege agnitum, cultumque fuiſſet. Coluit quoque pacem cum Simeone Bulgarorum imperatore. Extremis vitæ ſuæ temporibus cum Hungaris, eorumque fœderatis Syrmienſibus proſpere ad Savum flumen conflixit, eumque gentis utriusque limitem velut a natura efformatum eſſe juſſit. Redux ab expeditione non diu poſt vitam clauſit, incertum, quo anno. Poſt ſeptem a morte ejus dies triſtiſſima regina Tisimirum filium in lucem edidit.

Tiſimirus poſthumus naſcitur.

BULG. Cum teſte Diocleate poſt ſeptem a morte patris dies natus ſit Tisimirus, annus ejus natalis cum emortuali Paulimiri idem fuit. Ad hunc vero eruendum manuducit nos pax cum Hungaris a Paulimiro conſtituta: quibus cum pro limite Savus fluvius tunc decretus ſit; eſt hoc argumento, bellum illud, poſt occupatam jam ab Hungaris magnam Moraviam (A), anno proinde 901. geſtum fuiſſe, paceque terminatum. Quæ, quia brevi Paulimiri mors, & Tisimiri natalis excepit; recte utrumque cum fine 902., aut principio 903. copulatur, nec ultro differi poteſt, ſi verum eſt, quod catalogus Spalatenſium Archi-Epiſcoporum ſtatuit, Tiſimirum anno 940 obiiſſe; & quod Diocleates affirmat anno eodem Prelimirum filium ſimul, cum Tisimiro Patre contra Banum Prævalitanum belligeraſſe. Certe curriculum annorum ſeptem, ac triginta neceſſarium omnino videtur, ut, & Tisimirus generare poterit Prelimirum & iſte Patri belligeranti utilem in caſtris operam præſtare valuerit. Quæ cum ita ſint, evolvitur jam annus Paulimiri emortualis, & natalis Tiſimiri 902. finiens, vel 903. incipiens. a quo ad 940., qui ultimus Tisimiri fuit, anni ſeptem & triginta decurrunt.

Obiit Paulimirus circa annum 903

VII.

SERBL. A morte Paulimiri, Serblia rurſum turbari cepit: nec ad quietem profuit aliquid natus poſt dies ſeptem Tisimirus; cum vagientis infantiam aſpernati, plerique omnes poſthumum regem habere nollent, & provinciam, quam quisque nactus fuerat, jure proprio, abſolutoque gubernaret, unde nova in regno diſturbia. Nec diu manus a Tisimiri ditionibus abſtinuere, effuſi enim in rapinas, cuncta fere procedentibus annis a dominatu ejus avulſerunt: Trebina ſola in parvuli fide conſtans manſit. Quis *Prævalitanam* provinciam ademerit, incertum: ad *Paganiam*, cum indefen-

Turbatur Status Serviæ a morte Paulimiri. Proceres a Tiſimiro diſiciunt.

(A) In cujus victoriæ perenne monumentum in Raſſia Eccleſiam *S.* Petri honoribus condidit, & Epiſcopatum, qui hodieque perſeverat, inſtituit.

ſenſam videret, Petrus Serbliæ montanæ princeps ſerius animum adjecit, ſibique adjunxit anno 917. plura etiam, majoraque animo deſignans, ſed, quæ Simeon Bulgarorum imperator a Michaele Chulmiæ duce excitatus in herba oppreſſit, deluſo, abductoque in carcerem Petro, & Paulo Montanæ Serbliæ præpoſito, *Pagania* autem, ut veriſimile eſt, *Michaeli Chulmitano* præmii loco conceſſa. At cum ſubinde *Paulus*, & ſucceſſor quoque *Zacharias* a fide Simeonis ad Conſtantinopolitanos deſciviſſent, iteratis principum defectoinibus irritatus Simeon, anno demum 926. montanam Serbliam excidio involvit, & pari ferocia per maritimam graſſatus *Diocliam*, cum multis urbibus ſolo æquavit, &, poſtquam iræ ſatis indulſit, Prævalitanam provinciam in ditionem accepit, deſignatoque Bano regendam commiſit.

De Michaele Chulmiæ Duce Serviæ Interrege.

BULG. Felicius egit *Michael Zachlumiæ* princeps, Buzèbuze principis filius, quem Porphyrogenitus (A) *Proconſulem*, & *Patricium* appellat. Iſte a multis annis fidelis Simeonis imperatoris clienſerat: nam anno 912. (B) *Petrum* Urſi patriciaci Venetorum ducis filium, quem Protoſpatharii dignitate Græcorum imperator recens auxerat, cum Conſtantinopoli itinere terreſtri redit, in Chrobatorum finibus interceptum captivum Simeoni transmiſit, cui largitiones iſta, Græcorum ſuſpectas ſemper inviſasque fuiſſe probe noverat. Idem, & *Petrum* montanæ Serbliæ Principem in invidiam apud Simeonem adduxit, detectaque ejus cum Græcis conſpiratione præceps egit, oppreſſit, ac perdidit. Quare etiam Simeonis favore ad ſummam cæteros inter Serbliæ principes potentiam excrevit, & tam *ducis Chulmiæ*, quam *Proconſulis*, ac *Patricii* titulos geſſit. Qui ſi *Serviæ regis* nomen poſt Paulimiri fata, & Petrum everſum, non aſſumſit, Regum tamen more egit. Atque hoc plane titulo ab exteris honoratum fuiſſe, apparet ex Lupo Protospatha (C), qui ad annum 926., & *Regem Sclavorum* appellat (D), & traductis in adverſam Italiæ oram copiis, *Sipontum* oppugnaſſe, obtinuiſſeque author eſt: en verba chronici: *Michael rex Sclavorum cum ſuo exercitu obſedit, & cepit Sipontum, die ſanctæ felicitatis feria ſecunda.* Nec te offendat *regis Sclavorum* titulus; nam eo complures deinceps *Serblorum reges* donatos uſosque fuiſſe, invenies.

SERBL. Nec *Petrum*, qui non contemnenda potentia *montanam Serbiiam* cum *Pagania* moderatus eſt; nec *Michaelem Chulmiæ ducem*, quanquam fors etiam *Paganiæ* poſſeſſione auctum, in ſeriem Re-

(A) Lib. de Adm. Imp. cap. 33. (B) Andreas Dundulus in Chron. Venet. (C) Lupus Protospatha. in Chron. (D) Serbliæ Reges, ab Italis potiſſimum *Sclavorum reges* ſæpe dicti ſunt.

regum Serviæ Diocleates intulit, maluitque interregnum a Paulimiri deceſſu ſtatuere.

BULG. Ita Diocleatem ſenſiſſe non diffiteor: ille enim *Tiſimirum*, licet tenellum, ſpretum a Dynaſtis, cunctisque prope paternis ditionibus exutum conſtanter in legitimi regis loco duxit. At nihilominus *Michaelem* communes, & publicas res *Serviæ regni* moderatum fuiſſe, diſces ex iis, quæ impoſterum de ipſo proferemus: ut adeo, nec immerito *interrex Serbliæ* reputari valeat: a cujus tantum morte poteſtas regia ad *Tiſimirum* rediſſe videtur circa annum 933.

Michael obiit circa an. 933.

VIII. Tiſimirus regnum paternum recuperare aggreditur, & moritur 940.

SERBL. Tiſimirus, ubi juvenilem ætatem attigit, matris conſilio, a cujus nutu, & diſciplina pendebat, *Cidomiri*, præpotentis albæ Chrobatiæ Bani filiam thoro ſuo copulavit, e qua *Prælimirum*, & mox etiam *Creſſimirum* futurum olim Boſnæ, & albæ Chrobatiæ Banum ſuſcepit (A). Bello nihilominus, omni poſt fata etiam *Michaelis* abſtinens egit in pace, dum Prelimirus filius adoleſceret, & parpræliis gerendis fuit. Tunc vero ad paternum regnum recuperandum, quod dudum a variis diſcerptum tenebatur, animum, viresque adjecit. Primus ejus impetus in Prævalitanæ provinciæ Banum incubuit: quo prælio victo, peremtoque provinciam recepit, non diu eadem fruiturus, ex acceptis enim in prælio vulneribus, cum pauco tempore victoriæ ſuperſtes fuiſſet, vitam clauſit anno 940. (B). At Prelimirus, parta victoria recte uſus, univerſam rubram Chrobatiam brevi in poteſtatem redegit, pacatisque domi rebus, coronam Serbliæ anno 941. ſuſcepit. Hæc dum apud Serblos aguntur, *Cidomirus* a Tiſimiro rogatus, parte altera arma in Boſnam movit, expulſoque Bano invaſore, *Creſſimirum* juniorem Tiſimiri filium in regionem induxit: qui ſubinde a fatis avi materni Cidomiri, in albam quoque Chrobatiam ſucceſſit circa annum 970, quo Petrus Bulgarorum imperator e vivis migravit (C). Ita Tiſimiri progenies ex anguſtis Trebinæ finibus ad ampla duo regna Serbliæ ſcilicet, & Boſnæ, partemque Chrobatiæ gradum fecit (D). Prelimirus rex Serblorum Petro Bulgariæ, quin & Joanni Zimiſce orientis auguſto, qui, poſt Bulgariam captam, Raſſiam quoque Bano expulſo occupaverat, ſuperſtes vixit, & intellecta Zimiſce morte ad annum 975. exulem ſocerum, Raſſiæ Banum, peremtis factione popularium Græcis, in Raſſiam reduxit. Hæc Diocleates,

Prælimirus regnat ab an. 941.

Anno 976 recuperat Raſſiam.

(A) Diocleates. (B) Catalogus Rom. Archi-Epiſcoporum Spalat. (C) Diocleat. & idem catalogus. (D) Orbinus *in regno Croatiæ*. Creſſimirum eundem regem Chrobatiæ facit: a quo tamen diſſentit Porphyrogenitus L. de adm. imp. c. 31. qui Creſſimiri Croatorum regis patrem Terpimimirum regem itidem Croatorum fuiſſe tradit.

cleates, & recte hactenus. At, cum idem affirmat poſt deceſſum Petri Bulgarorum imperatoris Prelimirum Simeoni quoque Bulgariæ principi corregnaſſe, graviter ſane impingit, nec à palmari anachroniſmo excuſari poteſt, cum ex fide, conſenſioneque ſcriptorum omnium certiſſimum ſit, Simeonem Petri genitorem fuiſſe, non Petro poſteriorem.

Diocletes ab anachroniſmo defenditur.

BULG. Ut Du Fresnius, & Aſſemanus (A), ita tu quoque immerito hic Diocleatem anachroniſmi arguis; nec recte idcirco fidem ejus in ſuſpicionem vocas, damnasque. Nam licet exploratum ſit, Petri patrem Simeonem fuiſſe, eſt tamen quoque indubium, filium Petri *Romanum*, qui poſt Zimiſce fata rex Bulgariæ in Mœſia inferiore præfuit, ex avi nomine *Simeonem* itidem compellatum fuiſſe (B). Huic ergo *Simeoni* poſt fata Petri Prelimirum coævum quam veriſſime Diocleates fecit. De hoc vero *Romano Simeone*, ne & iſtud omittam, Græci aliter, Bulgari ſenſere aliter: illi ajunt, captum a Zimiſce, virilitate ſpoliatum, extincto auguſto in Mœſiam evaſiſſe, regemque dictum: ſed mox iterum ſolio deſerto, Conſtantinopolim rediiſſe: at Bulgari *Simeonem* eundem, quem ipſi *Sismanum* vocant, ferunt regnaſſe Ternobi intra Mœſiæ inferioris ambitum annos aliquot, & a *Stephano* filio Throno dejectum, oculis orbatum, ac poſtremo manu ſacrilega præfocatum fuiſſe. Parricidium cum indigne ferrent, exprobrarentque cognati principes *Pincius*, & alii, exilio a *Stephano* mulctati, in Chrobatiam ejecti ſunt. Hanc Bulgarorum hiſtoriam confirmat pia fundatio, quam *Pincius*, cæterique exules principes apud Cliſſam urbem anno 994. favente *Dircislavo* Chrobatorum rege condiderunt. Monumentum fundationis produxit Farlatus (C), at minus recte ea, quæ ibi de Stephano Sismani filio narrantur ad *Samuelem* alterius Bulgariæ, Macedonicæ nimirum imperatorem, ubi is rerum potiebatur, traduxit, accommodavitque non cogitans, nec advertens duos interdum in Bulgariæ imperio, provinciis, ac majeſtate diviſa imperaſſe, id, quod chronicon Anonymi (D), & Author indicis Archi-Epiſcoporum Bulgariæ (E) & Leo Grammaticus (F) non obſcure innuunt, inſinuantque.

Filius præpoſteræ narrationes de nuptiis, & filiis Prelimiri.

SERBL. Poſt Raſſiam e manibus Græcorum receptam, ac Bano ſocero in feudam traditam, quamdiu Prelimirus rex vitam produxerit, ambigo ſane. Diocleates ſcribit: capta Raſſia Prelimirum ex Prechvala Bani filia genuiſſe quatuor liberos: *Hvalimirum*, *Boleslavum*,

(A) T. 1. P. 2. c. 7. (B) Teſtibus Scylize, & Cedreno. (C) Illyr. Sacr. T. 3. p. 111. & Lucius in collectaneis ex Tabulis Eccleſiæ S. Michaelis ex Archivo Cindrenſis familiæ. (D) Juſſu Conſtant. Porphyr. conſcriptum: ubi de *Petro*. (E) In Damiano Archi-Epiſcopi. (F) In Michaele III. Imp.

vum, *Dragislavum*, & *Svevladum*: atque ubi isti adoleverunt, provincias a vivo, valenteque patre in eos divisas esse. Quod, si admittatur, necesse erit, Prelimiri vitam prorogare in annos minimum viginti post Rassiam recuperatam, proinde ad annum usque 996. Ut hoc annorum intervallo Prechvala quatuor filios gignere, filii adolescere, & utcunque pares provinciis gubernandis effici potuerint.

Prelimirus decessit anno 976. Post quem Sylvester cum Tugimiro regnat.

BULG. Et hæc quidem legitima consecutio. At, sicut incredibile apparet, *Prelimirum*, qui anno 941. regni gubernacula adiit, in tam seram ætatem connubium distulisse; ita nullo pacto sustineri potest, eundem ultra annum 976. vitam, regnumque produxisse; si eorum, quæ Diocleates posthac scribit, ratio aliqua habeatur. Scribit vero, vix extincto Prelimiro, coortam in filios ejus ob crudele imperium popularem seditionem, qua fervente, per evocatum a populo *Legethum*: cuncti deleti, excisique sint: & cum Deo vindice *Legeth* quoque cum filiis vario mortis genere sublati mox fuissent; *Sylvestrum* denique e domo Prelimiri superstitem, rogante populo, regimen adivisse: filiumque *Sylvestri Tugimirum* apud Serblos regnasse cum *Samuel* Bulgariæ absque imperii consorte, moderari cepit. Jam, cum e scriptorum omnium sententia compertum sit, *Samuelem*, extinctis fratribus imperii sociis, solum Bulgariæ regno potiri cepisse anno 978, consequens prorsus est præposteram illic nuptiarum narrationem esse, chronologiam proinde in Prelimiri nuptiis, filiisque vitiosam, ac emendandam esse ex ipsomet Diocleate. Dicendum igitur, *Prelimirum* multis ante expeditionem Rassicam annis connubium celebrasse, liberosque, quos diximus generasse: atque cum anno 976 ad Rassicam expeditionem in gratiam soceri est profectus, tunc etiam provincias quatuor in totidem filios distribuisse, eorum gubernio ac fidei commendasse (A). *Prelimirum* autem adepta, & in clientelam recepta Rassia apud socerum Banum substitisse, paucosque post menses decurrente anno 976 e vivis migrasse. Eo vero vix extincto, coorta Seditione, per Legethum & filios conjuratorum duces universam Prelimiri progeniem excisam. A qua cognatorum cæde cum *Legeth* quoque, ac filii anno proxime sequuto 977 ultore Deo, qua peste, qua morbis aliis velut in continenti sublati fuissent: populum tam mani-

IX. Ex Diocleate Regni Tugimiri epocha est annus 978 ex qua corriguntur præposteræ narrationes de nuptiis, & filiis Prelimiri.

Eruiturque annus mortis Prelimiri, & belli civilis, & regni Sylvestri.

(A) *Hvalimiro* tunc obtigit *Zenta* provincia, cum Lusca, Podlugia, Cepelina, Obliqua, Prepratna, Cemerniza, Budua, Cucieva, & Gripuli Comitatibus. *Boleslavo*, *Trebina* cum Liubimir, Vetniza, Rudina, Crusseviza, Urmo, Risano, Draceviza, Canale, & Cernouniza Comitatibus. *Dragislao*, *Chernania* cum Stantania, Popovo, Jambsco, Luca, Velicagor, Imota, Vecserigorie, Dubrava, & Dabra. *Svevlado Podgoria* cum Onogoste, Moravia, Comerniza, Piva, Gaza, Netusine, Guicsevo, Cora, Debrecia, Narenta, & Rama.

manifesta Numinis vindicta commotum, *Sylvestrum* e domo Prelimiri residuum, ad capessendum Serbliæ regimen anno eodem advocasse. Ita enim solum stare potest *Tugimirum* Sylvestri filium initiis imperii *Samuelis* æqualem fuisse, quam epocham Diocleates verissime fixit, & ex qua cætera, quæ epochæ adversantur, emendanda veniunt.

Diocleatis errores de Sylvestri ætate.

SERBL. Atqui ille *Sylvestrum* non modo communi domo stirpeque, cum Prelimiro exortum dixit, sed ex ipso Prelimiro derivat, innuitque flagrante bello civili, tenellum adhuc, & ab uberibus pendentem a matre populi furori fuga Ragusam adornata subductum esse: & Luccarius (A) disertius adhuc filium *Boleslavi*, nepotem *Prelimiri* facit, traditque, tenerrima ætate per *Sivam* matrem Ragusium deportatum esse.

Similiter corriguntur ex filii ejus Tugimiri epocha.

BULG. Est iste rursum palmaris Diocleatis chronologicus genealogicusque error, in quem & Luccarium pertraxit: sed quem facile ex ipsomet Diocleate corrigas, si ad epocham regni *Tugimiri* per ipsummet constitutam animum advertas. Concurrit illa cum initiis Samuelis imperii, hoc est: cum anno 978, quo, cum *Tugimirus* jam rex sederit, fluit evidenter, patrem ejus *Sylvestrum*, qui anno 977 ad thronum vocatus est; anno præcedente 976 quo popularis tumultus duce Legetho sæviebat, nec infantulum, nec Boleslavi filium, nec Prelimiri nepotem fuisse. Quare *Sylvester* communi tantum stirpe cum Prelimiro exortus dici potest: nec nisi senili ætate ad thronum pervenit. Atque, nisi ita prorsus mecum sentias, nec annum recuperatæ a Prelimiro Rassiæ post mortem Zimisce 976 a Diocleate traditum: nec Tugimiri epocham ab eodem, anno 978 copulatam salvabis: nec arte ulla generationes Sylvestri quatuor, quas Diocleates deinceps numerat, compones. Nec enim esse potest, ut post bellum civile, quod ab anno 976 distrahi nequit, *Sylvester* puerulus adoleverit; *Tugimirum* genuerit; ex Tugimiro *Hvalimirus* natus sit; ex hoc *Petrislavus*; ex isto *Vladimirus* processerit: & nihilominus Vladimirus idem, ut certissimum est (B), extremis Samuelis Bulgarorum imperatoris annis coævus regnaverit. Hæc tot, talia, tantaque inter annos 976, & MXIV, quo Samuel desiit, cogere, componereque esset prodigii simillimum.

SERBL. At dato etiam, quod Sylvester anili ætate throno Serbliæ anno 977 admotus sit: & anno 978 Samuel Bulgaris, Tugimirus Serblis Rex præfuerit: nescio tamen, quo tu artificio tres Tugimiri generationes, & pronepotis ejus Vladimiri regnum vel

(A) Luccari Annal. Ragus. L. 1. p. 6. (B) Scylizes, Cedrenus.

cum fine Samuelis conjunges, conciliabisque. Inter primum Regis Tugimiri annum 978, & Samuelis poſtremum MXIV, anni non plures, quam ſex ac triginta intercedunt: hoc vero temporis curriculum multo eſt anguſtius, quam, ut in eo tres Tugimiri generationum gradus ſubſiſtant, & pronepotis ejus Vladimiri regnum. Medere, ſi potes, malo, &, ut ſæpe alias, hic quoque Diocleatis fidem a falſi ſuſpicione, & criſi libera. Nec te moretur, quod ille Tugimiri nuptias poſt initum regnum conſtituat: quodque Petrislavum, ejus nepotem ſenio confectum obiiſſe ferat. Nam in deſignandis connubiorum annis, ætate principum conſtituenda, tum, & in genealogia, ac Chronologia ſæpe ſæpius Diocleatem hallucinari, omnino fatendum eſt.

X. Sylveſtri quatuor generationum gradus a Diocleate aſſerti defenduntur.

BULG. Quæ nunc indicaſti, perturbant rurſus chronologiam a Dioclate ipſomet conſtitutam; his vero detractis, neglectisque; & oculis in epochas ejus duntaxat defixis, generationum ſeries adſtructa hic a Diocleate ſtare poteſt; ſi, ut oportet, ſtatuamus Sylveſtrum ſenio gravem anno 977 thronum conſcendiſſe, nec die poſt abſolviſſe regimen: & anno 978 Tugimirum provecta ætate patri ſucceſſiſſe, ac jam tunc habuiſſe Hvalimirum filium, & Petrislavum nepotem illum virili, hunc juvenili ætate florentem. Sic enim & generationum numerus, ac ordo a Diocleate aſſertus in ſalvo manebit: nec deerunt anni, qui apte in ſingulorum principum regimen diſtribuantur; præcipue cum ævi illius moribus receptum eſſet, ut pater adultum filium in conſortium regiminis vocaret: & fratres diviſis invicem provinciis, ſtante apud ſeniorem auctoritate præcipua, gubernarent. Denique ſuſtineri quoque poterit Vladimirum, Petrislavi filium, in flore juventutis, declinante jam Samuelis imperio, Serbliæ Regio nomine præfuiſſe (A): atque ita fides Diocleatis non ſemper vapulabit (B).

Vide Tab. II. Regum Serviæ.

Res Tugimiri, Hvalimiri, Petrislavi, & Vladimiri Regum.

SERBL. De *Tugimiro*, *Hvalimiro*, & *Petrislavo* nihil fere memoratu dignum Diocleates ad nos transmiſit, ſi excipias Tugimiri epocham, quæ cum initiis imperii Samuelis, hoc eſt: anno 978 concurrit. Deinde, quod, *Hvalimirus* regnum in tres filios partitus *Petrislavo* Zentam: *Dragimiro* Trebuniam: & *Miroslavo* Podgoriam gubernandam reliquerit: quodque Miroslavo, dum fratrem inviſit, in ſcutarenſi lacu naufragio hauſto, *Podgoria Petrislavo* acceſſerit, & Vladimirus, hujus filius a patris obitu Rex, *Zentæ*, & *Podgoriæ* poſſeſſionem adierit circa annum MIX. At in *Vladimiro* plura ſe offerunt. Hunc *Samuel*, otium aliquod a bello Græcanico nactus Indictione IX. aut X.

(A) Scylizes, & Cedrenus imperaſſe ferunt *Tribaliæ*, quod vetus Serviæ nomen eſt. (B) Vide Tab. II. Regum Serviæ: item Tab. Regum Bulg.

X. obſeſſum in monte arduo obliquo (A) proditum a ſuis cepit, regno Serbliæ exuit, ac in carcerem conjecit *Preslavæ*: mox tamen collocata matrimonio Coſſara filia, ex captivo generum adſcivit, libertati, regnoque reſtituit, adjectaque Dyrrachii provincia auxit, Trebina etiam Dragimiro ejus patruo reſtituta. At extincto Samuele Ind. XII. anno MXIV, & filio ejus Gabriele a Joanne Bladislavo anno MXV. fraude perempto, Vladimirus quoque rex Serbliæ, ejus perjurio deceptus, vitam cum regno anno eodem amiſit.

Vladimirus anno MXV. perimitur.

BULG. Egit hæc Joannes, quo Bulgariæ imperium Gabrieli juſto hæredi ereptum, ſibi ſtabiliret, nemoque eſſet, qui ſcelus ulciſceretur. At tot paricidiorum ac perjuriorum reum Joannem ultus brevi eſt vindex Deus. Nam cum anno MXVIII. ad Dyrrachium in caſtris excubat, terrifica viſione Vladimiri enſem in ſe ſtringentis perturbatus, manu Angelica, ut vult Diocleates, aut, ut Græci malunt, vi occulta ſublatus interiit (B). Nece hac Joannis Bladislai comperta, Dragimirus, Vladimiri patruus ad Trebinam, cæterasque avitas provincias rurſum aſſerendas incubuit: quibus recuperandis dum navat operam, civium Catarenſium perfidia anno MXVIII. e medio ſublatus eſt. Ita Bulgaria, una Serbliaque turbatiſſimis utrorumque domi rebus in Romanorum poteſtatem pervenit (C). Vidua Dragimiri cum uterum gereret, cognita mariti nece, ad parentem *Liubomirum* Raſſiæ Zupanum confugiendi conſilium iniit: at, cum & hunc exſtinctum intellexit, converſo itinere in Bosnam ad cognatos profectionem maturavit: ubi dum agit, in Brusno, Drinæ Comitatus oppido *Dobroslavum* filium proſpere enixa eſt: ſed, cum nec hic locorum ſe tutam cerneret, Raguſam, celebre tot miſerorum principum aſylum, contendit. *Dobroslaus* iſte eſt idem prorſus cum Cedreni, ac Zonaræ *Stephano Boiſtlavo*, qui ſubinde accepta in thorum Samuelis Bulgari nepte, poſt luſtra aliquot Serbliæ regnum inſtaurabit, & Bulgariæ quoque *Bodinum* daturus eſt Imperatorem, ſed non pari ſucceſſu.

Dragimirus Vladimiri patruus occiditur, ſequitur Serbliæ interregnum majus.

Dobroslaus poſthumus Dragimiri naſcitur a. MXVIII.

SERBL. Poſtquam ex Diocleate Serbliæ reges ad Vladimirum perduximus, ſicque interregni majoris tempus attigimus: præteruendi non ſunt *Zupani Raſſiæ*, quos author idem in hiſtoriam invehit. Ex his primus occurrit *Tibomilus* a Ciaslavo rege ſub annum 862 provectus: tum *Liutomirus*, quem detrectantem obſequium rex Paulimirus prælio victor peremit (D): & poſt annorum complurium intervallum offert ſe *anonymus*, *Raſſiæ Banus*, qui exutus provincia per Zimi-

XI. Raſſiæ Zupani ab interregno Ciaslavi regis. Vide Tab. I. Zupanorum.

(A) Indictiones illæ apud Cedrenum reſpondent anno MXI., & MXII., quibus Samuel minus infeſtum Baſilium Imperatorem habuit. (B) Cedrenus. (C) Anno MXIX. (D) Vide Tab. I. Zupanorum Raſſiæ.

Zimiſcem auguſtum, auxilio *Prælimiri* regis anno 976 reductus eſt. Hunc in regimine ſequi potuere *Pignia*, & *Radigradus* filii: & hos denique *Liutomirus* Dragimiri ſocer ſub annum MXVIII. extinctus (A). Abſunt hi omnes a ſerie principum montanæ Serbliæ, cujus pars Raſſia fuit: ſed nec cum contextis a Porphyrogenito principibus conſentiunt (B). Quare, quid de illis judicii feram, ignoro penitus.

Sententia noſtra de eisdem.

BULG. *Tibomilum*, & *Liutomirum* ad ſeriem principum montanæ Serbliæ non pertinere docet tabella genealogica ex Porphyrogenito contexta, & ad annum 949 perducta (C). Erant ii igitur præfecti ſeu zupani ſuperioris illius partis Raſſiæ, in qua *Lim*, & *Ibar* fluvii naſcuntur, a regibus Serbliæ in maritima degentibus conſtituti. *Liutomiro* cæſo, an quem alium Paulimirus inſtituerit, incertum: Diocleates nullum memoriæ prodidit, ut adeo veriſimile videatur. partem illam, principi montanæ Serbliæ conceſſam, jure Regali apud Paulimirum manente. At *anonymus*, Raſſiæ Zupanus a Zimiſce ejectus, & a Prelimiro anno 976 reſtitutus, *Tzebeſtlavi*, in quo ſeries Porphyrogeniti deſinit, & filius, & ſucceſſor in montana Serblia eſſe potuit: certe ex *Bani* titulo, quo a Diocleate donatur, ſuſpicari licet, eundem univerſæ montanæ Serbliæ præfuiſſe: quare opinione mea per hunc *anonymum*, filiosque *Pigniam*, & Radigradum, ac denique *Liutorum*, Tzeheſtlabi ſucceſſores continuari poſſunt: quæ tamen intra conjecturæ fines dicta ſunto, cum in ſententiam eandem ſcriptorum nemo præeat.

XII. De Statu Eccleſiæ Serblicæ per hæc tempora ſub Blaſtimere, & Paulimiro regibus: & Michaele Interrege.

SERBL. Quo me non abripuit ſtudium patriæ hiſtoriæ, perplexæ ſane involutæque domeſticorum ſcriptorum vitio, qui, dum aut annos nullos explicant, aut conſtitutam annorum epocham præpoſteris, & antilogicis narrationibus perturbant, nec raro in chronologiam ac genealogiam peccant, hiſtoriæ ceteroquin planæ incredibiles tenebras offuderunt: te etiam longe a propoſito abduxi: redeamus in viam, &, quod dudum voluiſti, argumenta profer, quibus Serbilianam Eccleſiam per hæc ſæcula Romano Patriarchæ conjunctam, atque in ſacris obnoxiam vixiſſe parabas evincere, nullaque Photii labe aſperſam.

BULG. Digreſſio, quam te impulſore feci ad profanam Serblicæ gentis hiſtoriam, non eſt futura prorſus inutilis: illa enim in ſuum ordinem verum reducta, affundet lucem rebus, quas deinceps ex ſacra gentis hiſtoria mutuabimur, quæ ſola argumentum aliquod nexus, ſubjectionisque ad ſedem Romanam ſuppeditare poteſt.

SERBL.

(A) Vide Tab. III. mont. Serbl. Principum. (B) Vide Tab. II, principum mont. Serbliæ. (C) Et iterum eandem.

SERBL. Quæcunque in hanc rem adferes, clariora evadent omnia, poſtquam regum Serbliæ ſeriem ad initia Sæculi XI. perduximus, perplexa, obſcuraque eorum tempora digeſſimus, ab antilogiis, aliisque erroribus repurgavimus, annisque, aut annorum periodis illigavimus utcunque. Eſtne vero vel unus iſtorum principum, qui ſe, Eccleſiamque Serblicam Romano Patriarchæ moderandam permiſerit?

Ejus conſenſio cum Romana Eccleſia eruitur ex ſtatu Eccleſiæ Græcæ conſimili.

BULG. De eo non eſt cur ambigas, ſive ad Græcos, ſive ad Bulgaros, qui vicini nobis per hæc ſæcula imperarunt, oculos, animumque advertas. *Baſilius I.* Orientis auguſtus, ut antehac diximus, (A) omni jure arrogato in ſacra provinciarum Illyrici, quas Bulgari, Serblique diviſo imperio tenebamus jam anno 880 deceſſerat, ac Patriarcham ſuum quavis earum procuratione exuerat. *Leo Sapiens* paternis inſiſtens veſtigiis in expoſitione diœceſeon Conſtantinopolitano reſervatarum (B) idem teſtatus eſt: nec veriſimile eſt cum deinceps quidquam Romanorum jurium turbaſſe, qui turbatorem Photium in primo ſtatim imperii ingreſſu (C) throno Conſtantinopoleos ejecit, egitque in exilium: quique poſtea in celebri tetragamiæ, ſeu quartarum nuptiarum controverſia ad ſedis Apoſtolicæ judicium provocavit (D), & inde quartis, quas contra morem, legemque ſuæ Eccleſiæ inierat nuptiis, veniam, ac diſpenſationem quæſivit impetravitque, quam immerita ſeveritate Sedes Conſtantinopolitana denegabat. Atque cum poſthac etiam ob cauſam eandem inter Conſtantinopolitanos antiſtites recruduiſſent diſſidia, ſciſſaque in partes propterea eorum foret Eccleſia, Conſtantinus Porphyrogenitus toties a nobis laudatus imperator, Leonis Sapientis filius, cum Nicolao Myſtico Patriarcha, ac tutore ſuo de pace unioneque Eccleſiæ ſuæ reſtituenda ſoliciti, Roma aprocriſiarios Apoſtolicos a Joanne Papa X. votis ardentibus exorarunt (E): quorum ſub præſidio diviſa coaluere membra, lis omnis eſt compoſita, paxque Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ eſt reſtituta. Audi Nicolaum Myſticum Patriarcham, ejus epiſtola ad Simeonem Bulgarorum Imperatorem, tunc quam maxime Græcis infeſtum, digna prorſus eſt quam hic inſeramus: eam refert Baronius ad annum 917, ubi poſt complura, de legatione Romana commemorata, ſubdit: *Hæc de legatione Romana. cujus adventus (cur enim tibi ſub Chriſti ſignis, quamvis adverſus chriſtianos, diabolica fraude depugnanti, commune gaudium invideam?) ſcandalis, quæ ob tetragamiam apud nos omnia turbarunt, impoſitus eſt finis, &, ut verbo dicam, Romana, ac Conſtantinopolitana Eccleſia, ita IN UNAM COALITA EST FIDEM, AC CONSENSIONEM, ut amplius nihil vetet, quominus illorum com-*

(A) Colloquio II. (B) Quæ anno 883. concinnata fuit Patriarcha etiamnum Photio. (C) Anno 886. (D) Circa annum 906. (E) Anno 916.

communione, & ſanctificatione perfruamur (A). Audiant hoc, & ad animum demittant, qui Romanorum, ſeu conſvetudines, ſeu dogmata cavillantur. *Azymo*, ut ſemper antea, tunc etiam in miſſarum ſacrificiis Romana utebatur Eccleſia: *Proceſſionem* ſpiritus ſancti ex *Patre, filioque* tuebatur conſtantiſſime; quin & ipſi Symbolo dogma idem intulerat, addita voce *Filioque*: ait tamen Nicolaus Conſtantinopoleos Patriarcha, cujus non ſapientiam modo, ſed & ſanctitatem utrique veneramur: *ut verbo dicam: Romana, & Conſtantinopolitana Eccleſia ita in unam coalita eſt fidem, ac conſenſionem, ut amplius nihil vetet, quominus nos illorum communione, & ſanctificatione perfruamur.*

SERBL. Apocriſiarii Joannis X. Theophylactus, & Carus Epiſcopi, reducta in Eccleſiam Conſtantinopolitanam pace, ut imperio quoque eandem procurarent, in mandatis a Pontifice acceperant. Ergo Joannis Papæ nomine Bulgarorum Imperatorem Simeonem, qui bello graviſſimo premebat imperium, conveniunt, & poſt patratas cædes innumeras, immenſamque ſanguinis chriſtiani præfuſionem, ad imponendum bello finem, & amplectenda pacis conſilia invitant, orant, & zelo magno exhortantur.

Item ex Bulgaricæ.

BULG. Sed legatio optato ſucceſſu fruſtrata eſt: major enim erat Bulgari principis offenſio, & juſtior in Græcos ira, qui toties paganas gentes in Bulgariam exciverant, quam ut interventu etiam legatorum Apoſtolicorum exſtinguerentur odia, pax coaleſceret. Tot vero cruentiſſima Simeonis cum Græcis bella, quæ præceſſerunt, quæque deinceps ſecuta ſunt, perſvadent certiſſime Simeonem paſſurum fuiſſe nunquam, ut Serblis, quorum partem fere præcipuam ſumma alioquin poteſtate continebat, commune aliquid cum Patriarcha Græco eſſet. Quare hinc Bulgaris nexum illum ſumme caventibus prohibentibusque, inde vero Conſtantinopolitanis jus qualecunque in Eccleſiam Serblicam dudum depoſitum, jam non ambientibus, neque de eo ſolicitis, conſequens prorſus eſt Serbliam partim Achridanis Archi-Epiſcopis vices Apoſtolicas gerentibus, partim propriis ſuis, ac horum medio Romano Patriarchæ in ſacris paruiſſe. Et Diocletanum quidem antiſtititem, Romæ ſubjectum, ſacra authoritate reges Serblorum continuiſſe ad uſque Diocliæ excidium (B) palam eſt ex Diocleate, qui poſt Budimirum, & Svetolicum, regum cunctorum inaugurationem ſacram Diocletano, ejusque Eccleſiæ tribuit: *Ex illa denique die mos adolevit, ut in eadem Eccleſia eligerentur, & ordinarentur omnes reges hujus terræ.* Hic igitur, hujusque miniſterio conſecrati, coronatique ſunt reges etiam *Blaſtimeres*, & *Paulimirus*.

Et Diocleatis teſtimonio.

SERBL.

(A) Baron. T. 8. in appendice, & Concilia Collecti T. XI. (B) Anno 926.

SERBL. Recte id quidem, at animus meus haud adquieſcit, niſi vel unum Serbliæ principem in medium proferas, qui ſe Romæ regendum permiſerit, vel Romanum Pontificem, qui jus per Serbliam dixerit.

XIII. Serbliæ principum unio cum Romana Eccleſia comprobatur exemplo Michaelis Serbliæ Interregis, ſub quo.

BULG. Cum Sæculo X. inter Romanos Epiſcopos complures fuiſſe exiſtimem, qui curas ſuas Apoſtolicas ad gentem Regesque noſtros porrexerint, de ſolo tamen Joanne X. quædam monumentorum reliquiæ ſuperſunt, quæ jus Patriarchicum ſedis Romanæ in regnis noſtris nominatim confirment. Memoria iſtorum aliqua in majore Spalatenſi hiſtoria conſervata eſt. Ex ea diſcimus, ſub annum 925 nationale ex Serblis Chrobatisque coaluiſſe concilium Spalati, præſidibus Sedis Apoſtolicæ legatis; ipſa præterea principum, qui concilio adfuerunt nomina, cauſas, quæ in eodem diſceptatæ ſunt, decretaque.

SERBL. Quæ cauſæ fuerint cogendæ ſynodi ex Serblorum Chrobatorumque gente conflatæ, ac regni utriusque Epiſcopis? quæ ratio depoſcendi Roma legatos? primum ediſſere.

Synodus nationalis Chrobatorum, & Serblorum Spalati celebrata eſt. 925.

BULG. Liturgia, Sclavorum ſermone tam Græcorum quam Latinorum norma pro vario populi Sclavonici ritu concinnata, uſus linguæ ejusdem in ſacris, divinisque officiis, pridem in has etiam (A) regiones per Methodium, ac Cyrillum invectus, quemadmodum olim Romæ Hadriano II. ſedente, tanquam novus, & inſolens eſt impetitus, & poſt annos aliquot (B) apud Joannem VIII. hæreſeos eſt etiam incuſatus: ita his temporibus per Dalmatiam quoque, Serbliam, & Chrobatiam oppugnatores, hoſtesque nactus eſt, qui iisdem fere nominibus Liturgias Sclavonicas criminabantur, atque ut minimum abolitas vellent, tanquam nullo jure, nulloque privilegio in hæc regna inductas. Et cum diviſa hac parte eſſent Epiſcoporum, principum, Cleri, populique ſtudia, & quod alii damnabant, alii mordicus tuerentur *Tamislavus Chrobatorum* princeps, & *Michael Serbliæ* (C), ut finem iti, diſſidiisque imponerent, judicium Apoſtolicum implorandum duxerunt, rogandumque Joannem X. Pontificem, ut apocriſia riis delegatis, cauſam omnem in examen vocaret, diſcuteret, & pro æquitate procunciaret, certamque credendi regulam *Serblorum, Chrobatorumque* genti proponeret, præſcriberetque.

De uſu linguæ Sclavonicæ in ſacris.

SERBL.

(A) Ex T. 3. operum Theophylacti Bulg. Archi-Epiſcopi de translatione XV. Martyrum Tiberiopoli ſub Michaele Boryze facta n. 42. (B) Hoc eſt 878. vel ſequenti. (C) Erat *Michael*, Dux Chulmiæ, quæ provincia Serviæ pars fuit: & fors quoque *Paganiæ* princeps, quem alii *regem Sclavorum*, nos *Interregem* Serbliæ diximus.

SERBL. Piis principum votis velificatum esse summum Pontificem, non ambigo : at, quid legati egerint, quid constituerint, me sane latet.

Joannis X. Legati Apostolici Joan. & Leo Episcopi.

BULG. Ut rogabatur, submisit Pontifex legatos *Joannem Anconitanum*, & *Leonem Preneſtinum* Episcopos ad annum 925. Illi vero, postquam gentis utriusque *Serblorum*, ac *Chrobatorum* Ecclesias, urbes, oppidaque peragrarunt, ac cuncta fere oculis ipsi suis lustrarunt, ac varia cum variis colloquia inierunt, Synodum denique utrique genti Spalatum, velut in Primatialem Serbliæ, Chrobatiæ, Dalmatiæque sedem, & ab armorum motibus liberiorem condixerunt. Præter Spalatensem, & suffraganeos, & Serbliæ Metropolitæ Diocletani Episcopos Catarensem, aliosque adfuere quoque principes *Tamislavus Chrobatorum*, & *Michael Serblorum* cum proceribus gentis utriusque. Perhibet id præfatio concilii, quem, quia multis grammaticis erroribus scatet, inferre huc supersedeo.

SERBL. Imo vero, quamcunque informi, corruptoque sermone concepta sit, cum voluptate audiam, nec idcirco veritatem in suspicionem vocabo, probe gnarus, menda, corruptelamque, si non scriptoris, transcribentium certe imperitia, vitioque facile enasci potuisse in gente latino sermoni non æque dedita.

Præfatio Synodi.

BULG. Quando sic jubes, præfationem, ut exstat, exhibeo ; erroribus tu ipse facile medeberis : *Tempore Joannis Papæ san. Ætissimo consulatu peragente in provincia Chrobatorum, & Dalmatiarum finibus Tamislavo Rege : & Michaele in suis finibus præsidente Duce. Reverendissimo igitur Joanne Romanæ Ecclesiæ præsidente Cathedræ dictus Chrobatorum Rex, & MICHAEL CUM SUIS PROCERIBUS, SIMULQUE EPISCOPIS DALMATIARUM. Item, Joannes Archi-Episcopus Spalato Forminus Gregorius, cæterique Episcopi consulenter proposuerunt ad venerabilem Papam, ut ad eos destinare dignaretur Episcopos suos, & monitorium christianæ Religionis dogma continentem. Quorum postulationibus suprafatus Pontifex assensum præbens Joannem venerabilem Episcopum Anconitanæ Ecclesiæ, Leonem vero Preneſtinum Episcopum cum suis epistolis melliflue ructantibus, & eloquia, destinavit : ut cum præfatas personas Judicibus Episcoporum synodaliter congregati, & perperam extirpare, & Deo placita sancire deberent. Quique pervenientes dicti Episcopi, Dalmatiarum peragrantes civitates, & CHROBATORUM, atque SERBLORUM PROCERIBUS* (A) *convenientes, congregatis in Spalato Episcopis, & judicibus celeberrimum concilium peregere. Ubi divino juvamine freti hæc, quæ sequuntur, capitula observare censuere* : Nunc ad decreta.

SERBL.

(A) Præter *Michaelem*, complures *Serblorum* Dynastas adfuisse Concilio hinc elucet.

SERBL. Prius, quam Synodi decreta delibemus, juvat epiſtolas Joannis Papæ, quarum præfatio meminerat, audire. Exaratæ procul dubio fuerint ad Primatem Spalatenſem, ejusque Epiſcopos: tum, & ad Diocletanum Serbliæ Metropolitam, ac Suffraganeos, denique ad Principes ipſos, optimates, Clerum, populumque univerſum.

Epiſtola Joan. X. P. ad Archi-Epiſcopum Spalat. & Suffraganeos.

BULG. Epiſtola ad Diocletanum Metropolitam, & Suffraganeos, aut peculiaris exarata non fuit; aut, quod veriſimilius, cum urbe Dioclia anno 926. interiit: ob quos belli, jam tunc ferventis motus Diocletanus fortaſſe, nec adeſſe Synodo potuit. Quæ ad Joannem Archi-Epiſcopum Spalati, & Suffraganeos directa fuit, hæc continet: *arguuntur* neglecti erga Sedem Apoſtolicam officii, obſervantiæque: nullas enim eatenus literas obſequii teſtes ad Joannem Papam dederant: ſed neque mirum, cum Joannes ſatis diu pro intruſo, illegitimoque Pontifice haberetur. *Reprehendit* deinde, quod in commiſſis ſibi Eccleſiis doctrinas exoticas irrepere, ac convaleſcere, ut fama ferebat, permiſerint: quodque ad *Methodii* (A), cujus nomen in ſacris voluminibus nuſpiam exſtaret, doctrinam confugiant, poſthabitis Evangelio, Canonibus, & Apoſtolicis inſtitutionibus. *Monet* poſtea, incumbant ad hæc exſtirpanda communi cum Legatis ſuis opera. Ad extremum *hortatur*, ut in Sacris Latina utantur Lingua, non extranea: poſtulati hanc cauſam reddit: *Cum Sclavi ſint ſpeciales filii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quos ipſa per Evangelium genuit*: filium vero dedeceat alia, quam patris, matrisque lingua uti.

SERBL. Ejusdem fere argumenti epiſtolam ad Principes quoque perſcriptam eſſe, non ambigo; ea ſi paulo, ſit longior, præcipua ſaltem capita excerpe, atque, ſi lubet, integram, utramque, etſi mendis plenam, ad calcem refer.

Ejusdem ad Principes, & Synodum.

BULG. Epiſtolæ ad principes datæ hoc eſt exordium: *Joannis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Tamislavo, regi Chroatorum, & Michaeli, excellentiſſimo Duci Chulmorum: nec non Reverendiſſimo, & Sanctiſſimo confratri noſtro Joanni, Salonitanæ Eccleſiæ Archi-Epiſcopo, omnibusque Epiſcopis ſuffraganeis: verum etiam omnibus Zupanis, cunctisque Sacerdotibus, & univerſo populo per Sclavoniam, & Dalmatiam commorantibus, dilectiſſimis filiis noſtris. Divina omnipotentis Dei diſpenſatione hoc factum eſt, ut ſolicitudo omnium Eccleſiarum nobis commiſſa eſſe credatur.* Hanc vero in eo ſitam eſſe ait: ut ſpirituali

(A) *Methodii* doctrina eſt legum, & canonum codex a S. Methodio Archi-Epiſcopo compilatus: de quo Diocleates, loco non ſuo, in Delmit. Synodo.

augmento, morumque correctioni apud omnes christianos, ac præcipue apud *suos filios speciales*, in quorum numero *regna Sclavinorum, Chrobatia nempe, Serbliàque sint*; *quibus ab incunabulis, ac velut cum lacte per prædicationem Ecclesiæ Apostolicæ fides installata est*; *sicut recentius a Gregorio II* (A) *Saxonibus: quibus cum fide tralita sint literarum studia, & lingua latina, qua mater ipsorum, Apostolica Ecclesia utitur.* Quare hortatur cumprimis ad charitatem, & zelum rectitudinis, expellendum tœporem mentis, studium placendi Deo, Decalogi observantiam, præstandas decimas, ac primitias tam facultatum, quam dierum: deinde, ut filios suos ab annis teneris ad literas condiscendas Deo offerant, qui Divinis informati, ipsos etiam ad salutem juvare possint. *Et quoniam*, inquit, *Sclavi, specialissimi filii Romanæ Ecclesiæ forent*, sperat eos ab usu linguæ Sclavonicæ in Missæ Sacrificio facile destituros. Nam, qui eam præ latina retinere contendunt, alienos se a matre sua ostendunt, & de iis verificatur dictum illud: *Ex nobis exierunt, & non sunt ex nobis*: nam, si ex nobis essent, conversatione, linguaque nobiscum cohærerent. Ad extremum admonet ad præstandam legatis fidem, utque eos audiant, statutisque ipsorum canonicis per omnia morem gerant.

Regnis Sclavorum Chrobatiæ, Serbliæque fides Christi primitus instituata per sedem Apostolicam.

Ideo Sclavi filii specialissimi Romanæ Ecclesiæ, quos hortatur ad ad sacra officia latino sermone peragenda.

SERBL. Primam gentis nostræ conversionem ad Christum a Porphyrogenito Romanæ Sedi assertam, luculente confirmat, hæc Joannis epistola, cum Saxonum, quæ sæculo octavo evenit, recentiorem appellat. Vigebat igitur post trium etiam sæculorum lapsum, nec in archivis tantum, sed, & in ipsis Pontificum mentibus conversionis nostræ per Romanam Sedem memoria. Post descriptam autem ipsis fere Pontificis verbis epistolam; si decreta Synodi in Synopsim colligas, statum quoque regnorum nostrorum illius temporis in luce pones.

Decreta Synodi.

BULG. Decretis Synodi, cumprimis Metropolitana Spalatensis authoritas stabilita est. Sancitur deinde, ut civitatibus, quibus olim præfuisse Episcopi dignoscuntur, rursus consecrentur, si par adsit populus, Clerusque: ignobilibus vero locis, etiam exposcentibus denegentur, ne character Episcoporum vilescat. Cavetur præterea, ne vacans Episcopus vacantem Episcopatum citra Metropolitæ, & Episcoporum assensum adeat: neve Episcopi suos transcendant limites, aut in aliena Parochia fungantur. Prædia, ac possessiones Deo dicatas ne quis ausit invadere: quæ Principali Divi Petri Ecclesiæ: hoc est Romanæ, in patrimonium collata sunt (B), nemo subtrahat. Si in plebæo tumultu Princeps perimatur, cum sce-

(A) Circa annum 725. ex Chron. Pagii. (B) Hinc elucet Rom. Ecclesiam in his quoque regnis patrimonia habuisse.

ſcelera quæ a multis patrantur, plerumque inulta maneant, injungitur eleemosyna pro principis anima, & Eccleſiarum, ſi quas condidit, & libertorum, ſi quos inſtituit, uxoris denique, filiorumque defenſio, protectioque. Qui vero ſingulari conſilio, ut Judas Chriſtum, principem ſuſtulerit, is lapide de collo ſuſpenſo, ferroque præcinctus exul pœniteat. Cum *Raguſini*, & *Catarenſis* antiſtitum una ſedes eſſe dignoſcatur, nunc quidem diœceſim æqua lance dividant, a morte autem cujuscunque eorum, tota ad ſuperſtitem redeat. De *Licinio* Epiſcopo, cujus Eccleſia violata fuerat, decernitur, ut, cum ad eam ordinatus ſit, permaneat; nullas vero illic Miſſas peragat, dum ea rurſus cononice conſecretur. *Licinius*, ſi permanere detrectet, agat Presbyterum in primæva Eccleſia, ex qua aſſumtus fuerat. Nullus Epiſcoporum ad gradum quemcunque promoveat lingua Sclavonica, ſic tamen promoti ad clericatum, aut monachatum, Deo deſerviant, nec tamen in Eccleſia Miſſas dicere ſinantur, niſi neceſſitas aliud imperet, Sacerdotum penuria, & Romani Pontificis licentia accedat (A). *Epiſcopus Nonenſis Chrobatorum*, Spalatino Metropolitæ ſubſit; quodſi rex, aut proceres Nonenſi ſuo Pontifici univerſas Diœceſes vindicare, ſubmittereque contendant, nemo Epiſcoporum per eorum provincias Sacramenta, aliasque ſacras functiones miniſtret; accedentibus tamen ad ſe, tuto, & absque ſcrupulo Sacra omnia præbeant: ex quo, ſi in ſubditis chriſtianæ religionis, doctrinæque defectus enaſcatur, princeps cum Antiſtite ſuo, Deo de animabus reſpondebunt. In Eccleſia, in qua Presbyter occiſus fuerit, nemo ante impenſam ſatisfactionem, miſſas dicet. Presbyteri res Eccleſiarum ne deſtruant, ſuſceptam ſemel Eccleſiam ne deſerant, deſerentes fidelium communione excludantur. Quæ cum in hunc modum decreta fuiſſent, Nonenſis Chrobatorum Epiſcopus a Synodo ad Papæ tribunal provocavit.

SERBL. Appellatione admiſſa Joannes X. hac parte Synodi ſententiam ſuſpendit: decrecta cætera rata habuit, confirmavitque. At, quem tandem finem Nonenſis appellatio nacta eſt?

XIV. Legationes mutuæ Simeonis Bulg. imp. & Joannis X.

BULG. Cauſa cecidiſſe Nonenſem Antiſtitem, ex hiſtoria fuſiore Spaletenſi palam eſt. Res omnis ſic ibi narratur. *Simeon*, Bulgarorum imperator ad Joannem X. ſive officii, ſive Eccleſiarum ſeu utraque ex cauſa *Joannem* illuſtrem *ducem Cumas* legatum deſtinaverat; qui defunctus officio, Roma cum legato Apoſtolico *Madalberto Epiſcopo* per Dalmatiam in Bulgariam rediit. Quæ tunc in Bulgaria Apoſtolicus legatus egerit, nemo, quod ſciam, memoriæ prodidit:

(A) Canon iſte, ad opprimendum uſum linguæ Sclavonicæ in ſacris, conditus fuit.

dit: verisimile est, ibi quoque liturgias Sclavonicas in crisim vocatas, at forte melius defensas esse, atque adeo subsistitisse: cætera incerta, ac in obscuro sunt: id unum author historiæ affirmat, *Madalberto* mediatore bellum, quod inter Simeonem, & Chrobatos anno 927. exarserat, pace feliciter compositum esse. Redux in Dalmatiam *Madalbertus* ex præscripto Joannis X. coacta rursum Spalati Synodo, controversiæ diœcesis causa a Nonensi appellatæ finem fecit, ejusque auctoritati limites præscripsit: quos Leo Papa Joannis successor ratos habuit, additoque duntaxat Scardonensi districtu diœcesim ampliavit. Hoc fine lis illa de diœcesibus composita est. At Sclavonicæ linguæ inter sacra officia usus opprimi penitus non potuit, Clero minori, populoque, instituto semel recepto, & longa annorum multorum consvetudine roborato, mordicus insistentibus.

A reduce inde legato Apostolico Nonensis Episcopi controversia dirempta.

XV. Reges Serbliæ post Michael. conjuncti Romanæ Ecclesiæ non minus, quam Græci, ac Bulgari.

SERBL. Serblorum conjunctionem cum Romano Patriarcha, quæ *Michaele* Duce Chulmiæ, ac Interrege Serbliæ viguit, perstitisse etiam subsequis regibus *Tisimiro*, *Prelimiro*, *Sylvestro*, *Tugimiro*, *Hvalimiro*, *Petrislavo*, & *Vladimiro*, inde conjicio, quod, & Bulgari constantissime sedi eidem adhæserint, & ipsa Constantinopolitana Ecclesia per hæc tempora Romanis Pontificibus magisterium detulerit, nec uno facto primatum ejus, suamque subjectionem testata sit. Nam Constantino Porphyrogenito, & Romano Lacapeno imperantibus, a Joanne XI. Papa, pro Theophylacto, anno ætatis XVI. in thronum Patriarchicum provecto, quæsita est Apostolica in ætate dispensatio (A). Augusti iidem, eidem Theophylacto, Ecclesiæque Constantinopolitanæ, a Joanne eodem Pontifice quæsierunt, ac impetrarunt privilegium, ac jus Pallii perpetui, citra novos successorum recursus (B). Et post complures annos *Basilius* quoque, hujus nominis II. Imperator titulum *Oecumenici*, seu universalis Eustathio Patriarchæ suo, ac successoribus per supplices legatos expetiit, quamquam, quod rogabat, haud impetrarit (C).

Conjunctionem confirmat Serblorum Rex Vladimirus catholicus, sanctimonia, ac miraculis clarus.

BULG. Successores reges Serbliæ *Michaelis* vestigiis institisse probat Bulgarorum æque, ac Græcorum per hæc tempora constans ad sedem Apostolicam adhæsio. Confirmat autem validissime, & sanctitas ipsa *Vladimiri*, Samuelis generi, ultimi ante majus interregnum Serbliæ regis (D), & testimonium, quod sanctimoniæ ejus scriptor domesticus huic ævo viciniſſimus, confessionis, ritusque Romani

---

(A) Allatius L. 2. c. 7. ex MS, chronographo Const. Porphyrogeniti. (B) Luitprandus Epi. Cremonensis in sua legatione ad Nicephorum Phocam Imp. (C) Baron. ad an. MXXIV. n. 5. Cuperus Hagiologus in patergon. 5. de titulo *Oecumenici*: uterque ex Glabro Monacho coævo. (D) Regnabatis jam anno MIX.

mani Presbyter Diocleates præbuit, qui enarrata *Vladimiri* cæde, ac ſepultura in Preſslavæ Eccleſia, prodigiisque ad tumulum patratis, hæc de translatione ſubjungit, ac ſanctitate: juvabit ipſa ejus verba audire: *Vidua*, inquit: *Regina Vladimiri ſancti conjugis corpus transtulit Creanum, quæ ſedes ejus regia fuit, mandavitque ſepulturæ in Eccleſia ſanctæ Mariæ: ubi corpus Vladimiri perſiſtit etiamnum integrum, ſpargitque odorem ſuaviſſimum, tenetque manu crucem eandem, quam Imperator Bulgarus transmiſerat. Concurrit maxima populi copia die ejus feſto ad venerandum corpus. Atque in hodiernum plurima, & maxima prodigia* (A) *in Eccleſia eadem ope, & interceſſione beati Vladimiri patrantur. Conjux Regina, ubi pie parentavit ſancto conjugi, ſpreto & ipſa mundo, monacha in eadem Eccleſia facta eſt. Ubi, poſtquam ſanctiſſimam vitam duxiſſet, exceſſit ad meliora.* Sed hunc ſanctum Serbliæ regem, vos nondum, quod ſciam in mœnea veſtra intuliſtis, Agite & iſthoc: & quem Serblia omnis Sæculo XI., ac XII. inſigni cultu, fiduciaque venerata eſt, eidem ſancto regi veſtro, vos quoque gloriam, cultumque reddite.

Quem Serbia omnis Græca, Latinaque ſæculo XI, & XII venerata eſt.

(A) Hoc eſt: circa annum 1161, in quo finit hiſtoriam.

COLLOQUIUM QUARTUM.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM A PRINCIPIO SÆCULI XI. AD MEDIUM XII.

SERBL. Subjectio ad Sedem Apoſtolicam poterat in Serblis, Bulgarisque conſtare, quoad utrorumque ſub domeſticis principibus regnum ſtetit. At, poſtquam regna utriusque gentis poteſtatem Græcorum Imperatorum ſubiere, vereor, ne forma regendi Eccleſias Serblicas, Bulgaricasque vehementer immutata ſit, & pro Romano Patriarcha, Conſtantinopolitanus cervicibus ipſorum ſit impoſitus (A).

I. Bulgaria, Serbliaque etiam ſub Græcorum dominatu manſit pars Romanæ Diœceſeos.

BULG. Inanis metus. Hunc tibi eximet Nilus Doxopatrius archimandrita, homo minime Romanus. Is ſcripto mandavit notitiam Patriarchatuum, uti illa ſuo ævo viguit, hoc eſt: Indictione VI. anno 6051, qui vulgari noſtro 1043 reſpondet. Diſces ex eo, nihil prorſus in Eccleſiaſtica hierarchia Bulgariæ, Serbliæque, imperantibus etiam Conſtantinopoleos auguſtis, turbatum eſſe, ſuo ordine, ac lege veteri omnia conſtitiſſe.

SERBL. Quid ais? Si Nilum Doxopatrium appellas, cauſa cecidiſti. Is enim adjacentes mari Hadriatico, Iſtro, Danubioque flúmini civitates omnes, liberali ſane manu Conſtantinopolitano adſcripſit, ſubjecitque. En verba, quæ a noſtris Græcorum ſtudioſis probe adnotata legi: *Nunc itaque poſſidet a Deo conſervatus thronus Conſtantinopolitanus (quem primum vocatus Andreas fundavit, primum Epiſcopum in eo conſtituens, cum adhuc urbs Byzantium eſſet) partem non minimam Aſiæ, Europæque, ut infra indicabimus. Quæ ſunt* CIRCA HADRIATICUM MARE AB ILLYRICO, USQUE AD PROPONTIDEM, *in qua eſt Conſtantinopolis. Indeque uſque ad Cherſonem, & Chazariam, & Chaldiam, & Gothiam, & Abasgiam, & Iberiam, & Alaniam. Namque in eam a Patriarcha*

(A) Hoc eſt, poſt annum MXIX. Ind. II.

triarcha Metropolitæ mittuntur. Sed, & OMNES ISTRIÆ ADJACENTES CIVITATES IPSI SUBJICIUNTUR, nec non, & DANUBII FLUMINIS: & Capadociæ urbes, & partes Armeniæ, & Cyclades insulæ, & reliquæ omnes, quæ sul sunt imperio Constantinopolitano, multæ illæ quidem, & maximæ insulæ duæ Creta, & Euboea, in qua est Euripus. Sed, & Peloponesus, & Græcia (namque Cyprus sui juris est, ut supra memoravimus). Quin immo, & magna in Russia a Patriarcha Constantinopolitano Metropolita mittitur.

BULG. Nihil his moveor. Adverte, quid Nilus dicat: *Nunc*, inquit, *possidet - - quæ sunt circa Hadriaticum mare AB ILLYRICO.* Igitur *Illyricum* pro meta, & termino figitur, non Constantinopolitani ambitu, & potestate circumscribitur. Ait deinde: *Sed, & omnes Istriæ adjacentes civitates ipsi subjiciuntur, nec non, & Danubii fluminis:* hoc vero tu sic velim accipias: ut extrema fluminis Istri, Danubiique, quæ Scythiæ Ponticæ, ac inferiori Moesia prætenduntur, ad summum intelligas. Quanquam, & has ipsas provincias institutæ in regno Bulgariæ autocephalia, Constantinopolitano subtractas pro certo habeo (A). Hæc, sicut affirmo, nec aliter, aut alia mente a Nilo scripta esse, te Nilus ipse mox docebit. Adi tantum ejus provinciarum Metropoleon, & Archi-Episcopatuum catalogum, quem amplissime, minutimque contexuit, & ex LXV. Metropolitanis, ac XXXIV. Archi-Episcopalibus sedibus, quas throno Constantinopolitano subjecit, ne unam quidem Bulgariæ, Serbliæve civitatem invenies. Absunt ab ejus catalogo provinciæ Illyrici *Prævalis*, *Dalmatia*, *Dardania*, *Dacia Ripensis*, & *Mediterranea*, *Moesia superior*, quin, & *inferior*, & *Scythia Pontica* cum suis Metropolibus, Archi-Episcopatibus, urbibusque. Victum me dabo, si vel unam legeris. Sed neque inter eas provincias, quæ a Romano Patriarcha defecerunt, aut per vim, vel prætextu aliquo abstractæ sunt, quanquam a Nilo recensentur omnes, comparet ullibi seu vetus *Illyrici* nomen, seu tunc usu receptum *Serbliæ*, *Bulgarique.* Verum, quid ego causam hanc multis ago, quam paucis Nili verbis possum absolvere: audi, quid de Bulgaria dicat: *Æque*, inquit, *ac Cyprus sui juris est, nulli ex maximis sedibus subjecta, sed libere se gubernans, & a propriis Episcopis ordinationes accipiens Bulgaria. Quæ a principio Bulgaria non erat, sed cum postea a Bulgaris fuisset occupata, Bulgariæ sibi nomen adscivit. Remansit itaque, & ipsa sui juris, quod ductu, auspicioquo Imperatoris Basilii Porphyrogenetæ e Bulgarorum manibus fuisset erepta, & NUNQUAM ECCLE-*

Nec sunt subjectæ Patriarchæ Constantinopolitano a Basilio II.

(A) Lege Gregorium Nicephorum L. 2. in Joanne Duca Imp. *Tunc etiam Ternobi Episcopus libertatem perpetuam impetrat, cum ad id usque tempus Justinianæ Archi-Episcopo propter veterem illius gentis cognationem paruisset.*

ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ SUPPOSITA. Quapropter ad hæc usque tempora Cyprus, & Bulgaria ab Imperatore quidem accipiunt Episcopos, ordinantur vero a propriis Episcopis, ut dictum est, vocanturque Archi-Episcopatus, tanquam, qui sui juris sunt. Habet vero Episcopatus Bulgaria triginta, & amplius, quorum Primatum obtinet Achris. Bulgaria autem, cum frons, & velut agger Serbliæ esset, hanc quoque a potestate Constantinopolitani tutam præstitit.

SERBL. Cum Orientis augustos, eorumque antistites ad sæculi XI. medium Sedi Romanæ conjunctos, & obsequentes fuisse probe sciam; dabo tibi occupatis etiam Bulgariæ, Serbliæque regnis per Græcos Imperatores, gubernationis veteris formam, normamque obtinuisse, nec quidquam hac parte in Ecclesiarum nostrarum disciplina Basilium Porphyrogenitum, ejusque successores innovasse: atque ita, sicut Bulgari, & montana Serblia Achridano, ita Serblos maritimos post eversam Diocliam Spalatino antistiti cohæsisse, nec enim tunc Serblia alium Metropolitam proprium habuit, Antibari serius ad hoc fastigium provecta, & Diocliæ ruderibus conjuncta. At sus-

II. Inquiritur in statum eorundem post motum Cerularii an MLIII. suscitatum.

citato demum per *Michaelem Cerularium*, Constantinopoleos Patriarcham novo motu; liteque ob ritus, & dogmata Romanæ, totique Occidentis Ecclesiæ intentata, dissolutum pedetentim cum Roma opinor nostrarum quoque gentium nexum veterem, commerciumque.

BULG. Cum *Cerulario Constantinopolitano* conspirasse *Leonem Achridanum*, collatisque consiliis, ambos Romanam, & universam Latinam Ecclesiam oppugnasse palam est ex epistola communi utriusque nomine ad Joannem Trani in Apulia Episcopum inscripta anno MLIII. (A).

Cum Cerulario conspiravit Leo Bulgariæ Archi-Episcop.

SERBL. Habesne in promptu accusationis capita, quæ ad Episcopum Tranensem, hocque tramite ad cæteros Latinos, ipsumque Papam, novissimi isti censores morum, dogmatumque transmisere?

BULG. Quatuor capitibus criminationem universam, in his ad Apuliæ Episcopum literis absolverunt: *Quod Ecclesia Latina contra Christi institutum in azymo Eucharistiam conficiat: quod Sabbatum custodiat: atque utroque hoc Judæis communicet. Quod suffocatis vescatur: & in quadragesima Alleluja non cantet.* Hic illorum primus in Ecclesiam Romanam assultus fuit. His authoribus, quæstio, & lis, ne a pessimo quidem Photio mota, de Azymi Sacrificio, in Ecclesiam illata

Capita eorum accusationis contra Latinos.

(A) Incipit: *Dei magna dilectio.* Leo Achridanus, fuit Bulgariæ Archi-Episcopus, & Sedis Apostolicæ ab olim Vicarius.

illata eſt. Hi primi uſum Azymi, tanquam interdictam canonibus in Judaismum declinationem traducere auſi ſunt: & ne diſceptatio ſolis ritus finibus contineri videretur, ultra ſimplicem violationem legis, everti etiam Sacramentum dixere. Confidentiam addebat ſocietas, & nota in vulgum Nicetæ Pectorati hieromonachi eruditio.

SERBL. Quid vero inter hos novos motus conſilii cepit Romanus Pontifex? in quam ſe partem dedit Conſtantinus monomachus, qui tunc Conſtantinopoli, Bulgariæque ſummo imperio præfuit?

Leo IX. Papa, eorum conatibus ſe opponit.

BULG. Incipienti malo obviam ſe tulit Leo IX., & pro debito Apoſtolici muneris acri epiſtola (A) temeritatem Archi-Epiſcopi utriusque perſtrinxit, qui Romanam Eccleſiam, matrem, & magiſtram omnium, præſumptione incredibili, velut non edoctam ab Apoſtolis Petro, ac Paulo, audent inſtruere: memoranda verba Leonis ſunt: *Ecce jam poſt mille, ac ferme viginti a paſſione Salvatoris noſtri annos incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria paſſionis ejusdem ſit recolenda, quaſi nil ei contulerit præſentia, converſatio, & diuturna inſtitutio, ſeu, qua clarificavit Deum mors pretioſa illius venerabilis Senis, cui ſpecialiter Chriſtus, Filius Dei vivi dicit: BEATUS ES SIMON BARIONA, QUIA CARO, ET SANGUIS NON REVELAVIT TIBI, SED PATER MEUS, QUI IN COELIS EST. Non ergo perpenditis, quanta impudentia dicatur, Pater, qui eſt in cœlis abſcondiſſe a principe Apoſtolorum Petro cultum ſeu ritum viſibilis ſacrifilii per diſpenſationem unigeniti filii ſui, cui per ſemetipſum pleniſſime revelare dignatus eſt illud ineffabile arcanum inviſibilis Divinitatis Filii ſui. Et cui non per Angelum, nec per Prophetam, ſed proprio ore ipſe Dominus Angelorum, & Prophetarum ſic repromittit in ſequentibus: ET EGO DICO TIBI, QUIA TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM.* Et poſt commemorata multa alia, ambos ad ſanam mentem, & officium revocare ſtuduit. Hæc Leo: qui deinceps poſcenti auguſto reſtituendæ pacis cauſa Legatos Conſtantinopolim deſtinavit. Hos inter eminuit a doctrina imprimis conſpicuus *Humbertus*, Sylvæ candidæ Cardinalis, qui & alias Pontificis literas ad Auguſtum, & Michaelem detulit errori hujus convincendo ſuppares. (B).

Legatos Conſtantinopolim deſtinat.

SERBL. Cavillationes Cerularii Michaelis, & Leonis Achridani refutatas fuiſſe tam geminis Leonis Papæ epiſtolis, quam etiam *Humberti* reſponſionibus ad objecta Græcorum ſcripto concinnatis,

Qui objecta refutant

(A) Incipit: *In terra pax hominibus.* (B) Datarum ad Conſtantinum Imperatorem per Legatos initium eſt: *Quantas gratias*: ad Cerularium vero: *Scripta tuæ honorandæ fraternitatis*: quarum utraque data eſt MLIV.

inde metior, quod, poſtquam imperio auguſti eædem in Græcum converſæ ſunt, *Nicetas Pectoratus* monachus, fidus duorum Archi-Epiſcoporum aſſecla, convictus ad ſanam mentem rediit, ſuos, & coryphæorum errores condemnavit, ac opus, quod *de azymo, ſabbato, & ſacerdotum nuptiis* emiſerat, retractavit, anathemate execratus eſt, atque in ipſo Auguſti, Legatorum, Senatus, Cleri, populique conſpectu, rogo cremari voluit.

Cerularium, & Leonem excommunicant.

BULG. Cerularius, ac Leo, cum Legatorum congreſſum declinarent, atque more Eccleſiæ ad dicendam cauſam evocati, non ſe ſiſterent, anathemate ad extremum confixi ſunt, damnationis ſententia (A) ex ſcripto in ipſos pronunciata, & aræ ædis principis ſanctæ Sophiæ, inſpectante toto Clero, populoque ſuperpoſita eſt.

SERBL. Hæc cum Conſtantinopoli audiente, ac inſpectante auguſto, Clero omni, ac populo in Patriarcham tanta ſeveritate aguntur, an nihil irarum, nihil indignationis, motum nullum, ſeditionemve in legatos Apoſtolicos conciverunt?

BULG. Nihil prorſus: cuncta ſilentio, bona pace, & cum reverentia accepta ſunt. Severitas, juſta plerisque omnibus viſa eſt. Nec mirum, utor verbis ipſius ſententiæ a legatis prolatæ: *nam, quantum ad columnas imperii, & ejus honoratos, atque cives ſapientes; chriſtianiſſima, atque orthodoxa eſt civitas: quantum autem ad Michaelem, abuſive dictum Patriarcham, & ejus ſtultitiæ fautores, nimia nimania, & hæreſes quotidie ſeminantur in medio ejus.*

SERBL. Quem vero tandem exitum hic Cerularii, & Achridani Leonis motus, ſeceſſioque a Romana ſede nacta eſt? an illi ad frugem unquam rediere?

Obſtinatio utriusque, & aucta accuſationis capita.

BULG. Cerularius, quoad ſedit, Patriarchas, Epiſcopos, aliosque in ſedem Apoſtolicam excitare non deſtitit, qui, ut feceſſioni ſuæ ſpeciem juſti obduceret, prioribus accuſationis punctis hæc inſuper addidit, accumulavitque (B): *Quod Latini immundis veſcantur. Quinquageſimæ, & quadrageſimæ primam hebdomadem non rite jejunent, Clerici barbas radant. In miſſis ſolemnibus ſe miniſtri oſculentur. In Liturgiis, verba: UNUS SANCTUS, UNUS DOMINUS JESUS CHRISTUS IN GLORIA; alta voce pronuncient. Epiſcopi annulos geſſent, & ad bella proficiſcantur. Monachi uſu carnium non abſtineant. Sacerdotes connubiis prohibeant. Quod una merſione baptizent. Salem in os baptizati immittant.*

(A) Incipit: *Sancta Romana prima, & Apoſtolica ſedes.* (B) In Epiſtola ad Petrum Antiochenum, cujus initium eſt: *Beatitudinis veſtræ.*

immittant. Fratres duas ſorores ducant. Quod male de Spiritu ſancto ſentiant. Et Symbolo vocem FILIOQUE addant. Denique, quod nec icones, nec reliquias Sanctorum, nec Græcos ſanctos Baſilium, Chryſoſtomum, eorumque doctrinam venerentur. Sed pleraque iſtorum, nœniæ erant Photii, dudum oblivione damnatæ, quas inquieta hæc duo capita recantarunt: poſt quæ pridem antea a Photio objecta, ſanctus Nicolaus Myſticus Patriarcha Conſtantinopoleos, licet, & *azyma ſacrificiorum*, & *Symboli additionem* probe noſſet; anno 917. ad Simeonem Bulgarorum Imperatorem in hæc verba ſcripſit: *Romana, & Conſtantinopolitana Eccleſia ita in UNAM COALITA EST FIDEM, AC CONSENSIONEM, ut amplius nihil vetet, quominus illorum communione, & ſanctificatione perfruamur* (A). Horum meminiſſe oportebat tam Bulgarorum, quam Conſtantinopoleos Archi-Epiſcopum, nec turbas novas in Eccleſia ciere ob cavillationes Photii obſoletas, & communi Eccleſiarum calculo neglectas; aut ob conſvetudines, ritusque, vel adiaphoros, vel innoxios, vel etiam traditione Apoſtolica in morem Romanæ Eccleſiæ invectos, quosque ne Photio quidem laceſſere animus unquam fuit.

SERBL. Egit hæc Cerularius, dum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præſedit. At, poſtquam ob ferox, ſeditioſumque ingenium, & minas adverſus Iſacium Comnenum Imperatorem jactatas juſſu auguſti anno MLVIII. throno, quem diu indigne tenuit, dejectus, ac in Proconeſum deportatus eſt, finem fortaſſe, & ſchiſma ab ipſo meditatum habuit. Cerularius dejectus.

BULG. Utinam, ut ais, evenerit: ſed quod mirere, plurimi ex illo tempore libelli, cavillationesque adverſus ſedem Apoſtolicam in publicum, velut ex orci faucibus, emerſerunt.

SERBL. At num idcirco abrupta eſt Eccleſiarum concordia, communioque?

BULG. Imperatorum complurium, etiam poſt hæc tempora exſtant plenæ officiorum erga ſedem Apoſtolicam epiſtolæ, & legationes mutuæ. At Patriarcharum Conſtantinopolitanorum nec ſynodicæ, nec communicatoriæ occurrunt, quin, & alterius cujuscunque ordinis raræ ſane, & vix ullæ ſe offerunt. Nec tamen Succeſſores ad officium redeunt

SERBL. De Græcis non miror magnopere: quanquam & hos poſt ſæculi unius excurſum Baſilius Theſſalonicenſis Archi-Epiſcopus

(A) In Conc. Colleti T. XI.

ſcopus in reſponſoria ad Hadrianum IV. (A) a labe omni, notaque ſive ſchiſmatis, ſeu hæreſeos expurgare nitatur dicens: *Eadem tecum prædicamus, & docemus ego, iique omnes, qui ad magnam Apoſtoliamque Sedem Conſtantinopolitanam pertinemus. ET UNUS, QUI IN UTRISQUE ECCLESIIS PERSONAT SERMO FIDEI, IDEMQUE SACRIFICATUR AGNUS, QUI TOLLIT PECCATA MUNDI CHRISTUS, inter occidentales antiſtites, qui ſub tuum principale culmen agunt, & nos, qui ab oriente ſole ſublimi Conſtantinopolitana ſede ſacerdotii accepimus ſplendorem: quamvis parva quædam offendicula in medio interjecta nos ſeparârint, & ex uno, eodemque Spiritu multos fecerint. Quæ omnia tollere de medio - - unitatemque Eccleſiarum ſine offendiculo conſtituere tuæ Sanctitatis erit* &c. At Bulgariæ Archi-Epiſcopos in eandem cum Conſtantinopolitanis commigraſſe ſententiam; Cerulario Leonem Achridanum cohæſiſſe, hoc eſt, quod nunquam ſatis animo concipio.

Quos tamen a nota Schiſmatis, ac hæreſeos excuſat Baſilius Theſſalonicenſis anno 1155.

III. Bulgaria placitis Græcorum infecta.

BULG. Et hoc mirari deſine: nam, ex quo fere Bulgariæ imperium ad Græcos transiit, Auguſti, ſummo gentis Bulgaricæ infortunio, principi Bulgariæ throno libero, & autocephalo, *Achridæ* inquam, non alios dabant antiſtites, quam patria ortu, & natalibus Græcos, corruptæ Conſtantinopolitanæ diſciplinæ, doctrinæque, ac præjudiciis a teneris unguiculis innutritos: quorum primus idem *Leo* fuit (B). Quare, & in Archi-Epiſcopis Bulgariæ plures deinceps Romana Eccleſia oppugnatores nacta eſt.

Theophylactus Bulgariæ Autocephaliam contra Conſtantinopolitanum tuetur.

SERBL. An tu in horum numero etiam Theophylactum doctiſſimum illum, & facile cum antiquis patribus comparandum Bulgarorum Archi-Epiſcopum reponis? floruit is ad annum 1073., ac diu poſt. Memini hunc autocephaliam Eccleſiæ ſuæ adverſus Conſtantinopolitanos Patriarchas jus Stauropegii ſibi vendicantes, egregie, inflictis etiam cenſuris, tuitum eſſe. Narrat ipſe rem omnem Michaeli Chalcedonis Epiſcopo (C): *Citaba*, inquit, *ad noſtrum Archi-Epiſcopatum pertinens eſt: quo loco, cum monachus templum, & ſacrarium erigeret, a nobis impeditus eſt: qui Patriarchico jure crucem in illo affigens, dixit, ſe ita opus inchoaſſe: ille autem a nobis nihilominus excommunicationis vinculis eſt illigatus. Quæ enim inter Bulgaros participatio, & communio cum Conſtantinopolitano Patriarcha? qui nullum jus ordinationis in ea habet, ſui juris Archi-Epiſcopo ſubjecta, & nullam ſuper ea authoritatem aliam quamcunque acceperit.*

BULG.

(A) Incipit: *Legimus*, data eſt anno 1155. (B) Author Indicis Archi-Epiſcoporum Bulgariæ. (C) Epiſt. 27. Theophilacti.

BULG. Quem laudaſti Theophylactum, Matthæum Genadium, Demetrium Chomatenum, aliosque Bulgariæ antiſtites, ut vellem, ab ea claſſe non omnino eximo: quanquam mitiores ſemper in ſedem Romanam, latinosque fuerint Bulgariæ Archi-Epiſcopi, & ejusdem fere cum Baſilio Theſſalonicenſi ſupra laudato mentis animique exſtiterint. Illi enim, contemtis fere cæteris quærelarum Cerularii capitibus, in ſolo potiſſimum *Proceſſionis Spiritus ſancti* articulo, & vocis *Filioque* ad Symbolum additione adhæſere: quin tamen vel propterea ſciſſionem Eccleſiarum calculo ſuo probarent, ratamve haberent unquam. Adi, ſi lubet, Theophylacti epiſtolam ad Nicolaum Diaconum, & Canſtriſium: rogabat Diaconus, ut Latinorum circa res Eccleſiaſticas errores *MULTOS SANE*, ut Diacono videbatur, *GRAVESQUE*, breviter, quam poſſet, refelleret. Cui Theophylactus in hæc verba reſcripſit: *Quoniam inquiebat, ET MULTI SUNT, ET AD SCINDENDAS ECCLESIAS HAUD MODICAM VIM HABENT. Nos tamen, etſi multos, immo fere omnes ita ſentire novimus; haud quaquam ita ſentimus: neque multos eorum eſſe errores cognoſcimus, neque tales, qui ad diſcindendas Eccleſias ſint idonei, quandoquidem nullum eſt, quod ad ipſum fidei caput pertineat.* Et commemoratis, quos Diaconus incuſabat erroribus, ſubdit, & judicium ſuum depromit: *Ego vero & horum, qui dicuntur errores; alios nullius emendationis, alios vero mediocris indigere puto: quam, ſi quis perficiat, aliquod quidem, ſed modicum Eccleſiæ beneficium impendat: ſi vero id obtinere non poſſit, non ſit hoc inter Eccleſiæ damna computandum.* Ac poſtquam late diſſeruiſſet *de oblatione in azymis*, & *Sabbati jejunio*: neutrum probat; ritumque *conſecrandi in fermentato* præfert; ſic tamen ad extremum admonet: *reliquum eſt, ut admoneamus vulgares noſtros homines, quot quot zelum quidem habent, ſed non ſecundum ſcientiam, quive, quod gravius eſt, ex cæco ſui amore Chriſti corpus dilacerant. - - Non igitur, neque propter azyma, neque propter jejunium durius nos habebimus erga inflexibilem gentis pertinaciam.* At acrius inſectatur *additionem ad Symbolum*, & correctione dignam pronunciat: *Maximus igitur ille error, quique juxta Salomonis dictum in inferni laqueum incurrere facit, eſt innovatio, quam in Symbolum fidei induxerunt, ENUNCIANTES SPIRITUM SANCTUM EX PATRE, ET FILIO PROCEDERE. - - Hoc, qui non dignum correctione conceſſerit, venia indignus.* Cætera, aut maligne conficta tradit, aut excuſat, aut deridet, aut in bonam partem vertit, additque: *Non omnem conſvetudinem ad Eccleſias ſcindendas valere, ſed id tantum, quod dogmatis diverſitatem infert.* Ad extremum oratione ad populares converſa, latiore omnes ſermone hortatur, ut odia ponant, duritiem temperent, unitatem diligant catholicæ Eccleſiæ, non eam ſcindant, aut lacerent ob innoxias diſcrepantes conſvetudines, vel etiam errores, ſi qui eſſent, quos condonari ſit ſatius. Par mens & Petri Antiocheni fuit in reſponſoria ad *Michaelem Cerularium* (A). Nec aliud ſenſit *Demetrius Chomatenus*:

Senſus Bulgariæ Archi-Epiſcoporum de objectis Latinæ Eccleſiæ per Cerularium.

Sciſſionem Eccleſiarum improbant.

(A) Incipit: *Quæcunque humani generis hoſtis.*

matenus Achridæ Archi-Epiſcopus, qui paulo ante, & poſt captam a Latinis Conſtantinopolim floruit. Is a Conſtantino Cabaſila, Dyrrachy Archi-Epiſcopo conſultus: *an Latina dogmata deteſtanda forent?* Sane, ac ſapienter reſpondit: *nefas eſſe deteſtari ſententias, quas adeo nemo damnavit, ut de illis ſynodice nusquam ſit cognitum.* Admonet præterea, nec morum defectus, ſi qui eſſent, tam anxie obſervandos: *quandoquidem mores non eam vim habent divellendi, quam dogmata perverſa.* Unde concludit: *Neque conſecrata a Latinis azyma, neque hæc ſuſcipientia, & ſacrificio ſervientia eorum vaſa, & conſequenter neque ſacras eorum ſtolas, neque hujusmodi quidpiam immundum, pollutumve exiſtimabimus.* Eo enim furoris quidam Cerularii aſſeclæ jam proceſſerant, ut ſacras Latinorum menſas, velut immundas abluerent, quin & a ſacris omnibus arcendos crederent: de quo conſulenti Cabaſilæ in hæc verba reſpondit: *Sententiæ huic multi præclari viri tunc non ſunt ſuffragati, quod multum duritiei, & acerbitatis haberet, nec conveniens reprehenſionis Latinarum formarum, & morum. Et quod, inquiunt, hæc ſynodaliter decreta non ſunt; neque ipſi, ut hæretici, publice rejecti fuerint, ſed & ſimul nobiſcum cibum ſumant, & precentur.* Epiſtolæ Demetrii juri Græco Romano inſertæ (A), receptæque ſunt. Ex quibus jam conſequitur, Bulgariæ Archi-Epiſcopos in ſciſſionem Eccleſiarum haud conſenſiſſe poſt commotam etiam a Cerulario, & Leone Achridano litem, quin, & magnopere improbaſſe; etſi communi cum Græcis opinione circa *Proceſſionem Spiritus ſancti* tenerentur: quam, velut nulla adhuc Synodo apud ipſos definitam, Theophylactus locis pluribus oppugnavit (B) liberius, & majore præfidentia, quam authoritatum, vel argumentorum pondere.

Nec hæreticis Latinos accenſent.

In dogmate Proceſſionis cum Græcis hallucinantur.

Bulgaria, & Serblia Bulgarica opinionibus Græcorum imbuta.

SERBL. Sed cum talibus Archi-Epiſcopis gens Bulgarorum committeretur, quid aliud erat conſequens, quam ut univerſa quoque Bulgaria, & Serviæ pars illa, quæ Bulgarico Patriarchæ parebat, in Græcorum Sententias, ac dogmata ſenſim immigraret. Sed & Serbliæ pars altera, ut vicina Bulgariæ fuit, doctrinis iisdem afflata, communi illo torrente abrepta fuerit.

Ab his Serblia, qua proprios principes habuit, immunis.

BULG. Serblia, quæ everſo penitus anno MXIX. Bulgariæ imperio, mox, & ipſa in Conſtantinopolitanorum auguſtorum poteſtatem conceſſit, cum neque gentis Archi-Epiſcopos ab auguſtis acceperit, & paucis ſub Græcorum jugo peractis annis, in avitam ſe libertatem aſſeruerit, bellaque acerrima continenter in Græcos geſſerit, tantam a Cerularii, & Leonis Achridani feceſſione, ac erroribus labem pati non potuit. Quare, & poſt Cerularium Serblianæ gentis principes

(A) T. 1. L. 5. Juris Græco-Romani. (B) Ad c. 3. & 15. Joannis Epiſt. ad Diaconum Canſtriſium. Et in

principes in obſequio filiali Romanæ ſedis, more majorum, & puros a Græcorum præjudiciis permanſiſſe pro certo habeo.

IV. Poſt interregnum I. Rex Serbliæ Dobroslavus Catholicus, obiit 1051.

SERBL. *Dobroslavum* Dragimiri filium, Græcis *Stephanum Boislavum* (A) dictum, qui primus poſt breve interregnum ſub annum 1037 aut ſequentem Serbliam Græcorum dominatu exemit; ſicut vitam ad Cerularii motus non perduxit, obiit enim jam anno 1051: ita in obedientia Romanæ ſedis, ac fide integra perſtitiſſe facile dabo, quemadmodum & ejus conjugem, Samuelis olim, Bulgariæ Imperatoris neptem, quæ a conjugis deceſſu, regno æque, ac filiis ſupremo imperio præfuit. At *Michael*, Boislavi filius, cujus imperium in turbas a Cerulario commotas incidit, fors labis aliquid ex ſchiſmate vicino, & placitis Græcorum contraxerit?

Michael rex ab an. 1052.

BULG. Michael Rex paternum regnum adiit anno 1052: injuriam principi irrogas, cum nemine præeunte, nullaque cauſa fidem ejus in ſuſpicionem vocas.

SERBL. Ita ſuſpicandi non mihi cauſæ deſunt. Nam regni ejus principia in Cerularii ac Leonis motus incidunt: iſte cum Conſtantino Monomacho fœdus iniit, albo amicorum imperii adſcriptus, Protospatharii etiam honore auctus eſt: atque, ſi hæc ſatis non ſint, ut a ſede Romana diviſum fuiſſe credas, addo, & illud, quod Diocleate teſte, extincta prima conjuge, cognatam Imperatoris ſecundo connubio ſibi copulavit.

BULG. Conſtantinus Monomachus, cum quo Michael fœdus icit, a quo amicus, & imperii Protospatharius declaratus eſt, conjunctus ad extremum uſque cum Sede Romana manſit, nec ſuffragio ſuo Cerularii cavillationes probavit, eo fors uno reus, quod malum in herba non oppreſſit. Quæ igitur hinc ſuſpicandi cauſa? Sed quiscunque Monomachus fuerit, quæ adverſus Michaelem attuleras, ejus generis non ſunt, ut mutati erga ſedem Romanam aviti obſequii juſtam ſuſpicionem debeant injicere. Aſpice utrumque Serblorum latus, hinc Hungariæ, inde Chrobatiæ principes, occurrent ubique Græcorum affinitatibus illigati, ac variis honorum, dignitatumque titulis ornati, quin idcirco cuiquam in mentem veniat eorum ab obſequio ſedis Apoſtolicæ defectio.

SERBL. Nimirum ritus ipſe Latinus, quem Hungari, Chrobatique ſequuntur, facile utrosque ab invidia defectionis defendit abſolvit-

(A) Scylizes Zonaras.

ſolvitque. At Michael, Serblorum princeps, Græcum ritum a majoribus acceptum colebat, obſervabatque; hoc illi fraudi eſſe potuit.

II. Michael. rex, & perinde Catholicus

BULG. Si tibi negem Michaelem, majoresque ejus Græcanicum ritum profeſſos fuiſſe, neſcio unde me convinces. Ex Græca poſtremorum regum diſciplina, rituque, argumentum ad priores ineficax eſt. Iſti enim, ut alia domo, ſtirpeque prognati erant, ita diverſo quoque ritu eſſe potuerunt. Sed quoniam hoc nunc non ago, ſit ita plane, ut ajebas, fuerit Michael ritus Græcanici Princeps. Hoc vero eſt, quod multos, ac ſæpe fefellit, atque ad iniqua adverſus Serblos judicia pertraxit, & olim, & hodiedum involuit, vexatque. Hoc præjudicio ſæpe rei Schismatis accuſati, ſæpe, & damnati ſunt: quaſi vero nihil inter ritum Græcanicum, & Schisma diſſideat. Græcorum ritus cum ſanctus, piusque ſit, nec fidem ſinceram, nec conjunctionem cum ſede Apoſtolica ulla parte perturbat. Audeo dicere Serblianos, ſi non omnes, maxima tamen parte, etiam qui more operabantur Græco, regnante *Michaele* ſedi Romanæ fide, & obedientia conjunctos fuiſſe.

Serblia quoque ſumma parte Catholica.

SERBL. Si id tu ad clarum perducas, rem ſane momenti maximi præſtitiſti. Ita namque apud nos perſvaſum eſt omnibus; ſi non jam dudum antea, a Cerularii certe temporibus Eccleſiam Serblorum a Latina conſtanter diviſam exſtitiſſe, & Græcorum dogmatis *de Proceſſione Sancti Spiritus* adhæſiſſe.

BULG. Errorem, quem detexiſti, eximet tibi Alexandri II. Papæ Breve (A) ad *Petrum* Dioclienſem, & Antibarenſem Serblianæ gentis Archi-Epiſcopum. Confirmat eo Alexander *Dioclienſem* metropolim, ſubjectasque eidem Epiſcopales Eccleſias: quas cum monaſteriis univerſis *Latinorum*, *Græcorum*, *ac Sclavorum*, nulla exceptione, aut ritus diſcrimine, curæ ejusdem paſtorali credit, ſubmittitque: vis cauſam? *CUM HI OMNES*, inquit, *UNA SINT ECCLESIA.* Quod ſi vero omnes hi *una* tunc erant *Eccleſia*; nulla igitur per id tempus apud Serblos ſciſſio, nullum Schisma, nulla doctrinæ, fideique corruptela; viguitque perfectus membrorum cum capite conſenſus: qui, quam late ſe, porrexerit, ex ſubjectis Epiſcoporum ſedibus concludes optime.

SERBL. Alexander II., qui inter annos MLXI, & VI ſedit, in *Michaelis* regis noſtri imperium incurrit. Cum enim Michael Serblorum regimen inierit anno MLII. perduxit illud ad MLXXXII. Age igitur, & privilegii totius

(A) Epiſt. IV.

us contextum deſcribe : lux inde fors rebus noſtris uberior affulgebit.

BULG. Breve, quod optabas ad annum MLXII. exaratum ſic habet : *Alexander ſervus Servorum Dei : Petro venerabili Archi-Epiſcopo Dioclienſis, atque Antibarenſis Eccleſiæ ſalutem perpetuam in Chriſto.* Incipit : *Si paſtores ovium - - -* & poſt plura : *Igitur dilectiſſime frater petitionibus tuis juſtis annuentes Apoſtolica authoritate decernimus, ut per hujus privilegii noſtri paginam, ſic ſanctiſſimam DIOCLIENSEM ECCLESIAM cum omnibus ſuis pertinentiis : ANTIBARENSEM Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis : ECCATARENSEM Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis : PALECHENSEM cum omnibus ſuis pertinentiis, SUACENSEM Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis : SCODRENSEM Eccleſiam omnibus ſuis pertinentiis POLATINENSEM Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis : SERBIENSEM Eccleſiam cum omnibus, ſuis pertinentiis* (A) : *BOSONIENSEM Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis* (B) : *TRIBUNIENSEM Eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis : Monaſteria quoque, tam LATINORUM, quam GRÆCORUM, ſive SCLAVORUM cures, ut ſcias, & HÆC OMNIA UNAM ECCLESIAM ESSE, Teque omnibus prædictis locis Epiſcopali regimine præeſſe.* Poſt quam Eccleſiarum recenſionem, tandem Palii, crucisque honorem largitur, pulcherrimisque doctrinis informat. *Pallium autem*, inquit, *Fraternitati tuæ ex more ad Miſſarum ſolemnia celebranda, ſicut anteceſſoribus tuis conceſſum eſt, concedimus &c.* Tum inter cætera Pallii feſta, hæc ſpecialia numerat, ſcilicet : *natalem SANCTI GEORGII*, ac *Sanctorum SERGII*, ac *BACHI &c. Hortamur itaque charitatem tuam, ut mores vitæ tuæ tanto bonori conveniant, quatenus auctore Deo, exemplis, verbisque poſſis eſſe conſpicuus. Vita igitur tua filiis tuis ſit regula, &, ſi quæ fortitudo in illis deprehenditur, in ea dirigatur. Cor ergo tuum neque proſpera, quæ corporaliter hic blandiuntur extollant ; neque adverſa dejciant ; ſed quidquid illud fuerit, virtutis puritate devincat : nullumque apud Te locum ira, odium nullum, nullum furor indiſcretus inveniat. Sacræ Benedictionis tuæ, juſtique judicii opus, nulla venalitatis interventio conculcet. Sit in te boni paſtoris dulcedo, ſit & judicis Severa diſtrictio : unum ſcilicet, quod innocenter viventes foveat, aliud, quod inquietos in pravitate compeſcat. Miſericordem te, prout virtus patietur, pauperibus exhibe : oppreſſis defenſio tua ſubveniat, opprimentibus modeſta ratio contradicat. Nullius faciem contra juſtitiam accipias, nullum, quærentem juſta, deſpicias. Cuſtodia in te æqualitatis excellat, ut nec dives potentia ſua aliquid apud vos, extra viam ſvadeat*

Breve Alexandri II. pro Antibarienſi Archi-Epiſcopatu.

Ejus ſuffraganei. Catholici omnes, cum Serbienſi, & Boſnenſi Græcis.

Sclavorum Græcorum Latinorum una Eccleſia.

Feſta Pallii S. Georgius SS. Sergius, & Bachus.

(A) *Serbienſis* late per omnem montanam *Serbiam* patuiſſe videtur; ſicut Boſonienſis per Boſnam. (B) Uterque Græci ritus fuit : iſte teſte Luccario Lib. 2. annalium Ragus. ille ex Joanne Torneo Marnavitio in vita Sanct. Sabæ.

rationis audere, nec pauperem ſua de ſe faciat humilitas deſperare: quatenus Deo miſerante talis poſſis exiſtere, qualem ſacra lectio præcipit dicens: OPORTET EPISCOPUM IRREPREHENSIBILEM ESSE. Sed his omnibus uti ſalubriter poteris, ſi charitatem magiſtram habueris: quam, qui ſequutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce Frater chariſſime, inter multa alia, iſta ſunt Pallii ornamenta. Quod, ſi ſtudioſe obſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Crux etiam ante te, ſicut ante prædeceſſores tuos PER DALMATIAM, & SCLAVONIAM (A) *ubique geratur. ARCHI-EPISCOPATUM QUOQUE ECCLEISIÆ TUÆ, juxta formam Prædeceſſorum noſtrorum, A QUORUM AUTHORITATE NON DEBEBAS ABERRARE, concedimus, & confirmamus. Sancta Trinitas gratia ſuæ protectionis Fraternitatem tuam circumdet, atque in timoris ſui viam dirigat, ut poſt hujus vitæ amaritudinem, ad æternam poſſis ſimul dulcedinem pervenire.* Brevi huic ſubjectum ſigillum in formam crucis diviſum, cum nomine Alexandri II Papæ, hanc in circuitu epigraphen præfert ✠ *Exaltavit me Deus in virtute brachii ſui.* Dat. Romæ Ind. XII. V. Kal. Aprilis (B).

SERBL. Dignum ſane, quod ad poſterorum memoriam transmittatur Breve Apoſtolicum, tum ob præclara, quæ continet monita, tum, quod *Serbliam* prorſus omnem *maritimam*, *montanamque*, ac utriusque ritus Eccleſias, cænobiaque complectatur, cunctaque hæc teſtatur *unam eſſe Eccleſiam*, & ſacro, ſummoque Romani Patriarchæ gubernio ſubfuiſſe differte oſtendat. Verbo: eundem fere Serbliæ Eccleſiaſticæ ſtatum ad ſæculi XI tempora exhibeat, qualis ſæculo VII. Budimiri regis pietate fuit informatus (C). Nam cum *Servienſis*, & Boſonienſis Epiſcopatus in *montana Serbia* exſtiterint, cæteri fere ad maritimam ſpectabant. At, tres Epiſcopatus, *Zachlumitanus*, *Buduenſis*, & *Dulcinenſis*, quos Delmitanum concilium metropoli Dioclienſi olim ſubmiſit, adverto abeſſe ab iſto Alexandri privilegio: an ergo illi hoſtili aliqua impreſſione deleti, aut ſub jura cujuſquam alterius commigrarunt?

Status Serviæ Eccleſiaſticæ ad ſæculum XI idem fere qui ſæculo VII.

Res variæ Dioclet-næ Eccleſiæ.

BULG. Pro his tribus novus *Palechenſis* Epiſcopatus, in jus Dioclienſis ſucceſſit. *Budua*, *Dulcinium*, *Zachlumium* in ditionem Raguſæi Metropolitæ, Michaelis regis favore, & ceſſione Antibarenſis antiſtitis, transiiſſe videntur.

SERBL. Quæ tu jura, quam ditionem Raguſæi antiſtitis, & unde Metropolitam dicis? Raguſæus ſub annum 925. in Spalatina Syno-

(A) *Dalmtiæ*, & *Sclavoniæ* nomine, *univerſam Serviam* complectitur maritimam, & montanam. (B) Eſt annus MLXII. Conc. Colleti. (C) nempe in concilio Delmitano: de quo egi Colloquio I ad finem.

Synodo, non niſi in Epiſcoporum ordine conſedit: ibi lis, quæ finium cauſa illi cum Catarenſi vertebatur, decreto Synodali compoſita eſt ſic, ut quocunque eorum decedente, Eccleſia vacua ad ſuperſtitem rediret, atque ita, *Catarum*, cum *Raguſa* in unam diœceſim coaleſceret, Nullum ibi adhuc veſtigium Archi-Epiſcopalis dignitatis in Raguſæo antiſtite.

V. Everſa Dioclia a. 926. Joannes metropolita Raguſam transit, & Dioclienſis metropolitæ titulum retinet.

BULG. At, everſa anno 926. per Simeonem Bulgariæ Imperatorem Dioclia, Joannes Diocliæ Metropolita Raguſium commigravit, extinctoque ſubinde priore loci Epiſcopo, vacantem hanc ſedem iniit, atque ex ea retento Dioclienſis Metropolitæ nomine, & honore, univerſam Diocletanam diœceſim, ſimul cum Raguſæa, quoad vixit, moderatus eſt. Id, cum in exemplum traxiſſent ſucceſſores, nullusque obſiſteret, Raguſæi antiſtites, nihil de novi Metropolitici tituli acceſſione ſoliciti, in cepto ſemel more uſurpandi Archi-Epiſcopalis nominis perſtiterunt.

Ejus ſucceſſores a ſuffraganeis non agnoſcuntur pro Dioclienſi Archi-Epiſcopo.

SERBL. An vero Raguſæos Joannis ſucceſſores, ſuffraganei veteres Diocliæ pro Metropolita ſuo agnoverunt, aut uſurpationem eorum ratam habuerunt unquam, aut officio, qualicumque, ſuam illis ſubjectionem teſtati ſunt?

BULG. Etſi hoc Raguſæi antiſtites magnopere contenderent, nullis tamen exemplis, factisve ſuffraganeorum Dioclienſium ſubjectio demonſtrata eſt hactenus: quin contra potius moderationi *Spalatini Archi-Epiſcopi*, ad cujus Metropolim, & Raguſæus ſpectabat, ſe ultro, ac voluntaria deditione ſubmiſerunt.

SERBL. Legiſſe me memini (A) Dabralem Metropolitam Spalatinum ſub annum MXXXIV. veteres quoque Diocliæ ſuffraganeos in concilium evocaſſe: quorum quatuor *Catarenſis*, *Antibarenſis*, *Dulcinenſis*, & *Suacinenſis*, dum iter compendii cauſa mari ſuſcipiunt, triſti naufragio omnes una interiiſſe.

BULG. Recte habes: ſed hæc tanta clades, id demum, quod dudum antea fieri oportuerat, acceleravit, ut denique communibus ſtudiis, ac precibus apud ſedem Apoſtolicam Serbliani inſiſterent pro Dioclienſis Metropolis inſtauratione, quanquam urbs ea adhuc in buſtis, ruinisque jaceret.

Metropolis Dioclienſis vacat.

SERBL. Inde ergo ab anno 926., quo Dioclia eſt exciſa, & a fatis Joannis ultimi præſulis, nullum Serblia Metropolitam domeſticum

(A) Illyrici ſacri T. 3.

meſticum numeravit. Quid vero in mora erat? cur ſpatio, plus quam Sæculi vacua permiſſa eſt metropolitica in Serblia ſedes? ſi recte aſſequor, in cauſa fuere bella Bulgarica, quibus ſub *Simeone*, *Samuele*, & *Joanne Bladislavo* Bulgarorum imperatoribus Serblia miſerrime diſcerpta eſt, avulſique procul dubio, nimia Bulgarorum potentia Epiſcopatus juris Diocletani complures cum ipſa Dioclia, & ad normam veteris privilegii Juſtinianæ primæ, quod Bulgaris cum primis cordi fuit, ſub poteſtatem *Achridani* reducti.

A Bulgaris Achridano Archi-Epiſcopo ſubjecta Dioclia ante interregnum.

BULG. A bellis Bulgaricis, tam diuturnæ vacationis cauſam, & ipſe repeto, quodque *Achridani præſules* freti Imperatorum ſuorum potentia, obſoleta in Diocliam, omnemque, Prævalim, cæterasque provincias Juſtinianæa Jura *Vicariorum Apoſtolicorum* renovata vellent. Serviæ autem principes ex adverſo, his Bulgarorum conatibus haud aquieſcerent, ſynodique Delmitanæ decretis ſtarent, ſeque tuerentur, dum vires ſuppetebant. At, collapſo Bulgarorum imperio, eorumque potentia extincta, regno vero Serbliæ per Dobroslavum velut e ruderibus excitato, refloreſcenteque, cogitatio illa ſalutaris de inſtauranda Diocletana metropoli, & antiquo ſplendori reſtituenda, ab univerſa Serblorum gente ſuſcepta eſt. Cui denique apud ſedem Apoſtolicam promovendæ, urgendæque occaſionem præbuit naufragium, quo quatuor laudati Epiſcopi, dum Spalatum contendunt, fluctibus maris hauſti ſunt.

Per Dobroslaum Inſtaurato Serviæ regno, Dioclia a Benedicto IX. Antibari conjungitur.

SERBL. Naufragium igitur Epiſcoporum quatuor, ſaluti univerſæ Serbliæ fuit: nam, ut Thomas Archidiaconus narrat, viduatæ Epiſcopis civitates, ſupplices ad Papam preces detulere, expoſitoque inter lamenta ferali caſu, pro Diocletana Serbliæ metropoli, aut Antibarim inferenda, aut potius eidem copulanda, humiliter inſtitere.

BULG. Benedictus IX. qui tunc in Cathedra Petri ſedebat (A), juſtæ afflictorum ſupplicum petitioni, quam uſus antiquus commendabat, promte, lubensque annuit. Decretum unionis temporum injuria interiit, aut, ut multa alia, in tenebris deliteſcit.

SERBL. An vero ſolis civitatum lamentis Roma detulit, aut inſuper Serbliæ principis ſuffragium, conſenſumque expetiit?

Dobroslavi regis aſſenſu.

BULG. Cum Servia inde ab exceſſu Romani II. hoc eſt ab anno MXXXIV. jugum imperii excutere ceperit (B), & ſub annum XXXVIII. Dobroslavi auſpiciis ſe plene libertati avitæ reſtituerit,

(A) Sedit Benedictus inter annos 1033, & 44. (B) Scylizes Cedrenus.

tuerit, eſt veriſimillimum, nec civitates absque regis interventu expetiviſſe, nec Pontificem inexplorata voluntate regia, decreto novo Diocletanam metropolim ſuis adhuc ruinis, buſtisque involutam cum Antibari conjunxiſſe. Nam, præterquam quod rectus ordo principem præteriri non ſinit, imperat quoque canon VIII. ſynodi Chartaginenſis II. ne id citra annutum ejus fiat, in cujus poteſtate diœceſis exiſtit: quod & mos perpetuus ſedis Romanæ confirmat, quæ in cauſis hujusmodi principum ſuffragium nunquam præteriit.

SERBL. Quid vero, ſeu Principem, ſeu ſummum Pontificem impulit, ut Antibari potius, quam Raguſæ Diocletanam metropolim unirent? Raguſæ ſuffragari debuit *Joannis Diocletani* quondam metropolitæ in eam urbem tranſitio, & diuturna ſatis tituli, ejusdem per Raguſæos uſurpatio.

BULG. Ut Antibari potius copularetur Dioclia, argumenta militabant plurima: nam, nec longe a ruderibus Diocletanis diſtabat, & erat inter Serblorum urbes conſpicua, ac facile princeps, atque, quemadmodum ſuffraganei omnes, ſic & Antibaris ſub abſoluta Regum Serbliæ authoritate, poteſtateque agebat, cum Raguſa, licet protectioni regum obnoxia, libera tamen, & ſui magis, quam regii juris urbs eſſet.

SERBL. Eſtne autem, unde probabili ſaltem conjectura aſſequamur, qui demum ſuffraganeni Benedicti IX. decreto Antibarenſi ſint ſubjuncti.

BULG. Primævam Diocletanæ Metropoleos inſtitutionem præluxiſſe, ac formam ejus ſecutum fuiſſe Benedictum, ipſum nomen, ac titulus *Unionis* perſvadet: expoſcebat id etiam æquitas, & rectus ordo: quare præter eas, quas poſt paucos a Benedicto annos, Alexander II. in ſuo privilegio recenſuit Eccleſias; *Zachlumitanum* quoque Epiſcepatum cum *Buduenſi*, & *Dulcinenſi* ad exemplum Synodi Delmitanæ Antibarenſi contributum fuiſſe exiſtimo. Et ad formam primæ inſtitutionis,

SERBL. Unde igitur factum, ut poſt annos non ita multos Alexander II. tres poſtremos, quos nunc nominaſti Epiſcopatus, in confirmatorio ſuo privilegio præterierit?

BULG. Favore Michaelis regis id factum opinor, ut memoratæ tres ſedes Raguſæo antiſtiti, nec invito Antibarenſi, relinquerentur. Ad ſic cogitandum moveor ex ipſo Alexandri privilegio. Si enim poſt emanatum a Benedicto IX. *unionis decretum*, nihil in ſuffraganeorum Epiſcoporum numero immutatum eſt, ut, quid poſt paucorum annorum lapſum nova Alexandri confirmatio quæſita fuit? cur Alexander tres, quas dixi, ſedes prætermiſit, cæteras ſingillatim,

Antibarensis reprehensio ob Ecclesias dimissas Ragusæo

& tanta exactione percensuit? quorsum denique tendunt, & quem sensum faciunt verba illa: *Archi - Episcopatum quoque Ecclesiæ tuæ juxta formam Prædecessorum, A QUORUM AUTHORITATE NON DEBEBAS ABERRARE, concedimus, & confirmamus.* Rrprehenditur iis, nisi fallor *Petrus*, quod cessione trium Episcopatuum, jura sui Archi - Episcopatus diminui, & in angustius contrahi sustinuerit, atque hoc pacto ab authoritate antecessorum Romanorum Pontificum deflexerit, ac aberraverit.

SERBL. Cum nihil sit difficilius, quam longa possessione quamquam illegali honoris titulisque dejici: acerbe sane eam unionem Antibaris cum Dioclia, tulisse Ragusæos par est credere. Nec Benedicti IX. decreto, a more semel arrepto, usuque Archi - Episcopalis nominis sæculi spatio confirmato, decessisse, satis apparet.

BULG. Usum Ragusæorum antistitum confirmavit favor regum Serbliæ, ipsaque Antibarensis Archi - Episcopi a jure quæsito ad tres toties memoratas Episcopales sedes cessio: quin, & ipso Alexandri privilegio Antibarensi dato, a quo tres illi Episcopatus aberant, usum suum in iisdem moderandis robur accepisse, non ex vano crediderunt Ragusæi.

VI. Lis Ragusæo mota per Spalatensem Archi - Episcopum apud Gregoriam VII.

SERBL. At ab adverso, ex reprehensione Alexandri, decreto comprehensa, & Spalatinus Archi - Episcopus ad vetera sua jura in Ragusæum suffraganeum prosequenda, & Petrus Antibarensis ad recuperandas, quas illegitime cesserat Ecclesias, animum adjecere. Quare studiis communibus apud Gregorium VII. (A) supplices institere: ut Pallii honorem recens electo Ragusæo antistiti, tanquam jure nullo antehac usurpatum, denegaret; unaque contenderunt, ut Raugsæus Spalatino quidem more veteri suffraganeus subderetur, tres vero ab antecessoribus occupati Episcopatus, Antibarensi, cujus jure optimo erant, restituerentur.

Michael rex Serblorum patrocinatur Ragusæo apud Papam, & una vexilio insigniri petit.

BULG. Lis hæc Romæ ab Archi - Episcopis mota, imposuit denique necessitatem Ragusæo implorandi patrocinium *Michaelis Serblorum regis*, ejusque interventu, ac favore quærendi a sede Apostolica Archi - Episcopale Pallium. Rex, ut magno erat animo, & in urbem Ragusæam propenso patrocinium, quod tam enixe expetebatur, in se suscepit, causamque Ragusæi metropolitæ pro virili egit. Igitur in datis ad Papam literis, post commendationem Ragusæi, Pallii causa; suum & ipse desiderium impetrandi *vexillum Divi Petri*, quod oblata occasione in Christi hostes inferret, pie detexit. Sed regiæ

(A) Anno MLXXVII.

giæ literæ, quæ rebus plus lucis adferrent, in poteſtate mea non ſunt. Eam tamen fuiſſe Michaalis regis petitionem, ex reſponſoria Gregorii VII. elucebit.

SERBL. Quam dolet mihi regias literas nondum tibi obveniſſe: offeret fortaſſe ſors melior impoſterum, & utilitas, quæ in publicum naſci poteſt, diligentiam curatorum Vaticanæ Bibliothecæ, ad has, ſimilesque eruendas exacuet. Illis acceptis, quid demum egit Pontifex.

BULG. Cauſa Raguſæi, quam acriter oppugnabat Spalatenſis, adeo implexa, involutaque viſa eſt Pontifici, ut non continuo regiæ commendationi, quamquam bonis rationibus ſuffultæ deferri poſſet. Quare, quo de re tota certius cognoſceret Petrum Cardinalem legatum in Serbliam proficiſci juſſit. Sed cum non ſatis lucis ex ejus quoque relatione affulſiſſet, nec in paucis a regiis literis diſſideret, Pontifex in hæc verba ad regem reſcripſit (A), *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Michaeli, Sclavorum regi* (B) *ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cognoſcat debita tuæ devotionis erga ſedem Apoſtolicam reverentia: Petrum apud vos dictum noſtrum legatum, adhuc ad noſtram non adveniſſe præſentiam, ſuas tamen miſiſſe literas, quæ ita veſtris diſſonantes exiſtunt, quod veſtram cauſam, ſive Raguſanæ Eccleſiæ, penitus finire nequivimus. Quapropter Petrum Antibarenſem Epiſcopum, atque Raguſinum, ſive alios idoneos nuncios ad nos mittere oportet, per quos de lite, quæ inter Spalatinum Archi-Epiſcopum eſt, ac Raguſinum, juſtitia poſſit inquiri, & canonice definiri, tuique regni honor a nobis cognoſci: tum vero re cognita tuæ petitioni juſte ſatisfacere, ſecundum quod cupimus, valebimus, AC IN DONO VEXILLI, ET CONCESSIONE PALLII, quaſi chariſſimum beati Petri filium dictante rectitudine audiemus.* Dat. Romæ V. Idus Januarii Ind. L. quæ reſpondet principio anni MLXXVIII.

Reſponſoria Gregorii VII. ad Michalem Regem

SERBL. Ubi ergo terrarum Petrus legatus Apoſtolicus interim verſatus eſt? fierine potuit, ut literæ ejus a regiis deſſiderent, & in quo demum diſſidium illud vertebatur?

BULG. Petrus ad Michaelem legatus, poſtquam in regno Serbliæ officio defunctus eſt, Chrobatiæ, Eccleſias ex Gregorii decreto inviſendas, peragrandasque ſuſceperat; nondum ergo Romæ adeſſe potuit, literas tamen Raguſino minime faventes, transmiſit. Si quid conjectura aſſequi licet, videtur iis Raguſæum, tanquam in-

(A) Lib. 5. epiſt. 12. (B) *Regem Serbliæ*, familiari Italis more *Sclavorum Regem* adpellat: quod, & poſteris in uſu fuit.

vaſorem Archi-Epiſcopalis nominis, & violentum Epiſcopatuum ad jus Antibarenſis ſpectantium, detentorem traduxiſſe, dupplicisque injuriæ reum peregiſſe; in Spalatinum quidem, quod ſe ejus juri metropolitico ſubduxit; in Antibarenſem vero, quod ditionem ejus invaſit, detinetque. Cum Rex ab oppoſito contenderet, Raguſanum bona fide Archi-Epiſcopali titulo, honoreque uti, ob ſedem a *Joanne Dioclienſi metropolita* Raguſinum olim translatam, ejusque urbis infulis conſociatam: ſed neque vi aliqua, verum favore ſuo, & Petri Antibarenſis ceſſione pacis ſtudio facta, tres Epiſcopatus ab Antibari revulſos moderari. Quare in cauſa ancipiti ſapienter Pontifex utrumque, nominatim tam *Antibarenſem*, quam *Raguſæum* adeſſe voluit, aut certe idoneos, quos Rex deſignaret nuncios: ut re plenius cognita, cauſam ex juſto, & æquo definire, ſuumque Regi honorem teſtari poſſet.

SERBL. Hæc ita prorſus, ut expoſuiſti in Raguſani cauſa acta fuiſſe nullus dubito. Nunc expedi, an Antiſtites ipſi, an alii nuncii Romam adierint? An Raguſæo metropolitica dignitas confirmata, & Pallium impetratum, auditaque hac parte Regis commendatio fuerit.

Lis a Gregorio VII. terminata: Pallio donatus Raguſæus.

BULG. Qui legati, Epiſcopi, an alii Romæ ſe ſtiterint? non eſt, unde affirmem: adveniſſe aliquem eventus docet: nam Raguſæo antiſtiti omnia, quæ in controverſiam vocabantur, hoc eſt: Archi-Epiſcopi nomen, Pallium, & ipſas, quas diximus Epiſcopales Eccleſias pro Regis voto conceſſas fuiſſe, ipſa pax, quæ ſubſequuta eſt, uſusque poſthac nulla contradictione turbatus, abunde evincit. Archivum Raguſææ urbis, niſi & id terræ motus hauſit, fortaſſe & ipſum Gregorii in hanc rem decretum proferre poſſet.

SERBL. De vexillo, quod Rex Michael a ſede Apoſtolica flagitavit, plura ſunt, quæ ex te vellem cognoſcere: qualia nempe, cujusque formæ illa fuerint? quibus viros principes Romani donabant Pontifices. Quis eorum ſcopus, finisque? unde moris hujus trahatur principium? ac, quod præcipuum? obtigeritne Michaeli?

VII. Vexillorum Rom. Eccl. varia forma, & origo.

BULG. Solenne erat Romanis Pontificibus, quos Regio honore provehebant, vexillo, enſe, ſceptro, ac corona donare. His inſignibus biennio abhinc (A) *Demetrius Svinimirus* (B) a Gregorio VII. per legatum Gebizonem in regem *Chrobatiæ*, *Dalmatiæque* inauguratus eſt. Alias viros principes *vexillo ſolo* donabant, ejusque traditione in defenſores Eccleſiæ adlegebant. Poſterior hic mos in *Carolo Martello* ſæculo VIII. initium ſumſit, quem Gregorius III. ad patrocinium, defenſionemque adverſus Luitprandum Longobardorum re-

(A) Hoc eſt: anno MLXXVI. (B) Aliis Zvonimirus.

regem Eccleſiæ infeſtum, in Italiam accivit. Forma hujus generis *vexillorum*, ut crucis ſalvificæ ſignum, aut claves Eccleſiæ, aut vtrumque exprimebat. Sumebantur vero de corpore S. Petri, cujus contactu, ac certis orationum formis conſecrabantur. Finis expetendorum, & mittendorum idem fuit, nempe Eccleſiæ defenſio, cui peculiari fidelitatis, & obſequii vinculo ſe principes pie obſtringebant, atque in mutuam pariter tutelam ab Eccleſia ſuſcipiebantur. Senſit ejus vires *Demetrius Svinimirus* Chrobatorum rex, cum Vezelini militis armatas in ſe, ac Dalmatiam acies, ſola gladii Apoſtolici comminatione a Gregerio VII. momento diſſipatas, periculumque, armis retro converſis, evanuiſſe vidit anno MLXXIX. Exſtat in hanc rem luculenta Gregorii Papæ ad *Vezlinum* epiſtola data Ind. III. anno modo dicto.

SERBL. Exemplo *Demetrii Chrobatorum* regis provocatum opinor, & *Michaelem Serblorum regem* ad vexillum Roma expoſcendum. An autem cætera quoque regum inſignia inde quæſierit? an pari pietatis favore regnum ſuum divo Petro vectigale fecerit, incertus adhæreo.

Demetrii regis Chrobatorum exemplo: Michael R. vexillum expetiit, nec aliud

BULG. Cum ſceptrum, coronamque longo ordine a majoribus in ſe derivaverit ſerie haud interrupta Michael; quæſiſſe illum iſta non arbitror. Certe Gregorius *ſolius vexilli* meminit. Sed nec ducentorum Byzantinorum penſum annale, aut aliud pii tributi genus Demetrii exemplo Michaelem addixiſſe lego. Nempe probe noverat, jam majorum ſuorum pietate id præreptum, occupatumque, ac per omnes fere regni ſui Epiſcopatus, divo Petro Apoſtolorum Principi patrimonia erecta, & cenſus conſtitutos fuiſſe. *In Sclavonia, in Archi-Epiſcopatu Raguſæ, in Epiſcopatu Stagnenſi, Boſnenſi, Tribuienſi, Catarinenſi, Roſæ, Biduanenſi, Antibarenſi, Dulcinenſi, Suacienſi, Drivaſtenſi, Scodrinenſi, Arbanenſi*: ut refert Cencius Camerarius, qui cenſus Romanæ Eccleſiæ ex veterum regeſtis, ac memorialibus anno MCXCII. Cæleſtino Papa III. operoſe in volumen collegit.

SERBL. Ut ut perſvaſum fere habeam, impetraſſe Michaelem vexillum, quod pio animi motu quæſierat, opinor tamen, nullo certo monumento id a te confirmari poſſe.

Quod etiam impetravit.

BULG. Habes in hanc rem monumentum in ipſis Gregorii VII. literis, quo nullum validius. Pollicetur diſerte Pontifex: *Tum vero*, inquit, *re cognita, tuæ petitioni, juſte ſatisfacere ſecundum quod cupimus, valebimus; ac in dono vexilli, & in conceſſione Pallii, quaſi cariſſimum B. Petri filium dictante rectitudine audiemus.* Atqui cauſam, quæ inter Epiſcopos vertebatur, cognovit; Regis commendationi detulit; Raguſinum Archi-Epiſcopali Pallio inſignavit, ornavitque: quid igitur eſt conſequens, niſi, ut regem quoque *ſacro vexillo* donaverit? duo hæc, Pallium, vexillumque nexu quodam colligavit Pontifex, & pronum in

largitionem utriusque animum teſtatus eſt, fidemque obligavit; igitur & exſolvit.

SERBL. Quo anno, per cujus legati manus, quove loco ſolemnia hæc peracta ſint, eſtne unde doceas?

BULG. Annum Gregorii epiſtola exhibet: ſolemniorum theatrum procul dubio *Scutaris* urbs fuit; Regum, poſt everſam Diocliam, ſedes domiciliumque præcipuum. Legatus ſedis Apoſtolicæ ad illuſtrem hanc functionem, *Petrus Cardinalis* ex propinquo deſtinari potuit, cum Chrobatos inter adhuc degeret, ac Regi ex nupera in Serbliam legatione, notus, charusque eſſet.

SERBL. Græci ſcriptores, qui Michaelis res geſtas, bellaque proſequuti ſunt, ſed & Diocleates, quod mirere, altum tacent de Rege Michaele, honore vexilli donato: ut adeo, niſi certiora proferas, fere fluctuare incipiam.

BULG. Immerito fluctuas, nec citra injuriam Pontificis, ejus tam diſerta pollicitatio, propenſioque in pium Regem, pluris tibi debet eſſe, quam ſcriptorum, quos commemoraſti, ſilentium. Cæterum, quod hic præcipue verſamus, pietatem Michaelis, & obſervantiam in ſedem Apoſtolicam plene commendat, vel ſola, nudaque vexilli rogatio, quæ extra controverſiam eſt. Hoc enim ambiviſſe tantumdem erat, ac robur omne, viresque regni ſui ad tuitionem Eccleſiæ Romanæ propenſas, promtasque offerre. At non intra vota ſtetiſſe Regem, ſed impetraſſe etiam, quod optarat vexillum, acta Bodini filii docebunt.

SERBL. Michaelem adepto vexilli honore, non diu ſuperſtitem egiſſe, inde conjicio, quod uſum eodem nuspiam legimus, quem tamen annos aliquot poſtea in conſortio Bodini filii regnaſſe compertum eſt ex Anna Comnena, quæ ad annum MLXXXI. duos nobis Dalmatiæ Exarchos *Bodinum*, ac *Michaelem* exhibet (A). Nec enim illis aſſentior, qui cum *Michaelem* narrationis ordine *Bodino* poſtpoſitum legunt, filium potius, quam Patrem Bodini illic ab Anna indicari exiſtimant, nimium hac parte religioſi.

Michael Rex, cum filio Bodino regnat ab anno 1081 ad 1085.

BULG. Recte iſtud advertiſti: Nam a Bodino Michaelem filium in regni conſortium aſſumtum non fuiſſe, docebunt ea, quæ impoſterum dicturi ſumus. Quid quod anno MLXXXI. Michaelem patrem regni habenas adhuc moderatum fuiſſe, certiſſime conſtet ex Lupo.

(A) Alexiadis L. 1.

Lupo Protospata, qui octobri menſe anni ejusdem *Argyrum Bari Ducem* ad *Michaelem Sclavorum regem* adveniſſe, ac filio ejus *Bodino*, *Jaquintam* filiam deſpondiſſe memorat. Cujus, quia ad an. MLXXXV. nulla amplius, ſed *Bodini ſolius* occurrit mentio, argumento mihi eſt, *Michaelem* ſub annum MLXXXIV. deceſſiſſe, ac omne Sclavorum imperium ad *Bodinum ſolum* nullo alio conſorte tranſiſſe. Calculum hunc noſtrum de morte Michaelis, confirmant anni XXXVI, qui Bodini regno tribuuntur: cujus cum ultimus, ac emortualis annus fuerit centeſimus milleſimus, conſequitur primum fuiſſe milleſimum octuageſimum quintum, quibus terminis anni ſex, ac viginti concluduntur.

SERBL. Bodinus vivo, valenteque patre a Bulgaris ad imperium expetitus, uno infelici prælio cum Bulgariæ imperio libertatem amiſit, captus & Antiochiam in cuſtodiam transmiſſus (A). Unde cum Venetorum induſtria carcere exemtus in patriam rediſſet, a Michaele parente conſors Serblici regni renuntiatus eſt (B). De eo, poſtquam ſolus præeſſe cepit, multa produnt hiſtoriæ domeſticæ, at non perinde laude digna. Sævities in cognatos principes crimen ejus præcipuum fuit. Is Radoslavum patruum, ac filios Zentæ Duces, bello diuturno vexavit: & poſtquam Petrus Archi-Epiſcopus Antibarenſis cognatorum principum diſſidiis pro authoritate interceſſit, modumque poſuit: pacis conventæ tabulas ſignatas, & Sacramento firmatas, novo ſcelere perjurus rupit inſtinctu Jaquintæ conjugis, cujus lenociniis in peſſima quæque abductus eſt. Igitur renovato bello majore, quam primum, ferocia in Radoslavi patrui filios deſæviit. Idem Raguſam ſeptennali bello fatigavit, quod cognatis principibus perfugium præbuiſſet, neque in exulum proditionem conſentiret. Bello tandem cum cognatis compoſito in Raſſiæ Zupanum, qui a fide defecerat, arma avertit, dejectoque illo, ne potentia abuti poſſent ſucceſſores, novo invento, duos ex aulæ proceribus *Belcanum*, & *Marcum* provinciæ præpoſuit. Hinc victricia arma in Bosnam traduxit, revocatæque ad obſequium regioni *Stephanum Comitem* præfecit. Denique expletis annis ſex ſupra viginti, regnandi finem fecit anno MCmo, cujus parte aliqua vixiſſe adhuc Bodinum prodit diploma Lacromæ monachis conceſſum, nec minus pietatem commendat (C). Bodini regis geſta.

BULG. Bodini geſta fere omnia rite compendio complexus es: at, quod maxime a te præſtolabar, oppugnatum, occupatumque a Bodino Dyrrachum præteriviſti, quod operum ejus primum fuit.

SERBL.

(A) Sylizes ad annum 1071. Michaelis Ducæ primum. (B) Idem. (C) Orbinus.

SERBL. Atqui obſidii hujus ne domeſtici quidem ſcriptores meminere: & Anna Comnena (A) ſecretis patris ſui Alexii artibus, corruptis auro defenſoribus, Dyrrachium comparatum fuiſſe tradit.

BULG. Ut de domeſticis nihil dicam, Andreas Dandulus ſcriptor Venetus, pro more gentis ſuæ in res maritimas intentiſſimus affirmat Bodinum, ut primum de Roberti Guiscardi Siciliæ regis morte innotuit, continuo Dyrrachium oppugnandum ſuſcepiſſe, & *præeunte Eccleſiæ vexillo* etiam expugnaſſe. Obiit vero Robertus anno MLXXXV. ſuccedente Rogerio.

SERBL. Si Dandulus ſcribit occupatum a Bodino Dyrrachium, præeunte copiis *Eccleſiæ vexillo*, certo jam argumento edocuiſti, id a Gregorio Pontifice non promiſſum tantum, ſed traditum etiam fuiſſe *Michaeli* Bodini patri: nec enim niſi hæreditate vexillum illud primo ſtatim regni anno ad Bodinum perveniſſe potuit.

Bodinus rex ſub vexillo Romanæ Eccleſiæ occupat Dyrrachium.

BULG. Ne quid ad faciendam fidem deſit, Danduli verba appono: *Robertus*, inquit, *Guiscardi moritur. Huic Rogerius filius ſucceſſit, qui Amalphiæ juramentum fidelitatis Urbano Papæ ſuper terras Apuliæ præſtitit, & ſe hominem ligium Eccleſiæ confeſſus eſt. Et hoc eodem ſub vexillo* (nempe Eccleſiæ) *Bodinus Raxiæ* (B) *Dyrrachium occupavit, & poſtea pace cum Imperatore Conſtantinopolitano compoſita, illi urbem reſignavit.* Hanc pacem inter ſecretas parentis ſui Alexii artes, & clandeſtina commercia collocavit Anna Comnena, comparatumque fuiſſe tradit Dyrrachium, Bodino, ejusque milite, qui ad urbis cuſtodiam excubabat, auro large donatis.

SERBL. Mitto jam omne dubium de *dono vexilli*: & cum Regem Michaelem a Papa donatum eodem cogito; non modo a Græcorum in Latinos odio liberum, alienumque pronuncio, nec vulgari duntaxat cæterorum Catholicorum more ſedi Apoſtolicæ conjunctum, verum ſpeciali etiam fidelitatis, ac obedientiæ vinculo adſtrictum, juratumque Eccleſiæ Romanæ defenſorem, ac vindicem agnoſco, & profiteor.

Rex Michael defenſor Romanæ Eccleſiæ.

BULG. Poſtquam *Michaelem regem* inter Romanæ Eccleſiæ defenſores conſtituiſti, quem locum dabis *Bodino*, ejus filio? Eum, etſi uxoriis præſtigiis faſcinatum, in cognatos durum, impium, ac ſanguinarium fuiſſe haud diffitear; in Petrum tamen Antibarenſem antiſtitem obſequentem, & in Lacromæ monachos pium ſe præbuit.

Quare

(A) L. 6. Alexiadis. (B) Lege Raſciæ.

Quare opinor, ut regni paterni, vexillique, ſic & pietatis, ac obſequii in Romanam Eccleſiam hæredem exſtitiſſe. Si enim quæſiviſſe, ac impetraſſe ſacrum Eccleſiæ vexillum, cur non etiam militiam ſub eodem egiſſe argumentum profeſſæ clientelæ ſit erga eandem Eccleſiam?

SERBL. At, ſacrum illud ſignum non tulit Bodinus in hoſtem Eccleſiæ, non ad jurium ejus defenſionem, quin contra potius amicum, & ligium Eccleſiæ principem, pari ſecum vinculo, homagioque ſedi Apoſtolicæ obſtrictum oppugnavit, cum ſub Dyrrachii mœnibus eſt conſpectus. Hoc eſt, quod Bodini gloriæ detrahit, ſuſpectumque reddit, atque in hoſtium potius, quam clientum Eccleſiæ numero reponit.

BULG. Cum Bodinus anno MLXXXV. Dyrrachio copias, ſignaque admovit, Rogerius princeps Siciliæ, Dyrrachii Dominus, nondum ſub clientelam Romanæ Eccleſiæ ſe contulerat, id enim non ante Urbanum II. evenit, cui anno tantum MXC. Melphiæ fidelitatis juramento ſe obſtrinxit (A). Quare in ligium Eccleſiæ arma non movit: atque, ſi Rogerius etiam Pontificum hoſtis non erat, cum Bodinus elato Divi Petri vexillo Dyrrachium circumſedit, ipſo tamen hoc ſignorum apparatu ſe Romanæ Eccleſiæ vaſallum eſſe, palam, & inſpectante toto exercitu eſt profeſſus: ut adeo de fide ejus, & clientela erga Romanam ſedem, dubium nullum ſuperſit.

Bodinus quoque cliens ejusdem Eccleſiæ.

SERBL. Bodino humanis erepto, conditoque in ædibus Sanctorum Martyrum *Sergii*, *ac Bachi* anno MC. (B): qui deinceps principes, quæ rerum facies per Serbliam fuerit, paucis collige. Annorum periodum non longam decurres. Nam cum Stirps regum vetus in in duos diviſa ramos mutuis ſe bellis laceſſit, Radoslavi linea, quæ poſt Michaelis, & Bodini poſteros extinctos, ſuperſtes manſit, exhauſtis per inteſtina bella viribus, & potentia in anguſtum contracta, Regium & ipſa nomen titulosque, cum diutius pro majeſtate ſuſtinere haud poſſet, jam anno MCLXI. depoſuit: ad annum vero MLXXII. univerſis Serbliæ ditionibus exacta, mutare avitum ſolum, atque rebus collapſis, alibi perfugium quærere coacta eſt.

Sepultus in Eccleſia SS. Sergii & Bachi anno MC.

BULG. Triſtiſſimum hoc ſæculum, & cognatorum principum bellis, cædibusque infame paucis decurram. Te hæc audientem, ne concurſus, ac variatio multorum nominum, perpetuaque coronæ fluctuatio, ac tranſitus de linea in lineam, parte aliqua perturbet, Tabellam III. Regum Serbliæ præ manibus, oculisque geres.

VIII. Vide Tab. III. Regum Serviæ Sæculi XII.

(A) Chronicon Romualdi. (B) Diocleates, Orbinus.

Rex *Michael*, *Radoslavum* Zentæ principem fratrem habuit, quem, preſſus multitudine filiorum, Zenta abegit: at, filiis per bella varia exciſis, rurſum Zentæ reſtituit. *Michaeli* Regi duo ſuperſtites manſere filii *Bodinus*, & *Vladimirus*. *Radoslavi* filii erant: *Branislavus*, *Gradislavus*, *Goislavus*, *Dobroslavus*, *Ranina*, *Cocciapor*, & *Pinenek* Zentæ principes. In *Radoslavum* patruum, filiosque *Bodinus* Rex, Michaelis ſucceſſor ſævire ceperat *Jaquinta* conjuge flammas ſubdente. Extincto ad annum MC. Bodino rege, populus, *Jaquintæ* ſanguinariæ mulieris odio, *Michaelem* Bodini primogenitum regno excluſit, & nec alterum filiorum *Georgium* admovit: ſed in *Dobroslavum* ex Radoslavo genitum coronam, ſceptrumque transtulit. Verum, cum & iſte morum aſperitate intractabili odium populi perinde incuriſſet, *Belcanus* Raſſiæ Zupanus a Bodino olim inſtitutus arma in eum commovit, & Vladimirum ex Vladimiro Bodini fratre genitum, quem jam in generum adlegerat, Regem proclamavit: cumque interim *Dobroslaum* acie victum intercepiſſet, Vladimiro novo regi in cuſtodiam tradidit.

Rex Dobroslaus II. poſt Bodinum.

Rex Vladimir.

SERBL. Vladimirus Rex, ut manſveta fuit indole, nec Bodini, nec Radoslavi filiis infeſtus erat, aut quidquam moleſtiæ attulit. Sed hunc circumcurſans Jaquinta fax familiæ eo demum fraude, doloque perduxit, ut *Dobroslavo* captivo vitam ademerit: quo impetrato, *Vladimirum* ipſum, propinato clam veneno, ſuſtulit: hacque duorum regum cæde, alteri filiorum ſuorum *Georgio* viam ad paternum thronum ſtravit.

Rex Georgius.

BULG. Georgius anno MCXV. provectus, regnum ſuum a perſequutione nepotum Radoslavi, Branislavi filiorum aggreſſus, *Grubeſam* comprehendit, quem dum carcere macerat, & Grubeſæ fratribus inſidias ſtruit; illi fuga præcipiti Dyrrachium ſe ſubducunt, impetrataque Joannis Comneni auguſti ope, cum Dyrrachii præfecto Cumano in Serbliam irrumpunt, contractoque ad extremum prælio *Georgium* ejiciunt: tum, obſeſſo, captoque Scutario *Grubeſam* fratrem, ſuffragante auguſto e carcere ad thronum provehunt anno MCXVIII.

Rex Grubeſa.

SERBL. Præfuit regno Grubeſa cum laude ſeptennio ipſo, poſt cujus decurſum, a redeunte Georgio acie profligatus, vitam in prælio poſuit.

Rex Georgius iterum

BULG. Recuperato ad hunc modum regno *Georgius*, ut cognatorum diſſidiis malorum omnium fonti finem faceret, an. MCXXV. Branislavi patrui filios, Grubeſæ fratres, data fide, in Serbliam revocavit, & avitæ Zentanæ ditioni ultro ac volens reſtituit, & uno eorum *Dragillo* nomine cumprimis uſus, præter multa alia *Raſſiam* quoque ſuæ poteſtati ſubmiſit; felix ſane princeps futurus, ſi in hac amica animi comparatione noviſſet perſiſtere. Sed ſingularis Dragilli fortitudo, felicitasque in hoſtibus opprimendis, cum præmio omni

eſſet

eſſet digniſſima, pro benevolentia invidiam tulit, atque ad extremum Georgium regem in transverſum egit. Malorum initium in Dragillo cepit, quem, licet optime meritum, una cum Michaele regis olim Vladimiri filio in atrum carcerem compegit: tum in reliquos cognatos principes multoque ferocius ſævire perrexit: quod ipſi poſtremo perniciem attulit. Nam infelici hac Dragilli patrui ſorte perterriti *Draginæ* fratris ejus filii *Parvos*, *Grubeſa*, *Neman*, *Sirok*, & *Dragina junior*, ut inſidias a Georgio undique ſtructas effugerent, per brevia, inviaque itinerum divortia, ad vetus majorum ſuorum aſylum *Dyrrachium* denique evaſerunt. Unde, ut de improbitate Georgii vindictam ſumerent, provinciis ejus infeſti eſſe non deſtiterunt, dum denique favore Emanuelis auguſti (A), viribusque Pirigordi Dyrrachii præfecti adjuti, quidquid Dyrrachium Vuraniam, & Antibarim interjacet occuparent (B). Sed nec ſic bellorum civilium finis fuit, niſi poſtquam junctis cum Kyr Alexio Contoſtephano, Manuelis Imperatoris ex ſorore nepote, qui Pirigordo in Dyrrachii præfectura ſucceſſerat, armis, viribusque Georgium regem acie profligarunt, & in caſtro Oboletro, quo ſe ex fuga receperat, obſeſſum, captumque Conſtantinopolim deportarunt: quo & Jaquinta mater Georgii, regnante Grubeſa, Catari intercepta, dudum antea præmiſſa fuit (C).

SERBL. Acclamatus poſt hæc Rex eſt favente auguſto *Dragina junior* ſenioris filius Branislavi nepos Radoslavi pronepos, cujus imprimis virtus in his contra Georgium expeditionibus effulſit. Hoc regnante cum Bodini linea in Georgio prorſus extincta eſſet, malacia Serbliæ, ſed non diu duratura, redire viſa eſt. Nam, etſi a cognatis principibus, quos Dragina avitis ditionibus reſtituit, quieta eſſent omnia; liber tamen, & immunis a conjuratorum quorundam procerum inſidiis nunquam fuit. Regnavit annos XI. ſingulari pietatis, & prudentiæ laude. Funus defuncti, curantibus filiis *Radoslavo*, *Vladimiro*, & *Ivaniſio* in ædem Divorum *Sergii*, & *Bachi* martyrum elatum eſt: in regnum Radoslavus ſucceſſit.

Rex Draginajunior.

Sepultus in æde SS. Sergii, & Bachi.

BULG. At illi, & fratribus novum, & gravius periculum incubuit a juratis ſuperſtitis regii rami hoſtibus, ac cumprimis ab Uroſii quondam Raſſiæ Zupani progenie, Georgio olim regi maximis beneficiis devincta, & jam in magnam provecta potentiam. Periculo huic, quod ſibi proxime impendere cernebat, ut obviam iret *Radoslavus* primogenitus, Emanuelis auguſti gratiam ſibi implorandam duxit, ſub cujus umbra, & patrocinio tutius ageret. Igitur continuo a juſtis patri regi perſolutis Conſtantinopolim iter adornavit, oblatis

Rex Radoslaus poſtremus ex ſtirpe veteri Regum.

(A) Imperavit Emanuel ab anno 1143. ad 1180. (B) Orbinus. (C) Idem.

tisque donis ampliſſimis, potentiſſimi Imperatoris protectioni ſe totum tradidit, fide, & obſequio cliens futurus. Et favebat Emanuel Radoslavo, benigneque ſuſceptum decreto imperiali bulla aurea ſignato in regno paterno confirmavit. Verum neque hoc munitus præſidio periculum a ſe avertit. Nam progreſſu temporis, veteres hujus regiæ ſtirpis hoſtes, *Deſſam* Uroſii filium tunc Chelmi Dominum in apertam rebellionem impulerunt, & conſociatis in unum viribus *Zentam*, ac *Trebinam* Radoslavo ereptam *Deſſæ* aſſeruerunt. Græcis hæc inteſtina Serblorum bella ex longinquo ſerena fronte ſpectantibus, & velut in lucro ponentibus. Avulſis his a principatu provinciis, cum Radoslavo, ac fratribus, præter tractum maritimum Cataro, ſcutarioque conſtrictum nihil manſiſſet reliquum, nec auxiliorum ſive ab oris Italiæ, ſive a Græcis ſpes aliqua affulgeret, *Radoslavus* nomen *Regis*, quod absque ludibrio porro ſuſtinere non poterat, ultro, volensque ſub annum MCLXI. depoſuit. Bella nihilominus continenter cum Deſſa, ejusque hæredibus, ad Zupanatum Raſſiæ ſubinde eluctatis, nunc victor, victus alias deinceps geſſit, dum denique a fortuna deſertus, ipſe quidem ſub annum MLXIX. regione Zentana, frater vero ejus Vladimirus ſub annum MCLXXII. Raſſia omni per Stephanum Nemanem Desræ filium exutus, ejectusque eſt (A).

Deponit Regis nomen an. 1161.

SERBL. Veteri regia ſtirpe ad Radoslavum regum poſtremum perducta, qui Zupani inde ab interregno in Raſſia rerum poſiti ſint, compendio collige, ne & iſtorum nomina ignoremus.

IX. Raſſiæ Zupani ab interregno ad Stephanum Nemanem I.

BULG. Dobroslavo I. poſt interregnum avitas ditiones recuperanti, excitati a Conſtantino Monomacho Imperatore, oppoſuere ſe ex domeſticis Bosnæ Banus, Chelmi princeps Liutovid (B), & Anonymus Raſſiæ Zupanus, quem quidam *Liubimirum* dictum putant (C): quos denique Dobroslaus variis præliis attrivit, fudit, ſubegitque. Rex Michael Dobroslavi ſucceſſor, occupatam armis Raſſiam filio Pejaſſovo gubernandam commiſit. *Bodinus* poſt Michaelem ad thronum evectus, *Anonymum* Raſſiæ Zupanum detrectantem obſequium provincia ejecit: & ob crebras Zupanorum rebelliones, ut ſeditionum fomentum, opes, roburque detraheret, Raſſiam anno MLXXXV. in duas Zupanias diviſit, & unam *Volcano*, alteram *Marco* tuendam credidit. At *Volcanus* ad ſummam rurſum potentiam virtute ſua excrevit. Poſt quem *Grubeſa* rex fratrem *Draginam* Raſſiæ cum poteſtate præfecit. Debellato autem Grubeſa, ejusque fratribus in gratiam receptis, cum Raſſia a fide rurſum defeciſſet, *Rex Georgius*

(A) Vide Tabulam III. Regum Serviæ. (B) Diocleates poſt annum MXLIII.
(C) Vide Tab. II. Zupanorum Raſſiæ.

Georgius consilio, ac fortitudine Dragilli provinciam ad obedientiam reduxit anno MCXXV., & *Uroso* Zupano regendam demandavit. Huic in Zupanatu succeſſit *Bachinus* ex Volcani, ut videtur, progenie ortus. Is *Uroſii* anteceſſoris filio *Beloſi* in Hungaria a teneris annis apud ſororem reginam Helenam Belæ cœci conjugem educato, ſororem ſuam matrimonio copulavit (A), cumque Beloſis apud Geiſam regem Hungariæ ſorore ſua natum, in honore, ac amoribus eſſet, a quo Banali, & Palatini dignitate ſubinde auctus eſt (B), ut gratiam viciſſim Geiſæ rependeret, nulli operæ pepercit, dum affinem Bachinum Archi-Zupanum cum Raſſia omni Græcorum clientelæ ſubduceret, atque in partes Hungarorum pertraheret. In Bachinum Archi-Zupanum ſic ad defectionem impulſum, Emanuel Imperator exercitum eduxit anno MCL. Bachinus Hungarorum copiis adjutus biennio bellum ſuſtinuit: captus demum in prælio, cum fidem, obſequiumque imperio rurſum obligaſſet, in gratiam ab auguſto receptus, confirmatusque eſt. Parta hac victoria, compoſitisque Raſſiæ rebus, ulturus Hungaros auguſtus, victorem exercitum in eos promovit: cui, quia Rex Geiſa ex adverſo aciem ſub Beloſis Bani ductu oppoſuit, ut narrat Cinamus; veriſimile non eſt, Beloſim eundem oculis, viſuque penitus orbatum fuiſſe, quanquam hoc Cinamus affirmet. Poſt has turbas præfuit Bachinus Raſſiæ ad annum circiter MCLIX, quo ipſo in dignitatem, volente auguſto, *Primislaus* Urosy primogenitus ſucceſſit. Sed cum ipſe ad libertatem aſpirat, anno MCLXII. principatu deturbatus eſt, ſubſtituto in munus fratre natu minore *Uroſio*, quod tamen illi diuturnum non fuit: nam, cum propenſiorem populi affectum in *Deſſam* ferri expertus eſſet, dignitate, ac patria ultro ceſſit, nec diu poſt in Hungaria ultimum diem clauſit. Vacuum igitur Archi-Zupanatum Emanuel in tertium Urosy filium *Deſſam* contulit. Hoc vero etiam ob malignum ingenium, & meditatam ſecundo rebellionem remoto, ac Conſtantinopolim deportato (C) *Vladimirus* Radoslavi frater ex veteri regum Proſapia princeps favore, & ſuffragio auguſti Raſſiæ regendæ admotus eſt, rexitque, dum a Stephano Nemane Deſſæ filio dignitatem Archi-Zupani armis ſibi vindicante, anno demum MCLXXII. Raſſiæ dominatu ejectus eſt. Atque hunc finem habuit ſtirps Regum vetus, primum mutuis bellis attrita, nec unquam Græcorum viribus ex animo defenſa, ad extremum vero Zupanorum potentia, qua defendi fulcirique, debuerat, oppreſſa, everſaque.

X. De religione Regum Serviæ poſt Bodinum.

SERBL. Per hæc tempora, quibus Servia inteſtinis bellis convulſa eſt, quæ ibi facies religionis fuerit, eſtne, qui attingat?

(A) Orbinus, Cinamus. (B) Cinamus, Nicetas, Thurotzius in Chron. qui rectius *Belam* vocat. (C) Anno circiter MCLXIV.

BULG. Perturbatis, triſtiſſimisque poſt Bodinum Serbliæ regum fatis, nihil eos in rebus religionis, & obſervantia erga ſedem Apoſtolicam mutaſſe, aut a laudatis majorum veſtigiis deflexiſſe opinor, quanquam inde a Grubeſa ejus lineæ principes, & Zupanorum plerique omnes ſub clientela orientis Imperatorum degerent. Opinationi meæ ſuffragatur, & pondus addit, quod cum rege catholiciſſimo *Miebaele*, *Bodinus*, *Vladimirus*, & *Dragina* quoque, quorum iſte *Radoslavi regis* ultimi, & *Vladimiri Zupani* pater fuit communem quietis, ac ſepulturæ locum nacti ſint (A), &, quod Eccleſiam monaſterii Sanctorum *Sergii*, & *Bachi* Martyrum, in qua ſunt conditi, conſtet ex Brevi Apoſtolico Alexandri II. (B) in catholicorum poteſtate fuiſſe: qui horum Martyrum natalem inter feſta Pallii ſolemnia Archi-Epiſcoporum Antibarenſium conſtituit, ac celebrari juſſit.

Ex toto ſepulturæ Catholicis accenſentur.

SERBL. Habuit adhuc, non diffiteor, in veteri regum Serbliæ proſapia ſedes Romana inde a Sæculo VII. ad XII. principes, ac reges religionis communione, ac filialis obedientiæ vinculo ſibi colligatos. Atque, cum iidem non modo Eccleſiæ catholicæ, ſed & Patriarchatus Romani membra eſſent, eos ab idolorum ſuperſtitionibus ad Chriſtum perduxit, ſacro initiavit baptiſmo, doctrinis Apoſtolicis inſtituit, diademate, regumque titulis inſignivit. Diocliæ metropolim gentis fixit, hacque everſa Antibarim transtulit, per legatos Apoſtolicos conciliis nationis præſedit, Eccleſias inviſit, depravata correxit, errores dedocuit, conſulta reſpondit, piis principum petitionibus favit, donatosque ad extremum ſacro Divi Petri vexillo in defenſores Eccleſiæ, ſuorumque jurium adlegit, ac vice verſa in mutuam protectionem ſuſcepit. At poſtquam domus Nemania ſub medium Sæculi XII. caput extulit, attractoque in ſuam ſtirpem Archi-Zupanatu Serviæ, magnitudinis ſuæ fundamenta jecit, ac poſtremo regni faſces adepta, imperium ſuum per Sæcula XIII, & XIV. perduxit, vereor, ne ſtirps hæc regum altera, ut ritum Græcum ab atavis acceptum conſtanter profeſſa eſt; ita diœceſi, juribus, poteſtati, obedientiæque Romanorum Pontificum nuncium ex toto remiſerit, perpetuoque diviſa exſtiterit.

Anacephaleoſis præcedentium colloquiorum.

COLLO-

(A) Diocleates. (B) Quod retuli Colloquio præſente.

COLLOQUIUM QUINTUM.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM SUB STIRPE ZUPANORUM, ET REGUM EX DOMO NEMANIA A MEDIO SÆCULI XII. AD XIII. INITIA.

---

1. Inquiritur in Nemaniorum originem.

SERBL. Nemanios declinante Sæculo XII. genus veterum Serbliæ regum in *Raloslavo*, *Vladimiro*, & *Ivanſio* filiis Draginæ regis, evertiſſe; & poſt ſtabilitos in domo ſua magni Raſſiæ Zupani titulos, regium quoque ſceptrum, ac coronam arripuiſſe, atque ad extremum Imperatoria etiam Majeſtate, quanquam ad breve tempus effulſiſſe, convenit inter omnes. At, a quo ſtirps Nemania originem traxerit, per quos propagata ſit, id vero non æque concorditer ab omnibus expeditur. Noſtrates, qui ex Licinii, & Conſtantini Magni progenie ortos ferunt, adulationi propius, quam veritati accedunt. Hæc, quibus cordi eſt, *Belam Uros*, non tam fumoſis majorum ceris, quam ſua virtute illuſtrem, caput familiæ, & primum in ſerie conſtituunt: duosque ei filios aſſignant *Csedomilum* Epiſcopum, & *Tibomilum* Græci ritus presbyterum, hocque parente quatuor filios propagatos affirmant: *Zavidam*, *Strazimirum*, *Pravoslavum*, & *Stephanum Nemanem*, a quo deinceps in ſtirpem univerſam *Nemanichionam* cognomentum emanavit, & per generationes ſeptem in throno propagatum eſt.

Eorum geneologia ex domeſticis MS.

BULG. Longiorem, & per plura capita deductam ſtirpis Nemanicæ genealogiam, ac paulo aliter contexunt ſcriptores alii (A). Inchoant illi a *Stephano* Græci ritus ſacerdote, Curione in Luka, oppido Comitatus Chelmi, urbi Tuchel vicino. Cujus filius *Liubomirus* a Chelmi principe ob præclara virtutis militaris ſpecimina in Zupa-

(A) Orbinus, Luccarius.

Plenior ex aliis scriptoribus.

Zupanum Ternovæ provectus, ea gratia apud populares valuit, ut provinciam ex ejus nomine Liubomiriam dicerent. Huic in dignitatem succeſſit *Bela Uros* hæres non minus provinciæ, quam virtutum paternarum: qui ſubinde a rege Georgio ob fidem, & egregia merita, magnus Raſſiæ Zupanus nominatus eſt. Uroſo filius fuit *Deſſa* Chelmi princeps: Deſſæ *Miroslavus*, *Conſtantinus*, & *Stephanus Neman.* Cinamus (A) præter *Deſſam*, natu minimum tres alios Uroſi filios enumerat, *Primislavum*, *Ureſim*, & *Beloſim.* Ex quibus tres ordine genituræ magni Zupani munere in Raſſia perfuncti ſunt. *Beloſis*, ſeu Bela apud ſororem reginam Belæ cæci conjugem educatus ad ſummos honorum apices Geiſa II. rege pertigit, Banus primum, ac demum etiam regni Palatinus (B).

SERBL. Inter has variantes ſententias, quis tibi jam ſenſus? quæ verior ſeries, ordoque? quæ geſta, ætasque principum? quibus, ſi chronologiam a plerisque neglectam, addas; lucem optatam hiſtoriæ affundes.

BULG. Dirimere has lites, aut diſſidentes ſcriptorum opiniones componere, res, & perſonas annis accuratius illigare, ad fuſiorem gentis hiſtoriam pertinet, quam ego hic non molior. At, ne penitus deſim, curabo, ut ſynopſi arctiſſima pleraque comprehendam. Igitur cum Orbino a *Bela Uros*, Liubomiri Zupani filio, nepote Stephani Curionis, ſtirpis Nemanicæ originem duco. Is, cum poſt Liubomirum patrem Zupani dignitate Ternovæ præeſt, Georgio regi adverſus alterius lineæ principes Goislavum, & Draginam Græcorum auxiliis ſubnixos, inde ab anno MCXV. fortiter, ac fide integra militavit (C), ſed ad extremum ab iisdem, & Calo Joanne, imperiali Dyrrachii Duce, prælio decretorio fuſus, vix rege fuga elabente, in manus hoſtium venit anno MCXVIII, & captivus in Raſſiam abductus, hæſit in ſquallore carceris fide invariata ſeptennio ipſo, quo Grubeſa regno Serbliæ, & Dragina ſenior Raſſiæ Zupanatu favore Joannis Comneni Imperatoris potiti ſunt. At, ubi redux Georgius victo acie, deletoque Grubeſa æmulo, regni poſſeſſionem iterum adiit, & Dragilli virtute Raſſiam, quæ defecerat, pari felicitate recepit, eductum diuturno carcere Uroſum primum libertate, ac mox etiam magni Raſſiæ Zupani dignitate donavit anno MCXXV. *Uros* ad hoc faſtigium provectus, brevi ſequuturæ ſtirpis ſuæ majeſtati præluſit affinitate cum Hungariæ regibus contracta. Anno enim

Series eorum chronologice deducta a Bela Uros Raſſiæ Zupano. Vide Tab. II. Zupanorum.

MCXXVII.

(A) Cinamus L. 3. (B) Thurotzii Chron. (C) Regnaſſe Georgium anno 1115. confirmat privilegium, Catarenſibus anno eodem conceſſum, de quo Orbin. p. 236.

MCXXVII. poſcente rege Stephano II. Belæ cæco deſignato ſucceſſori, filiam ſuam Helenam connubio junxit (A): ex quo Geiſa II, Ladislaus, ac Stephanus reges Hungariæ procreati ſunt. Is, cum regnante Georgio rerum in Raſſia potens eſſet, everſa Liutovidi principis progenie, ad Zupanatum Ternovenſem univerſum Chelmi principatum adjecit, & ad filios hæreditate transmiſit. Ferunt ſcriptores Hungari (B), ab eo dotis nomine in Belam regem generum *Ramam*, *Boſnamque*, quæ tunc ad jus Serviæ ſpectabant, tranſcriptam: ac prius illud de *Rama* colligunt ex diplomate, quo Bela privilegia Spalatenſis Eccleſiæ confirmavit ſub annum MCXXXIX (C), in quo *Ramæ* titulum ſibi inſcripſit: alterum de *Boſna* eruunt ex translatione Ducatus Boſnenſis per Belam facta in Ladislaum filium (D), ſed horum examen nos ad Colloquium XII. remittimus. Cætera ejus præclare geſta ad notitiam noſtram non pervenerunt: & nec annus obitus exploratus eſt, incertumque, an attigerit annum MCXLVIII. quo rex Georgius ab Alexio Contoſtephano, Manuelis auguſti ex ſorore nepote profligatus captusque, Dyrrachium, ac inde Conſtantinopolim captivus abductus eſt. Poſt Uroſium dignitas Archi-Zupani Raſſiæ beneficio Manuelis ad Bachinum tranſiit, cujus defectionem, & bellum cum auguſto ab anno MCL. geſtum, &, quæ ſunt alia, jam ſuperiore colloquio induximus.

SERBL. Erat Bachinus ex Volcani progenie ortus, ſed arcta ſimul affinitate Uroſi filio Belæ junctus (E). Bachino extincto ad annum MCLIX. Emanuel pro jure ſupremo, quod in Serviam exercuit, ſucceſſorem dedit *Primislavum*, Uroſii primogenitum (F). Continuatio eorumdem.

BULG. Is, anno ſequente Raſciorum ſtipatus auxiliis Emanueli in oriente belligeranti fidelem operam navavit: inde redux, cum ſemel, ac iterum a fide, & obſequio imperii deſciviſſet, anno MCLXII. in ordinem redactus eſt: utque illi vita privata tolerabilior evaderet, & agro percommodo ab auguſto donatus, & fratrem natu minorem ſucceſſorem nactus eſt: quem cum Cinamus loco uno *Ureſim*, altero vero *Beloſim* appellet (G), ea variatione præbet credendi argumentum, principem illum compoſito *Belæ Uros* nomine uſum fuiſſe. Sed non placuit populo ea Auguſti nominatio, igitur abdicato Uroſio, Deſſam Zupanum ſubſtituunt: at mox licentioſi facti metu perculſi, utrumque Auguſto ſiſtunt, qui Uroſium antea nominatum

(A) Thurotz. c. 63. (B) Pray, & tractatio poſterior Illyrici novi addita Du Freſno. (C) Apud Lucium L. 3. c. 8. (D) Apud Bernard. Pez. Cod. Dipl. Hiſt. epiſt. p. 355. (E) Otho Friſing. L. de geſtis Friderici c. 32. (F) Cinamus L. 3. (G) Cinamus L. 3. & 5.

ſuffragio novo confirmavit. Sed Urosii breviſſimum in Raſſia regimen fuit; indignatus enim populi de ſe judicio, abdicata ultro dignitate, ſtationeque ad Helenam ſororem, & Belam fratrem a longo jam tempore in Hungaria celebratum commigravit, nec diu poſt vitæ curſum ibi abſolvit. Vacantem ab hujus diſceſſione principatum Emanuel in *Deſſam*, poſtremum fratrum, contulit, in quem ſtudia populi ferri paulo ante expertus fuerat: duas tamen provecto leges præſcripſit: primum, ut Imperio, regione Dendra, Neſo vicina decederet; deinde ne Radoslavo, Zentæ principi, ac fratribus in patrocinium ſuum receptis gravis eſſe pergeret, quos jam antehac magna Zentæ parte exuiſſet. At cum poſt modicum Deſſa Dendræ provinciæ rurſum immineret, nec a Radoslavo turbando deſineret, adhæc minus obſequentem juſſis imperialibus ſe præſtaret, nimiumque jam auctus viribus majora moliri videretur; a Manuele, progreſſo cum exercitu, ad cauſam dicendam in caſtra accitus, convictusque, quod ſpreto Romano imperio, legatos in Allemaniam deſtinaſſet, ſocietatem belli in Hungaros non obſcure detrectaſſet, hosque ſupremos ditionum ſuarum dominos profiteri non eſſet veritus, verbo: egiſſet omnia, quæ Romanis invidiam bilemque movebant; in caſtris primum de more foſſa, ac milite circumvallatus eſt, & demum Conſtantinopolim, futurus illic ſub cuſtodia, anno MCLXIV. relegatus eſt (A). An captivitate ſolutus in patriam vivens rediverit, incertum. Scriptores domeſtici Trebinæ in Eccleſia ſancti Petri de Campo, ſepultura donatum perhibent (B).

II. Principes e ſtirpe veteri Radoslavus, & Vladimirus proveniuntur.

SERBL. Dejecto Deſſa, res *Radoslavi*, & *Vladimiri* fratrum e veteri regum proſapia, meliorem aliquantum faciem induerunt. Nam Radoslavus quidem, decreto imperiali Zentæ princeps confirmatus eſt: Vladimiro Archi-Zupanatus Raſſiæ Auguſti favore obtigit.

Geſta Stephani Nemanis, & fratrum in eosdem.

BULG. At, præpotentes Deſſæ filii: *Miroſlavus*, *Conſtantinus*, & *Stephanus Neman*, nondum tot ſuorum caſibus perterriti, cum id honoris faſtigium præreptum ſibi ferrent iniquius, quod bona Auguſti gratia impetrare non poterant, armis vindicare aggreſſi ſunt. Igitur conflato valido exercitu, auxiliisque a Culino Boſnæ Bano Miroslavi Leviro, & Stephani Nemanis ſocero, acceptis; totis viribus in Radoslavum, & Ivaniſium incumbunt, nec quieſcunt, dum præliis fractos, & reſiſtendo impares, anno demum MCLXIX. tota regione Zentana ejecerunt. Receperant ſe primum profugi principes

(A) Idem L. 5. Nicetas Choniates ad 1163. Deſſam ab Auguſto reprehenſum objecto maligno ingenio; tum venia donatum tradit. (B) Orbinus.

pes Raguſium, at, cum ſui cauſa receptores bello appeti cernunt, ut ab amica urbe periculum averterent, Dyrrachium conceſſere, inde patrocinium, opemque auguſti imploraturi (A). Nec defuit afflictis Emanuel: ut enim in Radoslaum propenſo erat animo, tot graſſationibus Deſſæ filiorum modum ponere conſtituit. Ergo Theodorum Pediatam cum copiis in perturbatores immittit: verum, nec hoc par malo erat remedium; nam, profligato Padiata, creſcenteque ex victoriis, & impunitate audacia, brevi poſtea, hoc eſt anno MCLXXII. aut ſequente (B), Vladimirum quoque in Raſſia aggreſſi, acri prælio ad *Priſtinam* debellatum in Bulgariam effugarunt, ut vult Orbinus, rediturum rurſus in eandem Raſſiæ arenam cum fratribus, Iſacio imperante, qui eorum patrocinium ſuſcipiet. Quare Luccario non aſſentior, qui Vladimirum Raguſium effugiſſe, ibique ex vulnere in prælio accepto, haud multo poſt animam egiſſe ſcribit, ſepultumque in æde ſanctæ Mariæ ad Pilas, quæ tum a Græcis monachis tenebatur (C). His ex animi ſententia peractis Stephanus Neman, quanquam fratribus junior, titulos, ac dignitatem Archi-Zupani jam prius uſurpatam, jure armorum ſibi denique aſſeruit, atque in adeptæ victoriæ memoriam, *Priſtinæ* regni ſedem fixit, quam & poſteri aliquamdiu tenuere: Fratres vero, armorum ſocios in Chulmam Zentamque dimiſit. Sed hi tanti progreſſus ipſum denique Manuelem Imperatorem in Stephanum Nemanem exciverunt.

III. Stephanus Neman fit Archi-Zupanus.

SERBL. Nicetas Choniates poſt relatum triumphum, quem Manuel Auguſtus anno MCLXVIII. Conſtantinopoli de Hungaris celebravit, majore fortaſſe pompa, quam victoria; refert utramque expeditionem in Nemanem ſuſceptam; & primam quidem Theodoro Padiatæ demandatam, ſic abrupte recenſet: *Poſt annum* (nempe a memorato triumpho) *exacto vere, & æſtate pacifice; bruma jam inſtante, in occidentem rurſus Manuel proficiſcitur: audierat enim Serviorum principem inquieto, & inſatiabili ingenio hominem Stephanum Nemanem juſto audaciorem factum, finitima quæque invadere, & populares ſuos graviter premere ferro graſſantem, ſuæque fortunæ oblitum, Chrobatiam* (D), *& Catarorum dominatum ſibi vindicare. Ut ergo Nemanis voluntatem exploraret, Theodorum Padiatam cum copiis ablegat. Erat autem ea Nemanis ferocia, ut bello non indicto, ſtatim Romanos invaderet.* Alteram expeditionem, quam per ſeipſum Auguſtus anno MCLXXIV. inierat, ſic proſequitur: *Poſtquam autem ipſe Imperator eum ulciſci ſtatuit; bello celeriter relicto in montes, petras, & ſpeluncas ſubiit: & ſubinde imminuta*

Ejus belli cum Græcis.

nomibil

(A) Idem (B) Nicetas Choniates. (C) Id tamen, ſi verum ſit, conſequens erit, Vladimirum, etſi Catholicum, Raſſia Græco ritu egiſſe. (D) *Chrobatiæ* nomine appellat *Serbliæ* partes maritimas, quas tenebat cum Cataro Radoslaus; &, quas Diocleates *rubeam Chrobatiam* dixit.

nonnihil ſuperbia, tandem ſupplex ad pedes illius procumbit. Angebatur enim, ne Serviæ principatus alicui eorum, quos ipſe evertebat (A), *quique dignior eſſet, tribueretur. Eum igitur hominem imperator tanta arte tractabat, & ad fidem conſervandam ſibi convertebat, ſi quando aberrare, & libertatem ſpectare videbat, aut tum Allemanorum rege* (B) *ſe conjungere, aut ad Hunnos inclinare, & manubias communicare. Nemam vero Imperatorem non minus formidabat. Nam cum Imperator equitatu tantum educto, & ſatelitibus ſequi juſſis, Romanorum fines egreſſus, contra illum ferebatur, Serviæ ſuo ſtatim arbitratu exempla immutabat.*

BULG. Poſtremam hanc expeditionem glorioſius adhuc Cinamus deſcripſit ad annum MCLXXIV. quo Bela III. a Manuele Imperatore Hungaris rex datus eſt: verba Cinami ſunt: *Imperator itaque, Bela in principatu conſtituto, in Serviorum gentem iter inſtituit, ut eorum ulciſceretur audaciam. Sed, quod ſemper miror, quamvis nondum conveniſſent exercitus, cum paucis militibus per loca quædam prærupta in regionem eorum irrumpens, cum Archizupano prælium conſerere properavit. Sed ille, infinitas licet ſociorum copias comparaſſet, primo quidem fugit: deinde ut animum illius occupavit pavor, miſſis ad imperatorem legatis, delictorum ſibi veniam dari popoſcit. Ubi nil oblinuit; ut ſibi ſalvo, & incolumi ad principem liceret accedere, petiit. Venit ergo annuente imperatore ad illius tribunal, aperto capite, nudatis uſque ad cubitum manibus, pedibusque nudis: dependebat a cervice funis, manuque gladium ferebat, dedens ſe principi, ut, quod vellet, de illo ſtatueret. Quibus ille commotus, erranti veniam conceſſit. His proſpere confectis imperator ex Servia, ſubſequentem Archizupanum habens, exceſſit.*

Præſtat homagium Manueli Imp.

SERBL. Ut putidam Græci ſcriptoris jactantiam non perſtringam, qui tam vile abjectumque, &, quod debellato vix conveniat, Stephani Nemanis ingenium nobis expinxit: id exploratum eſt: Stephanum impetrata venia, pacem cum Manuele anno MCLXXIV. ſanxiſſe; præſtitoque in manus auguſti homagio, in ditionibus bello captis, bullis imperialibus confirmatum perſtitiſſe.

Bellat in Raguſæos, & Epiſcopos ſuffraganeos Antibarenſi vindicat.

BULG. Poſt lapſum annorum ab hinc trium (C) Neman ſigna infeſta in Raguſæos tulit, evaſtata regione eorum omni ad Brenum. Atque, cum Tribunius Raguſæ Archi-Epiſcopus Catarenſem Antiſtitem obſequium detrectantem, fidelium communione excluſiſſet, Epiſcopo patrocinium principis implorante, Neman ditionum ſuarum Epiſco-

(A) Quos evertebat, erant regis Draginæ filii: *Radoslavus, Vladimirus, & Ivanius.* (B) Fridericum I. Occidentis Imperatorem intelligit, quem jam tunc colebat Neman, & Deſſa pater ante eum. (C) Orbinus ad annum 1177.

Epiſcopos omnes, quos Raguſæus, ſive novo jure aliquo, ſive injuria occupare aggreſſus fuerat, ab ejus poteſtate avulſit, atque Antibarenſi Archi-Epiſcopo, cujus veteri, ac meliore jure fuerunt, ſubmiſit; Raguſæo Antiſtite fruſtra Alexandrum III. Papam interpellante, fatiganteque. Abſtractos tunc regni Serblici Epiſcopos, Orbinus in hunc modum enumerat: *Buduæ*, *Catari*, *Dulcini*, *Suaciæ*, *Scutari*, *Dyrrachli*, *Drevoſti*, *Medonis*, *Sorbiæ Boſnæ*, *Trebinæ* & *Zachlumiæ*. Quorum tamen aliquos in poteſtate Antibarienſis retentos non fuiſſe apparebit ex Concilio Serblorum anno MCXCIX. Diocliæ celebrato (A).

Complura occupat poſt fata Manuelis.

SERBL. Cum Neman tam ampla, Emanuele Orientis imperatore potentiſſimo, feliciſſimoque, geſſerit; pronum jam cogitare eſt, a morte ejus (B), convulſis imperii viribus Alexio impubere Emanuelis filio, & perfidis tutoribus Alexio primum, dein Andronico Comnenis; multo amplioribus urbium, ac provinciarum acceſſionibus potentiam ſuam auxiſſe; cum Græci domi ſeditionibus, mutuisque cædibus ſe exhauriunt; foris autem, ab occidente Bela III. rex Hungariæ ad Belgradum, & Braniſobam in armis agit; a meridie Guilielmus Sciliæ princeps Dyrrachio, Theſſalia, Theſſalonicaque potitus, urbi jam ipſi imminebat. Sed quamcunque magna inter has imperii convulſiones a Nemane acta fuerint, cuncta ſilentio præteriere ſcriptores. Manuſcriptum noſtrum, præter oras maritimas Zentam, & Raſſiam omnem, Emanuele ſalvo, captas, refert in ejus quoque poteſtatem veniſſe *Rabnam*, & *Pilotam* utramque: ac inter Conſtantinopolitanorum tumultus, ex Græcorum ditionibus occupata memorat: *Gatkovo*, *Foſtno*, *Podrimam univerſam*, *Coſtraz*, *Drukovinam*, *Sitnizam*, *Labum*, *Liplian*, *Glaboſizam*, *Rekeuskam*, *Pomoraviam*, *Zagarlatu*, *Levese*, & *Belizam*. Isacio autem II. imperante (C), Niſſam urbem cum omni circum regione imperio detraxit: intra cujus urbis mœnia anno MCLXXXIX. Fridericum I. occidentis Auguſtum regio apparatu, pompaque ſuſcepit, & præſtito, ut Arnoldus Lubecenſis putat (D), homagio, in ditionibus confirmatus eſt.

Fridericus I. Imp. occidentis Niſſæ excipit.

BULG. Non erit ingratum, ſi in pauca colligam, quæ ſcriptores expeditionis ſacræ Friderici I. cognomento Barbaroſſæ, de Stephani Nemanis officiis Auguſto exhibitis Niſſæ, latius pertractarunt. Godefridus monachus (E) jam in natali Domini, expeditionem præcedente, *Servianenſis regis* legatos Egram adveniſſe author eſt, teſtaturque principis ſui gaudium ob adventum Auguſti, nobiliſſimam urbium ſuarum Niſſam ei excipiendo obtuliſſe; atque, quod præ-

(A) De hoc concilio paulo infra agemus. (B) Obiit Emanuel Imp. Orientis anno 1180. (C) Ab anno 1185. ad 95. (D) Arn. Lib. 2. Du Treſne (E) In Annalibus.

ſentia Auguſti decoranda eſſet, urbium omnium, regnique totius caput futuram decerni. Dietpoldus Patavienſis Epiſcopus (A) ſcribit Fridericum Niſſam X. Kal. Auguſti appuliſſe, & ab obviam progreſſo provinciæ principe magno comite Serviæ, adparatu magnifico exceptum eſſe, ac pertractatis negotiis, poſt dona mutuo oblata, principesque peregrinos omni anonæ genere large donatos, III Kal. Auguſti inde iter ultro promoviſſe. Codex ms. monaſterii Salmenſvelenſis (B) dignus eſt, quem propriis verbis exſcribamus: *Noſtri*, inquit, *appropinquabant Niſſæ civitati, quam cum tota adjacente provincia de Conſtantinopolitano præreptam imperio NEMAN, & CHRAZIMIRUS magni Comites de SERVIGIA, & RASSIA cum tertio fratre MECHILAVO nuper in ſuam redegerant poteſtatem* (C). *Illi, ſiquidem gratanter egrediebantur obviam peregrinis, & maxime Imperatoris adventum, prout decebat, cum ingenti pompa, & apparatu magnifico ſalutantes. Hunc honorant propenſius, hunc benignis ſtipant obſequiis. Singulis etiam principum boves, oves, vinum, frumentum, & hordeum dividentes munifice: & mercatum omnibus miniſtrantes: omnimodum Imperatori obſequium adverſus quamlibet gentem, & maxime contra Conſtantinopolitanum Imperatorem voluntarium offerentes auxilium tam de ſe, quam de ipſorum conjuratis, & amicis CALO PETRO ſcilicet, & ASANO fratre illius, qui quoque partem Bulgariæ circa Danubium, & partes Thraciæ ſubjugantes, virtute bellica obtinebant. Svadent etiam ſummopere cavendum eſſe a fermento Græcorum: & de manu Imperatoris quærunt recipere memoratam civitatem Niſſam cum illius competentiis, & totam etiam terram ipſorum: non metu Imperatoris Conſtantinopolitani, ſed ſolo Romani amore imperii, cui per hominium deſideranter ſubjici affectabant. Ad hæc ſereniſſimus Imperator, ut amator pacis, ac fidei, ſolerter pro tempore, ac convenienter reſpondit: Se, quia crucis geſtabat ſignaculum, contra Hieroſolymæ terræ invaſores velle inſurgere, non veniſſe ad terram Chriſtianorum debellandam; ſi tamen per Græciam pacificum poſſet tranſitum obtinere. Apud Niſſam igitur ſex diebus continuis ad recreationem exercitus demoratus, præmiſſis gratiarum actionibus de honore, & commoditate percepta, præfatis Comitibus vale dixit.* Ex quibus perſpicuum fit, falli Arnoldum Lubecenſem, cum Fridericum admiſiſſe homagium, & confirmaſſe Nemani ditiones ſcribit. Major erat hac parte Friderici moderatio, quam, ut in hæc aliena a ſuſceptæ peregrinationis ſcopo, etiam rogatus conſentiret. Eandem commendat & Sicardi Cremonenſis Epiſcopi chronicon, ſub eandem fere ætatem exaratum (D), ubi hæc lego: *Cum Friderici*

Scriptorum de eo narrationes.

Fridericus oblatum a Nemane homagium recuſat.

cus

(A) Apud Tagenonem Decanum Patavienſem in deſcript. exped. ſacræ Friderici I. (B) A Caniſio editus. (C) In *Chrazimiro*, *Strazimirum*, qui idem cum Conſtantino fuit: in *Mechilavo* facile *Miroslavum* fratres *Stephani Nemanis* agnoſces. (D) Obiit Sicardus Epiſc. Cremon. anno 1215

eus Niſſam civitatem appropinquaret, Comites Serviæ gratanter ſubjici affectarunt: ſed ſereniſſimus Imperator pacem affectans, eos ſuſcipere recuſavit. Nec deflexit ab hac mente, ac moribus poſt plurimas etiam injurias a Græcis per iter acceptas, & neceſſitate ſola imperante dirutam anno MCXC. Philipopolim, & occupatam Adrianopolim. Audi iterum ſcriptorem Salmenſveilenſem, novo exemplo hæc confirmantem: *Interea*, inquit, *CALO PETRUS, qui cum ASANO fratre ſuo dominabatur populis BLACHORUM, miſit Legationem Adrianopolim: diadema regni Græciæ de manu Imperatoris capiti ſuo rogans imponi, & adverſus Imperatorem Conſtantinopolitanum promittens ſe venturum cum quadraginta millibus Cumanorum illi in auxilium. Imperator vero illius petitioni amicabile, & placens pro tempore dedit reſponſum: quamvis alia cura, & majori ſolicitudine propoſitum iter perficere moneret. Amplius namque deſiderabat partibus transmarinis ſuccurrere, & videre bona Hieruſalem, quam in Græcia demorando, alienum ſibi imperium vindicare.*

IV. Quid ſcriptores domeſtici de Stephano Nemane referant.

SERBL. Stephanum Nemanem, de quo hactenus egimus, tradit Paulus Jolincius e manuſcriptis monumentis (A) in aula Franciæ regis, quem Fridericum VI. vocat, educatum fuiſſe; & cum Regi probaſſet indolem, *Comitis Franciæ* titulo, ac geminis liliis e ſtemmate regio decerptis, nobilitatum; ac denique, neſcio, quo ſanguinis nexu regi junctam Annam Culini Boſnæ Bani filiam, in thori ſociam obtinuiſſe. Eorundem manuſcriptorum teſtimonio imprimis conſpicua fuit Nemanis virtus militaris, felicitasque, nam ad Chelmi provinciam, quam hæreditate a majoribus ſortitus eſt, adjecit quam plurimas, ſic, ut pridem diſcerptam a variis Serbliam, ſub unum nerſus imperium totam collegerit, atque ita evaſerit monarcha, & auctrator Serbliæ univerſæ. Nec magis bellicoſus, quam pius in Divos erat, quorum honoribus cœnobia, & Eccleſias complures erexit. *Toplicæ* Divo Nicolao duarum columnarum, Eidem in Kanchulikak ad fluvium Ibar: Divo Georgio in urbe Raſſia: ad Coſſanizam Deiparæ Virgini; & Eidem ſub titulo in cœlos aſſumtæ Studenizæ cum inſigni, ampliſſimoque cœnobio. Poſt quæ pietatis officia, cum ex Anna tres liberos numeraret: *Stephanum, Vulcanum, & Raſcum;* regno in Stephani primocoronati manus tradito anno 6703. (B) die 25. Martii a Callinico Epiſcopo inauguratus in Monachum, Studenizæ *Simeonis* nomine claruit, ubi & ſepultura donatus eſt. Hæc noſtri de Stephano I. Nemane Archi-Zupano.

BULG.

(A) Brevis introductio in hiſtoriam Serviæ ex manuſcriptis concinnata, & notis illuſtrata per Paulum Jolincium, typis Ruſſico Imperialibus edita anno 1765. id ornate, & charactere Ruſſico. (B) Reſpondet anno Chriſti 1195.

Sententia noſtra de eodem.

BULG. Ego vero probe novi illum, quanquam ampliſſimis præeſſet ditionibus, nec *Regis*, nec *autocratoris*, aut *monarchæ* titulos ambiviſſe, ſoloque *magni Comitis*, aut *Archi-Zupani* nomine, ad extremum uſque contentum vixiſſe (A). Quæ de excitatis ab eo cœnobiis, Eccleſiisque commemoraſti, non eſt, cur in dubium vocem, aut oppugnem: novi hæc ſimiliaque a cœnobitis probe in ſcripta relata fuiſſe. His addunt alii (B) Xenodochium in Luka Tuchelenſi villa ad memoriam Stephani primi conditoris familiæ, amplo ſumtu ſuſcitatum, fundatumque. Ad hæc Biocsizam, & Oſomcsam amnes rapaces Tuchelenſe territorium perfluentes, pontibus lapideis conſtratos, & denique mulierculas, quæ tunc a præſtigiis, ac veneficiis infames erant, univerſis ditionibus abactas, extirpatasque. Sed neque dubia eſt ſingularis felicitas, ac virtus in belli, ac pacis artibus. Nam præter ſupra recenſita exploratum eſt, *Narentanam* quoque provinciam anno MCLXXI. in ejus poteſtatem veniſſe, dum principes Narentani *Eles*, *Zvezdodrag*, & *Iztok* ſe mutuis bellis laceſſunt; & mox etiam Serviæ partem illam, quam a morte *Dobruſi* Venceslava vidua mulier Panonia tenebat (C). Sic, ut poſtquam ſub annum MCLXXXV. Niſſa cum regione Niſtea ſub ejus conceſſit imperium; in fide Græcorum manſerit omnino nihil fere Serblicarum terrarum, præter tractum illum Danubii, qui a *Braniſoba Belgradum*, uſque porrigitur, urbesque, nunc dictas includit, quas novo jure Hungari; veteri vero Bulgari, arrogabant. Quare, quam paucis, tam vere Orbinus pronunciavit Archizupanum Nemanem I. inde ab oris Adriaticis ad confinia Danubii, Savi, Boſnæque regnum ſuum longe, lateque protuliſſe. Hæc, cum certa ſint, vereor, ne apud Francos male audiant, quæ de Nemanis educatione in aula Friderici VI. regis Franciæ Jolincius, neſcio unde, exſcripſit: ignorat Francorum hiſtoria hujus nominis reges, & in tota eorum ſerie nullus Fridericus ſe offert, ac multo minus ſextus.

SERBL. Ne hæc conficta putes, meminiſſe te volo Allemanos a noſtris quoque, Græcorum more, interdum Francorum nomine donatos eſſe: nec proinde in Friderici nomen, ſed numerum duntaxat VI, qui I. ſcribendus erat, errorem influxiſſe. Cum Friderico autem I. Nemanem Archizupanum jam ante annum MCLXXIV. conjunctionem affectaſſe conſtat ex Niceta ſupra relato. Deſſam autem, patrem Nemanis I, jam anno MCLXII. Manuel auguſtus coarguit, quod legatos in Allemaniam deſtinaſſet, ut ex Cinamo prædiximus: quibus quidem legatis, ſi, ut eſſe poterat, Stephanus quoque Neman filius adjunctus fuit, quid prohibet, quin paulo longius in

(A) Vide ſupra dicta ex Dietpoldo Epiſcop. Patav. & codice Salmensveilenſi. (C) Ritterus in ms in Serblia illuſtrata Lib. 3. (C) Ritterus ibidem.

in aula imperatoris moras traxerit, ejusque gratiam sic sibi demeruerit, ut, & imperii comitis honore, & diplomate sit donatus, & augusto nuptias conciliante, Culini Bosnæ Bani filiam, qualicunque nexu Friderico colligatam, redux in patriam connubio junxerit. Quæ, si tibi non plene probentur, per me licet, diploma ad posteriora tempora differ, ipsumque annum MCLXXXIX, quo Neman Fridericum I. Nissæ singulari honore affectuque suscepit: tunc enim saltem esse potuit, ut Augustus in gratiæ testimonium, imperii Romani comitibus principibus, Nemanem adscripserit, & ad aquilam bicipitem, avitum Nemaniorum stemma, lilia gemina addiderit.

BULG. Utcunque se ista habeant, non magnopere interest. Sed, quod rei caput est, nullo prorsus pacto sustineri potest, quod de tribus Nemanis I. ex Anna filiis, & monachatu; traditoque in manus Stephani primo coronati regno, additur. Nam Stephani primo coronati, Volcani, Rascique, nec pater erat Neman I., sed Neman II. Stephanus Simeon dictus (A) nec Anna mater, sed Jeliza Nissensis (B). Hic, si ubi manuscripta vestra correctione egent, Hallucinantur ergo magnopere, cum Stephano I. Nemani Archizupano Dessæ filio adscribunt tres liberos Stephanum, Volcanum, & Rascum, cumque eundem I. Nemanem in monastico instituto Simeonis nomine claruisse tradunt: sic enim, & veram principum seriem, & chronologiam perturbanr: nam principes, qui revera duo, distinctique erant, confunduntur in unum, permiscetur Stephanus I. Neman, cum II. ejusdem nominis; pater cum filio, Archizupanus cum Rege, &, quæ propria sunt Stephano II. Nemani filio Imi: hoc est, tres filii, vita monastica, & Simeonis nomen, in Nemanem I. transferuntur. Distinxerunt, & secreverunt hos principes melius Thomas Archidiaconus (C), & Orbinus, qui Stephano I. Nemani Dessam patrem, & filios duos assignant, scilicet: Tihomillum, ac Stephanum Simeonem dictum: atque ex hoc Stephano Simeone Nemanis I. filio prognatos tradunt: Volcanum, Stephanum primo coronatum, & Rascum in monachatu Sabam dictum.

Error domesticorum in Nemanis I. liberis.

Confundunt Nemanem I. cum II.

Veri ejus liberi.

SERBL. Sed cur tu fidem præstes potius Thomæ Archidiacono atque Orbino, quam manuscriptis nostris? nonne multo est pronius, ut scriptores Dalmatæ vicini, quam domestici, & in ipso regni gremio nati, hallucinati fuerint in constituenda principum nostrorum serie, quo nihil magis obvium.

(A) Orbinus. (B) Joan. Tomco Marniavizius in vita S. Sabæ, seu Rascl T. I. apud Bolandum ad 14. Januarii (C) Archidiaconus in hist. Salonitana cap. 33., & Orbinus.

BULG. Quamquam domeſticorum apud me magna ſemper ſit authoritas, ac potiſſimum in deſignanda ſerie, principumque ſuorum nominibus, & ægre credi poſſit eos in hoc genere perturbaſſe: ut tamen hic Thomæ Archidiacono potius deferam, moveor non tam ex loci, quam temporum vicinitate, qua floruit. Scripſit ille Salonitanam hiſtoriam ſæculo XIII., propinquiſſimus proinde ætati principum, in quibus nunc verſamur; cum ex adverſo, ſicut ætas manuſcriptorum veſtrorum incerta, incertusque eſt author, ita ſcripta ipſa, & manca ſint, & mendis ſcateant. Conſtat ad hæc aliorum quoque monumentorum fide indubia, Stephanum primo coronatum, quem vos Nemani I. Archizupano filium, & proximum ſucceſſorem datis, ad paulo poſteriora tempora pertinere, & tertium in regum ordine fuiſſe, ipſique in regno præviſſe tam Simeonem patrem, quam Volcanum fratrem, ut poſthac docebo. Huc demum facit Nicetæ Choniatis Scriptoris Græci authoritas, Volcano, & Stephano primo coronato principibus (A) coævi, probatiſſimique. Is vero in eandem prorſus ſententiam cum Thoma Archidiacono fertur, & diſertis verbis Nemanis I. Archizupani filium conſtituit Stephanum illum, qui monaſticam amplexus eſt: eundemque a parente Nemane I. diuturni imperii principe (B) nota duplici, hoc eſt, brevitate regiminis, & ſeceſſu in montem Papicium manifeſte diſtinguit, atque huic Stephano monacho, paucorum annorum principi filios adſcribit Volcanum, & Stephanum, qui Eudociam ſibi connubio junxit, & a vobis ipſis *primo coronatus* appellatur. Audi, & diligenter adverte ad ſingula Nicetæ verba: *Habuit*, inquit, *Alexius III. imperator tertiam quoque filiam EDOCIAM nomine, quam patruus ejus Iſacius, STEPHANO FILIO NEMANIS deſpondit Triballorum principi: verum is exiguo tempore in principatu exacto, in Papicio monte fit monachus: FILIUS VERO EJUS EODEM NOMINE STEPHANUS Eudocia paternæ ſatrapiæ domina declarata, plusculo tempore exacto liberos ex ea ſuſcepit: ſed tempus eos ab amore mutuo divulſit. Nam ille uxori pruritum libidinis, illa marito bibacitatem a diluculo primo, & aliarum mulierum conſvetudinem objiciebat. Ita diſſidio creſcente, Stephanus barbaricum conſilium capit, & exequitur. Eudociam omni veſte muliebri ſpoliat, ſola tenui interula relicta, eaque undique præciſa, ut vix pudendas partes tegeret: ita jubet abire, quo vellet. Huic pœnæ tam atroci intercedit VOLCUS FRATER EJUS: orat, ut generis rationem habeat, ſuæ famæ conſulat. Sed eum movere fratrem non poſſet, ipſe Eudociam ita ſuſceptam, ut dignitas ejus poſtulabat, Dyrrachium perducendam*

Corrigitur error ms. domeſticorum, ex coævis.

(A) Nicetas Choniates finit hiſtoriam in anno 1205. (B) Stephanus I. Neman Archizupani nomine præfuit ab anno 1172. vel ſequente, ad annum 1190.

dam curat. Quo cognito Alexius imperator (A), *& pater filiam lectica, & muliebribus ornamentis missis, in ædes recepit. CÆTERUM HI FILII NEMANIS* (B) *brevi fraternitatis jura rupere, & Volcus victor, Stephanum principatu, & patria exegit.* Ex quibus planum fit, Stephanum, & Volcum, ex Stephano Nemane filio Nemanis I. natos, hujus nepotes, non filios fuisse.

SERBL. Ex hac, quam detexisti, principum confusione, multi deinceps in historiam nostram errores chronologici, velut ex fonte perenni emanarunt: hinc quoque factum, ut gesta unius translata sint in alterum, historia omnis mirum in modum permixta, perturbataque sit. Sed hoc palmari errore historiæ nostræ detracto, & distinctis, ut oportet, Stephano I. Nemane Dessæ filio Archizupano ævi longissimi, a Stephano II Nemanis filio, qui post breve imperium in monachatu Simeon dictus, virtutum fama, ac sanctimonia claruit, & præter Rascum, filios Volcum, ac Stephanum ditionum hæredes reliquit: non erit fors operosum chronologiæ æque, ac cæteris erroribus, qui inde in historiam nostram influxerunt, mederi; & cuique principum vera initia, gesta, finemque, defigere. Subducamus igitur singulorum annos, & facta ipsa paucis delibemus.

Moritur Neman I. anno 1190.

BULG. Postquam Stephanus I. Neman Archizupanus Dessæ filius imperium suum longe, lateque per *maritimam*, *Dalmatiam*, *Diocliam*, *Tribuniam*, *Zachlumiam*, *Narentam*, *Serviam*, *Rassiamque* diffudit, supremus illi annus illuxit MCXC., cui mortem affigo, quia, sicut occupare ipsam non licet, ob ea, quæ declinante anno MCLXXXIX. apud Nissam cum Friderico egit, ita nec ultra differre, est integrum, si successorum ejus Tihomili, & Simeonis filiorum, ac Volcani, & Stephani primo coronati nepotum ætas, anni, gestaque in considerationem vocentur.

Et Tihomili filius 1191.

SERBL. Tihomili primogeniti nudum duntaxat nomen ad memoriam nostram transmisit Orbinus. Ignorare nos igitur oportebit, si quos etiam post se liberos reliquit: sed nec regnum ejus ultra anni cursum produxit: exstinctus est igitur anno MCXCI. Quare & Nicetas eundem, velut minus notum ob brevitatem regiminis, silentio præteriit, ac prorsus neglexit.

V. Succedit frater Neman II. dictus Stephanus *Simeon.*

BULG. Regimen Tihomili excepit Neman II., in regno Stephanus (C), in cænobio dictus Simeon (D), Zupanus a principio, ad

(A) Fuit is Alexius III., qui post Isacium fratrem imperavit a mense Aprili anni 1195., ad annum 1203. (B) Hinc liquet, Stephanum filium Nemanis I. dictum quoque Nemanem, proinde hujus nominis *Secundum* fuisse. (C) Hoc regni nomine apud Nicetam occurrit. (D) Apud Orbinum autem cænobitico *Simeonis.*

Simeonis gesta.

ad extremum rex factus. Iſte, cum Niceta teſte, *Scopia* everteret, nec maleficiis abſtineret, ab Isacio Imperatore bello appetitus, & conſerto ad Morabum flumen prælio, clade luculenta eſt affectus: cum enim terga vertiſſent Servii, plurimi, qua ferro, qua aquis hauſti interiere. Victor Iſacius Niſſam, & Savum flumen prætergreſſus ſocerum ſuum Belam III. Hungariæ regem adiit, auxilia veriſimilius in Bulgaros petiturus: unde poſt plurium dierum moram, hæmo declinato, Philipopolim, ac Conſtantinopolim repetiit. Idem prælium recenſuit & Orbinus, traditque *Radoslavi, ac Vladimiri* fratrum exulum gratia ab Iſacio ſuſceptum: fallitur tamen, cum id ad annum MCXC. affigit, & Nemani I. adſcribit: conſtat enim ex Niceta commiſſum fuiſſe ab Iſacio poſt ſexennium imperii; non igitur ante annum MCXCII, quo jam Neman I. in vivis non erat (A). Nec tunc ſolum, ſed ſæpe alias a Simeone laceſſitos fuiſſe Græcos, teſtis eſt idem Orbinus. Simeoni huic adſcribendum quoque eſt bellum cum Petro, Chulmiæ invaſore geſtum: quo Petrum ultra Narentam profligavit, & Andream Miroslavi patrui ſui filium, Chulmiæ principatui reſtituit: ac pace facta, partem aliquam Radoslavo juniori, Petri fratri (B) feudi nomine conceſſit, *Dobaro* duntaxat, & *Neveſina* ad vitæ ſubſidia Petro relictis. Sic amplificato principatu, ferunt primum fuiſſe *Simeonem*, qui ſe *Serbliæ, Dalmatiæ, Diocliæ, Tribuniæ, Zachlumiæque regem* inſcripſit (C). Nec deſunt, qui ab Iſacio Auguſto regio diademate, tituloque ornatum ſcribant (D). Utcunque autem ſit, quod de corona ab Iſacio ſubmiſſa ſcribitur; illud ex Niceta exploratum eſt, non pacem modo, & amicitiam, ſed affinitatem quoque inter ipſos coaluiſſe, quando *Eudociam* Alexii III. fratris filiam Simeoni deſpondit; quam, Simeone in cœnobium ſecedente, filius ejus Stephanus, Volcani frater, in thori ſociam adlegit, & Satrapiæ paternæ Dominam inſtituit.

Aſſumit Regis nomen, & filio Stephano Eudociam deſpondet.

SERBL. Si Eudociam, patri Simeoni deſponſam, Stephanus filius ſibi connubio junxit, inceſtas iniit nuptias, &, quas vix Eccleſia noſtra probaverit.

BULG. Mitius Nicetam interpretandum opinor, ſic nempe: ut Eudocia Simeoni quidem, at pro Stephano filio deſponſa fuerit. Nam, nec patris pietas filio ſimiles nuptias admiſſura erat: nec veriſimile eſt, tam levi, ac deſultorio animo Simeonem fuiſſe, ut eodem

---

(A) Iſacius ſexennium imperii abſolvit anno 1191. (B) Luccarius: qui hic præ Orbino audiendus eſt. (C) Orbinus. (D) Paulus Jolincius, & Ritterus, uterque tamen fallitur, cum aiunt, coronam ab Iſacio miſſam Stephano primo coronato.

dem prope temporis articulo, & ſibi conjugem deſponderit, & cœnobium ingreſſus ſit. Adde, quod conjux ſuperſtes, eodem cum Simeone die cœnobium B. Virginis prope Raſſam urbem ingreſſa ſit, in quo deinceps Anaſtaſiæ nomine claruit (A). Hæc cum ita prorſus videantur eſſe, explorandus jam annus venit, in quem Simeonis ſeceſſus, & Stephani cum Eudocia nuptiæ conferri recte poſſint. Hic fortaſſe manuſcripta veſtra chronica lumen aliquod nobis affundent.

SERBL. Univerſa, quæ de ſeceſſu Simeonis hiſtoria noſtra memoriæ prodiddit, accipe: ait: exemplo, ac hortatu pio Raſci, ſeu Sabæ filii permotum, ardens famulandi Deo ſtudium animo concepiſſe, ſtimulanteque fervorem ejus Divino numine, heroico prorſus facinore, corona poſita in Studenizenſe cœnobium ſe abdidiſſe, & a *Callinico* Epiſcopo, exquiſito pietatis affectu, minore, ac majore habitu in monachum inauguratum fuiſſe anno 6703. (B) die 25. Martii. Exactis autem annis duobus Studenizæ, montem Atho adiit, ibique in clauſtro Batopedi erectis ſex ſacellis, poſt annum unum, & menſes quinque Chilantharium transiit, inſtauratoque ad religioſum nitorem, & commoditatem cœnobio, ab Alexio III. filii ſui ſocero impetravit, ut id Deſpotarum Serviæ proprium deinceps eſſet, nec juri alterius, quam imperiali obnoxium: ubi poſt octo menſes, curſum vitæ opinione Sanctimoniæ abſolvit. Depoſitio corporis die XIII. Februarii anno 6708. (C) ritu ſolemni celebrata eſt: atque poſt evolutos a depoſitione annos octo (D), cum Sabas cœnobii præſes, ad Volcani, & Stephani fratrum preces patris ſepulchrum aperuiſſet, corpus, quod illæſum, integrumque comperit, acceptum ſecum occurrentibus in Foſtno fratribus, Principibus, Epiſcopis, Igumenis, Magnatibus, Clero, populoque venerandum exhibuit, ſolemnique pompa Studenizam intulit. Hæc noſter hiſtoricus.

Exemplo Raſci filii ſecedit in cœnobium an. 1195.

Anni Monachatus Simeonis, ſanctimonia, & translatio.

BULG. Annum ſuſcepti a Simeone Monachatus apte conſignavit hiſtoricus veſter. Nam cum Iſacio imperante, & Simeon ſceptrum poſuerit, & deſponſam Eudociam Stephani filii connubio junxerit (E); ſeceſſus Simeonis ſupra annum MCXCV. differri nequit, cum Iſacius conſentientibus chronologis anno eodem, 10. Aprilis a fratre Alexio III. throno deturbatus ſit. Et quoniam univerſum monaſticæ ejus tempus variis in cœnobiis peractum, ſubducto in unum calculo, curriculum primorum quatuor Alexii annorum occupat, mors ejus neceſſario in Aprilem anni MCXCIX., quo quartum

Obiit 1199.

(A) MS. Servicum. (B) Reſpondet anno Chriſti 1195. (C) Eſt annus Chriſti 1200. (D) Id eſt 1208. vel ſequens. (E) Nicetas Choniates.

imperii annum Alexius absolvit, conferri debet. Hunc annum & Stephanus filius confirmat, cum in epistola anno eodem ad Innocentium III. data, patrem cum addito *bonæ memoriæ* allegat; ea enim phrasi, scribendique formula satis indicat, Simeonem jam tunc humanis excessisse (A).

SERBL. Reliquum jam est, ut Stephani, ac Volcani quoque initia, gesta, finemque evolvamus, & quo lux narrationi affundatur, annis suis illigemus. Nostri tradunt a parente regnum Stephano in manus traditum; magni Knezy dignitate in Volcanum juniorem collata.

VI. Filius Volcanus successit in regno.

BULG. Traditionem hanc vestram refellunt monumenta certissima, quæ imposterum proferemus. Ex iis clarum fiet, sub ipsa fere principatus utriusque exordia *Volcanum* nomine regio *Diocliæ*, *ac Maritimam* gubernasse: *Stephanum* vero magni Zupani titulo *montanæ Serbliæ* præfuisse: cujus, uti proprium sigillum erat, quod Lucius (B) produxit, ita incisa epigraphe. *SPHRAGIS STEPHANU MEGALU ZUPANU TU NEMANIA* dignitatem confirmat. Sed, quod vos fefellit, adduxitque, ut Stephanum Volcano in regno præponeretis, erat procul dubio titulus *primo coronati regis*, quem Stephanus gessit: sed nos ejus apellationis causam alio loco exponendam reservamus. Volcani, qui in regno præivit Stephano, bella cum exteris aut nulla fuerunt, aut a scriptoribus silentio sunt præterita. Sed neque stirps conjugis ejus mihi innotuit: de sua cum Innocentio III. affinitate ipsemet gloriatur (C). Filium ejus lego *Stephanum* magnum Zupanum: nepotem *Demetrium*, pronepotem *Vratkum*, ex quo denique *Milizæ* futura olim conjux Lazari magni Knezii, processit (D). Ad annum usque MCC. exeuntem, concordiam cum fratre coluit: hac abrupta, cum a Stephano regno dejectus fuisset, ad Emerici, Hungariæ regis præsidium confugit, ejusque auxiliis, & amissum recepit regnum, & Stephanum fratrem Zupanatu, ac ditionibus exutum, in exteras oras ejecit anno MCCII. (E). Calo, Joannes Bulgariæ imperator exulis Stephani patrocinium suscepit anno MCCIII, & devastatis Serviæ terris, Stephanum in Zupanatum reduxit: dein Braniſobam cum reliquo terrarum tractu Danubio Belgradum usque adjacente, quem Emericus anno superiore pro se occupaverat, Bulgariæ imperio, cujus ab olim fuerat, vindicavit (F). Evolvent hæc, firmabuntque documenta, quæ subinde proferemus. Restituta ad hunc modum

Stephanus in Zupanatu.

Volcani cum Stephano dissidia.

(A) Epistola Stephani Mega Jupani ad Innoc. III., quam infra referemus. (B) Lucius p. 256. (C) Epist. Volcani ad Innoc. III. infra referenda. (D). ms. Servicum. (E) Epist. Emerici Hungar. regis ad Innoc. III. (F) Ejusdem ad Innocentium : & responsoria Innocentii.

modum Serviæ pace, ac fratrum concordia anno MCCIII. Stephanus in priſtina magni Zupani dignitate perſtitit, quoad Volcanus rex vixit, cujus obitum in annum MCCXIX. incidiſſe alibi teſtimonio probabimus. Volcanus obiit 1219.

SERBL. Stephanus Eudociam, quam Imperatore Iſacio anno MCXCV. duxerat, poſt ſuſceptos ex ea liberos aliquot, felicem complurium prolium matrem, duritie incredibili thoro, ac ditionibus expulit (A). At, quis indigni ejus facti annum nobis deteget? VII. Geſta Stephani in Zupanatu, & regno.

BULG. Alexio III. Imperatore id eveniſſe exploratum eſt, & ante, quam fratrum concordia ſolveretur: igitur ante annum MCCI., quo bella inter fratres fervere ceperunt; quem fuiſſe ipſum annum MCC. in finem declinantem, ſvadet quatuor liberorum numerus, quem manuſcripta veſtra ipſi tribuunt, qui tempus anguſtius facile non admittit. Hanc filiæ injuriam cum patris dedecore conjunctam ægerrime tuliſſe Alexium III. cum videatur certiſſimum, armis tamen vindicaſſe a nullo eſt proditum. Barbaricum iſthoc facinus Stephani, excepit bellum inteſtinum, ac biennio fratres exercuit. Pace interventu, ac armis Calo Joannis Bulgariæ Imperatoris reſtituta anno MCCIII. fratres & invicem, & cum Latinis Conſtantinopoleos Imperatoribus amicitiam coluere: ſed nec cum Hungaris, Bulgarisque diſſidii illis quidquam fuit. A Calo-Joannis tamen morte, cum Bulgaria inteſtino bello conflictaretur, octennio ipſo, hoc eſt ab anno MCCIX. ad XVII. Borila, cum Joanne Aſane pro throno contendentibus; Stephanus occaſionem nactus, tractum Danubio adſitum *Braniſoba*, *Belgradum* uſque tendentem ſuo principatui adjecit, retinuitque (B). Eudocia cum a repudio, poſt dejectum etiam throno patrem Alexium III. Conſtantinopoli degeret, anno MCCIV. vivo Stephano primo conjuge, abuſu Græcis familiari, nuptias alteras cum Alexio Duca, imperii invaſore celebravit, & poſt hujus interitum *Sguro* tertium copulata eſt. Stephanus, ut catholicum principem decuit, thoro viduus perſtitit, dum denique Eudocia vivis erepta, ſolutus connubiali vinculo, ad altera vota ſub annum MCCXVII. tranſiit, Henrici Danduli nepti connubio ſociata. Inſignitus corona regia an. MCCXX. *Regis primo coronati* titulum ſortitus eſt: evolutoque a coronatione triennio, regno, & vitæ finem impoſuit anno MCCXXIV. cum univerſim, qua Zupani, qua regali nomine præfuiſſet Serbliæ annos octo ſupra Stephanus coronatur anno 1220. Obiit 1224.

(A) Nicetas Choniates. (B) Hanc injuriam Joannes Aſanes ultus eſt vaſtitate illata Serviæ: ditionem tamen Danubianam apud Serblos remanſiſſe evincunt Epiſcopatus a S. Saba paucos poſt annos Eccleſiæ Pechienſi aggregati: puta *Belgradi*, *Moravæ*, *Branichevo:* de quibus infra.

ſupra viginti. Quæ nunc obiter aſſerta, documentis ſubinde ſulciemus.

SERBL. Deducta, & primis velut lineis adumbrata ſtirpe Nemania ab origine ad exitum Stephani primo coronati regis, & conſtituta veriore principum ſerie cum initiis, ac fine ſingulorum. Quis tibi jam de eorum religione ſenſus? Opinor ego Nemanios principes, uti ex ſacerdote ritus Græcanici orti, progreſſique ſunt, ita & conſtanter ritum a majoribus hauſtum profeſſos eſſe. His vero talibus principibus, ſacra Latina per Serbliam, atque imprimis nexum, communionemque cum Romana ſede labefactatam eſſe, fors nec tu ipſe inficiari audebis.

VIII. Inquiritur in religionem Archi-Zupanorum Nemaniorum.

BULG. Principes domus Nemaniæ Græca ſacra ſequutos non diffiteor, ſub ipſorum dominatu, ſicut Eccleſiæ plurimæ per Serbliam excitatæ ſunt, novique Epiſcopatus invecti, ita & Græci ritus miniſtros magnis incrementis auctos, ac dilatatos fuiſſe, facile concedo. Quin & cum identidem minore, ac par erat, delectu ex vicinis provinciis bello captis accerſuntur ſacerdotes, jam dudum antea Græcorum ſententiis imbuti, fatebor non invitus, adaucto ritu ſacrorum Græcanico, errores quoque late propagatos majorem Serviæ partem corripuiſſe, ut in gente ſimplici, ac credula, ſacerdotumque reverentiſſima, nec ſatis gnara ritum pium, ſanctumque a pravis opinionibus, dogmatisque ſecernere. Nec tamen inter hæc mala, principes ipſos Nemanios a Romana Eccleſia, rituque Latinorum tam alienos, ac tibi perſvades, exſtitiſſe, multa ſunt, quæ comprobent.

Non erant infeſti Latinis, nec ſacris eorum.

SERBL. Perſpicio quo tendas: adferes in Exemplum *Belæ Uros*, familiæ caput, qui Helenam filiam Belæ II. Hungariæ regi collocavit: fratres præterea Helenæ in regia Hungariæ catholice educatos. *Deſſam*, Uroſii filium a Græcis abhorrentem, Alemanæ conjugium ambientem, in Hungaros toto animo propenſum, ac ultro eis ſummum Serviæ imperium non ſine livore Græcorum deferentem: ejus filiam anno MCLXII. Michaelis ducis Venetiarum filio Leonardo Auſeris Comiti nuptam. Induces demum, & Nemanem I. alterum ſtirpis ſuæ conditorem, qui Antibarenſi ſuo Archi-Epiſcopo ritus Latini ſuffraganeos veteres vindicavit, & perinde, ac Deſſa parens Fridericum I. Romanum occidentis imperatorem coluit, molientemque in Paleſtinam expeditionem ſacram, per legatos Egram miſſos officioſiſſime invitavit, & Niſſæ, quam magnifica pompa, tam luculento affectu ſuſcepit, donis ampliſſimis excoluit, vaſtum, quem Imperator ducebat, exercitum, ipſos ſex dies aluit, fovitque, ſuo, ac fœderatorum Bulgariæ principum nomine auxiliares exercitus ampliſſime obtulit, atque in clientelam ejus concedere, & arctis homagii vinculis adſtringi, ſubjicique *ſolo Romani amore imperii* ardenter expetiit. At hæc quamcunque magna principum Serblorum in Latinos

reges

reges propenſio, fœdera, amicitiæ, connubia, cognationesque, nondum ſunt argumentum communis, ac conſentientis apud utrosque religionis, nexusque cum ſede Romanorum Pontificum. Cuncta hæc Græcis quoque Imperatoribus familiaria, uſitataque per hæc tempora fuere, ac cumprimis affinitas cum Latinis. Et ne longe abeam, Geiſæ II. Hungariæ regis frater Stephanus, Mariam Comnenam connubio ſibi copulavit. Belæ III. Conſtantinopoli educato Maria Manuelis Auguſti filia primum deſponſa fuit, poſtea vero ſoror Imperatricis obvenit. Denique, ejusdem Belæ III. filia Iſacio II. in thori ſociam collocata eſt: cum tamen inter hæc Græci alieniſſimi a Romanæ Eccleſiæ dogmatis, ſacrisque Latinis fuerint.

BULG. Si hæc, ut ais, non ſunt argumenta propenſi, vel, ut minus dicam, non abhorrentis a ſacris Latinis animi, cur igitur hodie non ita promiſcue inter ritus utriusque homines nuptialia celebrentur fœdera? Græcos, quos tu a Romanis ſacris abhorruiſſe dixeras, non alieno penitus animo fuiſſe docent epiſtolæ Manuelis ad Ludovicum Francorum regem, & Alexandrum III, & utriusque ad Auguſtum. Alexium III. promtum ad ſanciendam Eccleſiarum concordiam animum geſſiſſe teſtantur ejus ad Innocentium III. literæ: quam denique Alexius IV. complexus eſt. Cæterum, ut his non nitor, ſic nec longius immorabor. Eſt præterea aliud, quod *Deſſæ Archi-Zupani* proclivem in Eccleſiam Latinam animum commendet. Is, cum an. MCLI. ſoli adhuc Chulmiæ Dux præeſſet, tribus ex Divi Benedicti ordine Romani ritus Monachis: Marino, Simeoni, & Ioanni Meledam inſulam, omnemque ejus proventum cum incolis, ſingulari pietatis exemplo donum dedit. Privilegium donationis, quod annis multis in Eccleſia Divo Michaeli ſacra, ubi a principio Monachi degebant, ſervabatur, proceſſu temporis in templum ſanctæ Mariæ, cœnobiumque favore Raſſiæ principum erectum, translatum fuiſſe teſtatur Orbinus (A): ut adeo recte concluſiſſe videatur in hæc verba: *Deſſa Banus fidei catholico Romanæ perquam affectus, amplexurus etiam indubie eandem fuerat, niſi metus amittendi Dominii per ſuos Barones eum retinuiſſet.*

Deſſæ propenſio in ſacra Latina.

SERBL. Sint hæc, ut voluiſti: ſed ſub Stephano Nemane I, Deſſæ filio, ipſe quoque principum animus in pejus mutatus videtur, & ſacerdotum Serblianorum in ſacra Latinorum odium ad ſummum excrevit. Nam hiſtoria noſtra manuſcripta *Latinos* ejus temporis diſerte jam *hæreticis* accenſet, & baptiſmum, quem Neman I. de manu illorum ſuſceperat, teſtatur irritum in Eccleſia Serbliana, & nullo fuiſſe loco habitum, atque idcirco in Raſſia repeti-

IX. De Stephani Nemanis I. baptiſmo in Raſſia.

(A) Orbinus p. 245.

tum: verba ipsa historici nostri subjicio (A) *Venit*, inquit, *Neman in terram suam Rassiam, & ingressus primum est in Ecclesiam Sanctorum Petri, & Pauli, quæ est in medio Rassiæ: suscepitque illic baptismum ex manu Archi-Episcopi Domini Leontia, cum esset ætatis annorum triginta: a quo & myrha unctus est: PRIUS AUTEM BAPTIZATUS FUIT A LATINIS HÆRETICIS IN TEMPLO SANCTI ARCHI-STRATEGI MICHAELIS: & inde venit in Rassiam, & secundo baptizatus est, ut supra diximus.*

BULG. Zentæ Ecclesiam S. Michaelis Archi-Strategi, Græci ritus fuisse, vel inde apparet, quod paucos post annos, per sanctum Sabam in Episcopalem ejusdem ritus provecta sit: non itaque assequor, qui fieri potuerit, ut Neman I. princeps Græcanico ritu educatus, in Ecclesia eadem a Latinis hæreticis baptizatus fuerit? verum, ut & hoc permittam: audeo dicere: nimium invidiose, nec satis exacte ad mentem historiæ vestræ te opinari, Latinos universe, omnesque ab Ecclesia Serblorum, Rassiæque, hæreticis connumeratos, eorumque baptismum nullo loco habitum. Fuit quidem jam tunc hæc Cerularii asseclarum apud Græcos dementia: at Serbli nondum eo prolapsi fuerant: hi enim paulo mitius, & communi fere cum Bulgaris sensu Latinos nondum in hæreticorum numero habebant (B): quanquam & istorum pars malis præeuntium Græco Cerulariorum exemplis, at multo serius, ut subinde dicemus (C) sint abducti. Certe, si is error jam tunc pervasisset Serviam, exstaret ejus vestigium aliquod in Synodo non multis posthac annis apud Serblos celebrata (D). Sic ergo hoc loco gentis vestræ historiam intellige: Bogomilorum seu Patarena hæresis Bosnam, Chulmiam, Zentam, cæterasque maritimas Serbliæ, Dalmatiæque provincias late jam infederat, & Latini perinde, ac Græci ritus homines, Ecclesiasque cum ipsis sacrorum ministris corruperat. Hinc dilatio baptismi in virilem ætatem fluxit. A tali igitur sacerdotum aliquo, cum Neman I. Zentæ (E) ritu Patarenorum sacrilego baptismo initiatus fuisset; sapienter, & ex veræ Ecclesiæ instituto factum, quod in Rassiam adveniens, per manus Archi-Episcopi, ritu christiano sacris undis ablutus sit, sacroque perunctus ceromate.

Rassiæ Ecclesia reformavit in Nemane baptismum Patarenorum.

SERBL. Reformavit igitur, opinione tua, Rassiæ Ecclesia Patarenorum duntaxat baptismum, quem seu Latinorum, seu Græcorum aliquis ea inquinatus hæresi, Nemani I. contulit, sic tu historici

(A) MS. Servicum. (B) Vide dicta Colloquio IV. (C) Nempe Colloquio 8. & 9. (D) Hoc est anno 1199., quam paulo infra producemus. (E) MS. Servicum.

rici noſtri mentem explicas. At unde, aut quibus momentis probabis, Zentæ ritu Patareno baptizatum Nemanem? unde hæc peſtis? quibus initiis, quo ævo has noſtras ingreſſa regiones eſt? quæ ejus dogmata? quis baptizandi ritus? ut baptiſmo novo corrigi debuerit.

Hiſtoria Sectæ Patarenorum.

BULG. Nimium multa tu in unum collegiſti; patere, ut ſingula ordine expediam. Bogomilorum, ſeu Patarena, una, atque eadem ſecta fuit, conflata ex Manichæorum, Maſſilianorum, & Paulicianorum deliriis, ſedes hæreſeos prima, imperante Baſilio I., fuit Tebrica Armeniæ civitas. Petrus Siculus, cum imperiali illic legatione fungeretur, blasphema eorum dogmata comperit: atque cum detexiſſet propoſitum eſſe ſectariis, in Bulgariam recens ad Chriſtum converſam colonias emittere: novellos, ac ſimplices Chriſtianos pervertere; ſcripto mandavit ſectæ hiſtoriam, impia dogmata refutavit, opuſculumque omne Bulgariæ Archi-Epiſcopo inſcripſit, dicavitque, hortatus ad vigilantiam, & peſti imminenti reſiſtendum. Et tum fortaſſe reſtitum eſt. At, poſtquam infelici conſilio Theodori, Antiocheni Præſulis, hæretici illi ex Aſia collecti per Ioannem Zimiſcem Imperatorem in provinciam Philipopolim translati ſunt ſub annum 969, ut illic, velut ſub conſpectu eſſent, malumque in medio chriſtianorum dediſcerent, contrarium prorſus evenit: nam, cum ibi aliquamdiu ſub ſpecioſo *Bogomilorum*, ac *Paulicianorum* nomine clanculum ſerpſiſſent, impediri non potuit, quin ſubinde in Bulgariam ſe clam malum penetraret, multorumque circum vicinorum animos veneno ſuo inficeret. Peſtis hæc latenter ſerpens, providentia, & artificio Alexii Auguſti tandem paulum ante annum MCXVIII. detecta eſt. Sectæ primipilus Baſilius fuit, gente Armenus, profeſſione medicus, habitu, totaque corporis compoſitione ſeverus monachus. Is cum pertinaciſſime erroribus inhæret cum Apoſtolis duodecim, quos collegio ſuo adlegerat, rogo damnatus, interiit. Nec his tamen flammis abſumta eſt hæreſis, imo ignis inſtar celeritate magna finitimas Græcorum, Bulgarorum, Serbliæ, Boſnæ, Dalmatiæque regiones corripuit, pervaſitque, in Gallias uſque, Italiamque ſe penetrans. In Bulgaria, Græcia, & Oriente ſub ſpecioſo *Bogomilorum* a Dei dilectione, & *Paulicianorum* a ſancto Paulo repetito nomine: in Italia, Bosnaque ſub *Chriſtianorum*, aut *Patarenorum*: in Galliis demum ſub *Albigenſium*, & *Valdenſium* nominibus, veræ Chriſti Eccleſiæ diu inſultavit, eoque ſubinde ambitione excrevit, ut Papam ſibi, ac Vicarium conſtitueret, nec infimam tantum populi fœcem, ſed in Boſna cumprimis, vicinisque regionibus principes quoque viros, ac mulieres, quin & Epiſcopos in transverſum ageret. Condemnata eſt hæc ſecta anno MCXLIII. Conſtantinopoli, ſub Michaele Oxita Patriarcha in concilio, cui etiam Ioannes Comnenus, Bulgariæ Archi-Epiſcopus adfuit: damnati errores, depoſitique fuere duo Bogomilorum aſſeclæ, Clemens Soſimorum, & Leontius Balbiſſæ in provincia Tyanorum Epiſcopi. Nec ſegnius in eandem peſtem egere Romani Pontifices,

Alexander III. in Lateranenſi III. Synodo anno MCLXXIX, & Innocentius III. in quarta anno MCCXV.

SERBL. Impia Bogomilorum placita, blasphemiasque in pauca collige, & fanaticorum hominum formam, modumque baptiſmi exhibe.

Dogmata eorundem.

BULG. Cuncta complexus eſt Harmenopolus (A), & Euthymius Zygabenus (B), præcipua accipe: Duo principia adſtruebant, bonorum unum, malorum alterum: & quia Dei boni opus non eſſet, teſtamentum vetus aſpernabantur, pſalterio, & Prophetis demtis. Deo, non perſonas, ſed tria duntaxat nomina tribuebant. Filium, & Spiritum ſanctum ante annum mundi 5500 exſtitiſſe inficiabantur, Filium a Patre, a Filio Spiritum ſanctum, & ab hoc Judam, cæterosque Apoſtolos genitos delirabant. Patrem fingebant corporeum, cujus filius major natu Verbo præſtantior Sathaniel dictus ſit: ſed, cum ſeditionem molitur, cælo ejectum, firmamentum, terram, plantas, animantia, ipſumque hominem procreaſſe. Verbum, alterum nempe patris filium, a Michaele Angelo diverſum non fuiſſe: hunc de cælo deſcendiſſe, & induta ficte humana ſpecie, paſſionem, mortem, & reſurrectionem ſimulaſſe. Atque, ut cætera eorum deliria præteream; mores ſuorum ſic informabant: Miſſæ ſacrificium erat illis ludibrio, crucem execrabantur, matrimonium ſugillabatur: malis ſacerdotibus poteſtatem omnem detrahebant, cultum iconum idololatriæ damnabant: docebant fidem inſtante periculo ſimulari poſſe, & dœmones ipſos colendo, ne obſint. Nulla, præter Dominicam orationem, illis probabatur: hanc vero die ſepties, nocte quinquies frequentabant. Cum ſolos adultos baptiſmo idoneos docerent, parvulos rationis impotes arcebant: Catholicæ Eccleſiæ baptiſmum dicebant eſſe Ioannis: ſuum vero Chriſti, quod per Spiritum fiat. Transeuntes ad caſtra ſua in hunc modum baptiſmo initiabant: poſtquam candidatus ſtato tempore, confeſſionem peccatorum, precationesque peregit, capiti ejus Evangelium imponebant, factaque invocatione ſancti Spiritus, concentu orationis Dominicæ, ritus baptiſmi abſolvebatur.

Ritus baptiſmi Patarenorum.

SERBL. Si hoc tali ritu baptizatus fuit Neman Zentæ, neceſſario ſane, & ex diſciplina Eccleſiæ chriſtianæ factum, quod in Raſſiam appulſus, ſacro fonte ex Chriſti inſtituto ſit ablutus, unctusque. At unde, vel quo indicio didiciſti, Stephanum Nemanem profano Patarenorum baptiſmo Zentæ Bogomilorum cætui authoratum fuiſſe?

BULG.

(A) L. de ſectis. (B) Panopliæ P. 2. Tit. 29. in Bibliotheca maxima Patrum.

BULG. A multo jam tempore ſecta hæc Philipopoli, & ex Bulgaria progreſſa, *Dalmatiam*, *Chulmiam*, *Tribuniam*, *Zentam*, aliasque Serblicas provincias invaſerat cum omni *Boſna*: afflati hoc malo, aut parvulis negabant baptiſmum, aut in virilem ætatem, Chriſti exemplo differendum ſvadebant. Hoc veneno jam infecti erant, & ipſe Culinus, Boſnæ Banus, Nemanis ſocer, & uxor Bani, & ſoror, nupta Miroslavo fratri Nemanis: diu tamen pro ſectæ inſtituto ſimulabatur ab omnibus ſanctitas religionis catholicæ. Quid ergo pronius, faciliusque erat, quam, ut Chelmi, Trebinæ, ac Zentæ principes juvenes Miroslavus, Conſtantinus, ac Neman fratres, vicinitate ditionum, belli fœderibus, & arcto affinitatis vinculo colligati Culino, in eandem impietatem traherentur, atque, ſicut gentis veſtræ hiſtoria perhibet, Neman Zentæ in Eccleſia ſancto Michaeli dicata a corrupto eadem hæreſeos labe ſacerdotio, ſeu Latino, ſeu Græco potius, Patarenorum baptiſmo ſit luſtratus paulo prius, quam arma adverſus Vladimirum expediret, hoc eſt ſub annum MCLXXI. Sed Nemanis hæreſis, vitiumque baptiſmi, vix occupata Raſſia continuo patuit, remediumque accepit. At Culinus cum a multo tempore in cute hæreticus eſſet, diu adhuc poſtea, hoc eſt: ad annum uſque MCXCIV. ſimulata fide catholica, illuſit Eccleſiæ. Certe in Romano catholicorum more non erat, graſſante potiſſimum ea hæreſi, ultra teneram ætatem baptiſmi miniſterium differre, ut hoc etiam indicio ſe a Patarenis ſecernerent.

Quem Zentæ Neman ſuſcepit.

SERBL. Poſt hæc, tam diſerte expoſita, aſſentior & ipſe non Eccleſiæ Romanæ baptiſmum, qui Chriſti inſtitutioni conformis erat, & in tenera ætate illis præcipue temporibus conferebatur, ſed Patarenorum longe a Chriſti legibus aberrantem, ac adultis duntaxat tributum, in Raſſia damnatum, reprobatumque fuiſſe. Do ergo tibi Serbliam cum Bulgariæ Eccleſia (A), mitiorem ſemper in ſacra Romana ritusque exſtitiſſe, nec odia noſtrorum ſacerdotum adverſus Latinos tunc adhuc ad ſummum pertigiſſe. At, tu quoque dabis nexum Eccleſiæ noſtræ cum Romana ſub dominatu Nemaniorum principum ſæculo hoc XII. apud Serblianos, qui græco operabantur ritu penitus exoleviſſe, licet Latinæ per Serbliam Eccleſiæ multæ illæ, ac præſtantes, quas Antibarenſi Archi-Epiſcopo Nemanes vindicavit, in communione, fideque ſedis Apoſtolicæ perſtiterint.

(A) Recole ex Colloquio IV. ſententiam Demetrii Chomateni Achridæ Bulgarorum Archi-Epiſcopi, qui Eccleſiæ illi præfuit exeunte Sæculo XII., & Principio XIII. poſt captam a Francis Conſtantinopolim: & ſubinde Theodorum Angelum Comnenum Theſſaliæ principem imperii corona inſignivit.

X. Serviæ reges fine Sæculi XII, & XIII. initio catholici.

BULG. Quid ais? imo XII. hoc ſæculum pulcherrimis in ſedem Romanam reverentiæ, obſervantiæque principum Nemaniorum, licet Græcum ritum ſequerentur, exemplis dives plane, & confertum eſt.

SERBL. Novum hoc mihi eſt, ac pene inſolens. Poſt Stephanum I. Nemanem Archi-Zupanum, Serblis imperaſſe regio nomine diximus *Stephanum Nemanem II.* in cænobio *Simeonem* dictum, a vitæ ſanctimonia conſpicuum: huic *Volcanum*, ac denique *Stephanum primo coronatum* in regno ſucceſſiſſe: fratrem vero iſtorum *Raſcum* in cænobio *Sabam* dictum, virtutum laude, & prodigiis quoque claruiſſe. An vero iſtorum eſt aliquis vel unus, qui Eccleſiæ Romanæ communionem ambiverit, aut complexus ſit? aut ſigno quocunque tenuiſſimo, ſupremam ejus in ſacra Serblianæ Eccleſiæ authoritatem agnoverit, aut teſtatus ſit?

BULG. Non unum, aut alterum iſtorum principum, ſed omnes quatuor, hoc eſt: *Simeonem* patrem, filiosque *Volcanum*, *Stephanum*, *ac Sabam*, ſupremam Eccleſiæ Romanæ in ſacris poteſtatem agnoviſſe, & filiali amore, ac obedientia proſequutos eſſe, tot argumentis teſtatum habeo, ut hoc in controverſiam vocare temerarium prope videatur.

SERBL. Nec domeſtica noſtra manuſcripta, nec Dalmatæ ſcriptores, quanquam ritus Latini, Thomas Archi-Diaconus, Orbinus, Luccarius, aut Lucius, de commercio, vel communione Simeonis regis cum ſede Romana meminere. Hujus tantæ rei veſtigium nuſpiam lego. Unde ergo, aut quibus ex documentis tu eandem erues, deducesque? Tacent hiſtorici, quos fere ſolos habemus. Intereſſet ſane noſtrum omnium hanc *Simeonis* cum Eccleſia Romana conjunctionem, quam obtendis, cognoſcere, & in publicum proferre. Iſthoc ſolum nos inter, ac Romam unionis negotium mirum in modum proveheret, viamque, ad ſcopum eundem attingendum proniſſimam ſterneret, poſtquam Eccleſia Serblica, quin, & Græcorum *Simeonem* patrem cum *Saba* filio primo Pechii Archi-Epiſcopo, in ſanctorum album retulit, & priorem ad XXIX. Septembris, ac XIII. Februarii, poſteriorem ad XIV. Januarii colit (A). Antiſtites vero noſtri, eorundem Sanctorum, ac S. Arſenii Archi-Epiſcopi Sabæ ſucceſſoris invocatione, juramenta ſua, more ab olim deducto, hodieque confirmant (B).

BULG.

(A) Conſtat ex Calendario tabularum Græco moſcharum in deſcriptione cænobii Chilantharii, & Batopedi montis Atho. (B) Formulam juramenti vide in Regulamento Nationis Illyricæ.

Serviæ R. Stephanus Simeon Catholicus.

BULG. Stephanum Simeonem regem, Romanam Eccleſiam, ejusque ſummos paſtores filiali obſervantia coluiſſe, ac præceptis eorum conſtanter paruiſſe, ut ad liquidum, & firmiſſima authoritate demonſtrem, filium ejusdem *Stephanum primo coronatum regem* teſtem appello. Is vero ad Innocentium III. ex magno ſuo Zupanatu ſcribens (A), poſtquam Innocentium tanquam patrem, & caput Eccleſiæ eſt reveritus, teſtatur diſerte, ſe hoc paterno exemplo, imitationeque agere: *Nos*, inquit, *ſemper conſideramus in veſtigia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut bonæ memoriæ Pater meus, & præceptum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ cuſtodire.* Neſcio, quid huic tali teſtimonio in cauſa patris objicies: ignorantia rerum lapſum dicere haud potes: filio enim intima paternorum ſtudiorum, actionumque cognitio haud defuit. Sed nec aliunde fides tanto principi in re proxima, ac obvia detrahi poteſt: nam ſcribit de patre recens, & nuper admodum mortuo, ſcribit de teſtata ipſius erga ſedem Apoſtolicam obedientia ad Pontificem Romanum, cui acta, commerciaque proximorum ſuorum præceſſorum cum regibus, ignota haud eſſe poterant. At, quod ſatis deplorare nequeo, ipſa Simeonis monumenta propria in manus noſtras nondum pervenerunt, quæ utinam aliquando perveniant.

SERBL. Eſt hoc quidem, quod & ipſe percupio, nec tamen angor, quod adhuc deſit, lateatque. Stephani magni Zupani de Simeone parente judicium, teſtimoniumque, eſt mihi inſtar monumentorum paternorum, ut citra ambages Simeonem Romanæ Eccleſiæ cultoribus, ac membris connumerem. In quo numero, ſi & filii exiſtitere, dubium omne de patre peremtum eſt: nec ſcio, quid nos porro retinere poſſit, quin toto animo regum, Sanctorumque, quos veneramur, veſtigia ingrediamur, & conſtanter premamus, nosque totos Romanæ Eccleſiæ, cujus ab olim fuimus, poſtliminio reſtituamus.

Volcan. II. rex, & frater Stephanus Catholici.

BULG Laudo tam ſancte in te comparatum animum: *Volcanum* quoque, ac *Stephanum* reges inter Eccleſiæ Romanæ clientes, filiosque ſecure, & citra metum repono. De quo, ut dubitatio omnis diſſipetur, quæ mihi ad manum ſunt, & Innocentii III. literas, & utriusque principis reſponſorias exhibeo (B). Hoc literarum commercium cum ſede Romana ſuſceperunt ambo principes ſtudiis concordibus anno MCXCVIII., deſtinatisque ad Innocentium oratoribus, ac literis, obedientiam ſedi Apoſtolicæ detulerunt, atque ab eadem nuncios ad ſe, regnumque mitti ſupplices exorarunt, quorum doctri-

(A) Epiſtolam infra referemus. (B) Ex Lib. 2. epiſtolarum Innocentii III. Pariſiis, & Venetiis editarum.

doctrina ſalubri, prædicationeque abuſus, erroresque, qui confuſis per bellorum vices temporibus, irrepſerant, corrigantur, & exoptatus pridem Eccleſiarum nexus inſtauretur, ſtabiliaturque. Primæ principum literæ ad manum nobis non ſunt, tenor earum, quem dixi, ex regeſtis Pontificum, literis Innocentii, & principum reſponſoriis eruitur, quas mox ordine referemus. Igitur, ut in regeſtis legitur; Innocentius tam fauſtis nunciis exhilaratus, miſit continuo in Serbliam *Joannem de Caſæmario* Capellanum, ſacelli Pontificii præfectum, quem author vitæ, conditorem ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis fuiſſe affirmat, & *Simonem Subdiaconum* legatos Apoſtolicos, injuncta eis provincia, ut Serblia, Dalmatiaque purioris doctrinæ luce colluſtrata, male antehac inducta, & a vera pietate abhorrentia reſecarent, emendarentque: de quo teſtantibus iisdem regeſtis ad *Volcanum regem*, & *Reginam*: tum, & ad ſpectatiſſimum iis in regionibus virum *Stephanum* principem *Mega - Jupanum*, ac *uxorem* ejus: ad Diocletanum præterea metropolitam, & cæteros inſuper ditionum illarum *Archi-Epiſcopos*, *Epiſcopos*, *Abbates*, ac *Clerum* univerſum dedit literas; quas omnes huc inferre quam longum tam ſupervacaneum foret.

SERBL. Nihil hic ſupervacaneum: igitur primas, quibus Innocentius legatos in Serbliam inſtruxit, profer in publicum.

Epiſtola Innocentii ad suos legatos.

BULG. Obſequor: *Innocentius &c. Joanni Capellano, & S. Subdiacono noſtris Apoſtolicæ ſedis legatis. Apoſtolicæ ſedis authoritas, quæ per diverſas mundi partes plenitudinem obtinet poteſtatis; illius ſequens veſtigia, qui Beato Petro PASCE OVES MEAS tertio replicavit: in partem ſolicitudinis viros evocat providos, & diſcretos, qui gregem Domini, & pabulo ſalutis reficiant, & viam eis æternæ felicitatis oſtendant. Ad quorum ſiquidem auxilium, & juvamen, ut Eccleſiaſticæ poteſtatis authoritas in ſua ſemper maneat firmitate, cum requirit neceſſitas, alioſque a ſuo latere dirigit, & transmittit, quibus legationis injungit officium exercendum. Hac itaque conſideratione diligenter inducti, ET CHARISSIMI IN CHRISTO FILII. V. ILLUSTRIS REGIS DALMATIÆ, ET DIOCLIÆ PRECIBUS INCLINATI, qui, UT AD EUM LEGATOS MITTERE DEBEREMUS, INSTANTISSIME POSTULAVIT Vos, de quorum probitate nos, & fratres noſtri plenam fiduciam obtinemus, ad Dalmatiam, & Diocliam provinciam duximus transmittendos, in provinciis ipſis vobis authoritate præſentium legationis officium injungentes, ut, quæ inveneritis corrigenda, corrigatis, deſtruatis, & evellatis ſuperflua, & nociva: ædificetis, & plantetis utilia, & honeſta: quatenus, cum Domino dante reddetis talenta, vobis reddat is credita duplicata: & a nobis, & fratribus noſtris valeatis in Domino multipliciter commendari.* Datum Laterani VI. Idus Januarii (A).

SERBL.

(A) Hoc eſt: XXVII. Decembris anno 1198. ex Lib. 1. epiſt. Innocentii III.

SERBL. Avide jam præſtolor Inncentini Literas, quas legati Apoſtolici *Vulcano* regi, *Stephano* magno Zupano, utriusque conjugi: Dioclienſi Archi-Epiſcopo, ceterisque Achi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ecclſiarum Prælatis, & Cler› univerſo in regno Vulcani Regis Diocliæ, & Dalmatiæ conſtitutis, nomine ſummi Pontificis exhibuerunt.

Ejusdem ad Volcanum regem.

BULG. Epiſtolarum, quas Innocentius exaravit, ſequens tenor eſt: *Vulcano Illuſtri regi Dalmatiæ, & Dioeliæ. Ut evidentius evangelica doctrina pateret, in omnem terram ſonus Apoſtolorum exiret, juxta verbum Propheticum, & in fines orbis terræ verba diffunderentur ipſorum, noſter Dominus, & magiſter, qui præbuit nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, diſcipulos ſuos per univerſas mundi partes ad prædicandum direxit: dicens eis juxta evangelicam veritatem: euntes in mundum univerſum prædicate evangelium omni creaturæ. Quam ſiquidem obſervantes conſtitutionem providam, & ſalubrem Romani Pontifices Vicarii Jeſu Chriſti, qui in Beato Petro Apoſtolorum principe ab ipſo Domino receperunt plenitudinem poteſtatis, & conſtituti ſunt ſuper gentes, & regna, ut juxta verbum Propheticum evellant, & deſtruant, ædificent, & plantent: quia ſuam non poſſunt ubique præſentiam exhibere; per varia mundi climata a ſuo latere aliquos dirigunt, & transmittunt, qui fideles in fide conſolident, corrigenda corrigant, de agro Domini nociva deſtruant, & utilia plantare procurent. INTELLIGENTES IGITUR PER LITERAS TUAS NOSTRO APOSTOLATUI PRÆSENTATAS, TUÆ DEVOTIONIS ARDOREM: QUOD VIDELICET ROMANAM ECCLESIAM MATREM TUAM SUPER OMNIA POST DEUM DILIGERE, ET HONORARE PROPONIS, ET MANDATIS NOSTRIS OMNIMODIS INHÆRERE: JUXTA QUOD A NOBIS TUA NOBILITAS POSTULAVIT: dilectos filios Joannem Capellanum, & Simonem Subdiaconum noſtros, de quorum ſcientia, & probitate nos, & fratres noſtri plenam fiduciam obtinemus, de fratrum noſtrorum conſilio ad partes tuas duximus dirigendos, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus eos tanquam Apoſtolicæ ſedis legatos benigne recipias, & honeſte pertractes, quæ ſecundum Deum in partibus ipſis duxerint ſtatuenda, ſuſcipias humiliter, & ſine refragatione conſerves: ut cum ad nos Domino dante redierint, nobis referre valeant tuæ devotionis affectum; & Romana Eccleſia tuis efficacius poſſit intendere incrementis. Nos enim eis dedimus in mandatis, UT APOSTOLICAM IN TE CONFIRMANTES DOCTRINAM, REFORMENT, QUIDQUID INVERINT REFORMANUM, ET TANQUAM MEMBRA CAPITI, APOSTOLICÆ SEDI CONFORMENT, IN IPSIUS DEVOTIONE PARITER, ET OBEDIENTIA SOLIDANTES. Per quos etiam Pallium, plenitudinem ſcilicet Pontificalis officii Venerabili fratri noſtro Dioclienſi Archi-Epiſcopo transmittimus, ut in partem noſtræ ſolicitudinis evocatus, ſine defectu valeat officii ſui debitum ADIMPLERE.* Datum Laterani VI. Idus Januarii (A). In eundem fere tenorem ſcripſit *Reginæ.*

(A) anno 1198. exeunte.

Item ad Stephanum M. Zupanum, alios-que. Item Archi-Epiſcop, Epiſcop. Abbates &c

Item *Nobili viro S. magno Jupano*: & *uxori S. magni Jupani.* Conſimilis eſt quoque epiſtola 527. ad Dioclienſem Archi-Epiſcopum exarata, in qua poſt verbum *adimplere* ſubjungit: *quibus etiam pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris fidelitatis juramentum, quod tibi ſub bulla noſtra mittimus incluſum, devote ſtudeas, & humiliter exhibere.* Tandem & epiſtola 528., quam inſcripſit: *Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus Eccleſiarum, Prælatis, & aliis Clericis per Dalmatiam, & Dioeliam IN REGNO CHARISSIMI IN CHRISTO FILII NOSTRI VULCANI ILLUSTRIS REGIS DIOCLIÆ, ET DALMATIÆ CONSTITUTIS*, cum data ad regem fere concordat, uſque ad vocem *ſolidantes.*

SERBL. Legati, qui Roma cum faſce literarum advenerant, quo animo ſint a Serblis ſuſcepti? quo operæ pretio egerint? noſſe cupio: an iidem coronas etiam, ſceptraque regia Pontificio nomine obtulere? nam hæc etiam exemplo, ac more ab antiquis Serbliæ regibus deſumto, a ſede Apoſtolica exoptata fortaſſe, petitaque per principes fuerint.

XI. Legati benigne ſuſcepti.

BULG. Suſceptos cum honore legatos, uterque principum donavit poteſtate ampliſſima docendi, agendi, corrigendique, quæ ſecundum Deum agenda, corrigendaque compererint. *Volcanus* etiam de actis eorundem Pontificem certiorem reddidit. Exſtat utriusque principis epiſtola, officii filialis pleniſſima. Et *Volcanus* quidem rex ſuam in hæc verba exaravit: *Beatiſſimo, ac Sanctiſſimo Patri, & Domino Innocentio Dei gratia Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, & univerſali Papæ. Volcanus eadem gratia Dioclie, atque Dalmatiæ rex ſalutem, & devotionis affectum. Venientibus ad noſtram præſentiam Domino Joanne Capellano, & Domino Simone religioſis, & diſcretis Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ ſedis legatis, ammodo jucundati ſumus. Qui, ſicut ſplendor ſolis in virtute ſua radians totum orbem videtur illuſtrare, ita illorum ſancta, & ſalubri prædicatione, TOTUM REGNUM NOSTRUM creditur fore illuſtratum. Unde merito dicimus: viſitavit nos oriens ex alto. Illorum itaque probitate, & ſcientia NOS INFORMATI, Deo & paternitati veſtræ innumeras grates rependere curamus, qui tales ad nos miſiſtis, quales in voto habuimus ſuſcipiendos, Divino munere præditos: quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt. Præſentatis igitur veſtris literis intelleximus, QUIA POSTULATIONIBUS NOSTRIS APOSTOLATUS VESTRI BEATITUDO MISERICORDITER AQUIEVIT, Unde nos cum magna devotione PRÆCEPIMUS, UT PER TOTUM REGNUM NOSTRUM omnia, quæ ſecundum Deum ſunt, ordinent, & confirment: quæ autem contraria ſunt, juxta illud Propheticum evellant, & deſtruant. Accedentes itaque ad locum, ubi antiquitus celebrari concilium ſolitum fuit, ſanctam Synodum celebrare ſtuduerunt, de vitiis, & virtutibus ſubtiliter diſſerentes, in communi Deo, & Mariæ perpetuæ Virginis, & Beato Petro, Apoſtolorum principi, laudum præconia perſolventes. Interea*

Volcani reſponſoria ad Innocentium poſt Synodum.

nove-

noverit Paternitas vestra, quia augustali stemmate undique insignimur: & quod glorioſius est, vestri generosi sanguinis affinitatem habere cognovimus (A). *Igitur innotescimus, quia in voto habuimus nunc legatos nostros ad pedes beatitudinis vestræ transmittere: sed quia terram illam turbatam esse audivimus, facere non potuimus. Quia vestris legatis ubique debita reverentia exhibetur: sed nostri, dum illuc ire voluerint, cum magna honoris magnificentia, damna forsitan, & exitium patientur. Sed dum opportunum, ac congruum tempus adfuerit, honorificentius faciemus, qui sanctæ exhortationis vestræ verba perferant, quæ dulciora nobis sunt super mel, & favum. Siquidem sperantes, ET CERTUM TENENTES, QUIA EX QUO VICARIUS DEI NOSTRI JESU CHRISTI EXISTIS, ipse per te nobis aditum regni cæleſtis aperire dignetur. Et, quia nullo in hoc sæculo indigemus, multum rogamus, ut pro nobis peccatoribus preces ad Deum fundatis. Demum &c.*

Ejus Catholica confessio.

SERBL. Etsi Stephani quoque magni Zupani, post susceptos legatos, literas pari pietatis affectu, submissioneque conscriptas fuisse non ambigam, juvabit tamen, eas quoque huc inferre, quo ipse sententiarum, verborumque apparatus ad posterorum memoriam transmittatur.

Item Stephani Zupani responsoria post Synodum

BULG. Stephani principis magni Zupani Serviæ epistola (B) his concepta fuit verbis: *Innocentio Dei gratia summo Pontifici, & universali Papæ Romanæ Ecclesiæ Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli. Stephanus eadem gratia, & sancta oratione vestra magnus Jupanus totius Serviæ salutem tanquam patri suo spirituali. Literas sanctitatis vestræ recepimus, & bene intelleximus ea, quæ venerabiles legati vestri, scilicet Joannes Capellanus, & Simon subdiaconus, tam in literis, quam in ore eorum narraverunt nobis. Gratulamur itaque magnæ sanctitati vestræ, quia non tradidisti nos in oblivionem FILIOS TUOS, sed recordatus es de nobis. NOS AUTEM SEMPER CONSIDERAMUS IN VESTIGIA ROMANÆ ECCESIÆ, SICUT BONÆ MEMORIÆ PATER MEUS, ET PRÆCEPTUM SANCTÆ ROMANÆ ECCESIÆ SEMPER CUSTODIRE. Et in proximo legatos nostros vellemus transmittere ad sanctitatem vestram. Nos autem locuti sumus dictis verabilibus tuis legatis, quoniam ipsi cum ore eorum narrabant sanctitati vestræ eloquia mea.*

SERBL.

(A) Erat Innocentius III. ex clara stirpe Comitum Segniæ; affinitatis nexus, quem se habere Rex gloriatur, me adhuc latet, sicut & prosapia conjugis Volcani Regis. (B) Ex Lib. 2. epistolarum Innocentii III. epist. Num. 168. de anno 1199.

SERBL. Poſtquam a principibus piis, & ſedi Apoſtolicæ devotis legati ejusdem tam ampla poteſtate inſtructi fuere, quorſum illi curas ſuas converterint, quid in commune chriſtianæ reipublicæ bonum, populique Serbliani moliti ſint, conſtituerintve, edicito.

XII. Acta Legatorum Innocentii.

BULG. Colluſtrato ſinceræ, ac purioris doctrinæ lumine regno univerſo, plurimisque ad ſinum Eccleſiæ Romanæ reductis, aut confirmatis, in morum etiam, ac diſciplinæ correctionem intenti, ſynodum ſua, principumque authoritate in Diocliæ provincia coegerunt (A). Actis ſynodi præambulum tale præfixum legitur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ego Joannes Capellanus, & Simon Subdiaconus Domini Innocentii Papæ III. Apoſtolicæ ſedis legati ad evellenda nociva de agro Dominico, & virtutum plantaria utiliter inſerenda: videntes plura in Clero, & populo Dalmatiæ, ac Diocliæ corrigenda, de Sanctorum patrum conciliis decreta præſentia duximus innovanda, nempe* adverſus Simoniacos, & eos, qui ſacris ordinibus initiati, magno abuſu connubia inibant. Synodi hujus Canon VI. memoratu eſt dignissimus, in quo ad Cerulariorum confuſionem Serblia univerſa Romanam Eccleſiam *omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram* agnoſcit, & profitetur. Canones cæteros referre omitto, cum ad propoſitum noſtrum peculiare nihil contineant, & alioquin in lucem publicam editi, in collectionibus Conciliorum proſtent. Quibus hoc ordine ſubſcripſerunt: *Ego Frater Joannes Domini Papæ Capellanus, Apoſtolicæ ſedis legatus ſcripſi & ſubſcripſi. Ego Frater Simon Domini Papæ ſubdiaconus, Apoſtolicæ ſedis legatus ſubſcripſi. Ego Joannes DIOCLIENSIS, ET ANTIBARENSIS Archi-Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Petrus SCUTARENSIS EPISCOPUS ſubſcripſi. Ego Joannes PALATINENSIS EPISCOPUS ſubſcripſi. Ego Petrus DRIVASTENSIS EPISCOPUS ſubſcripſi. Ego Dominicus SVACIENSIS EPISCOPUS ſubſcripſi. Ego Natalis DULCINENSIS EPISCOPUS ſubſcripſi. Ego Theodorus SERBIENSIS EPISCOPUS ſubſcripſi.* De Actis Synodi Joannes Archi-Epiſcopus Diocliæ Papam ſubinde certiorem reddidit, ſimulque pro pallio ſubmiſſo, in hæc verba grates dixit (B): *Sanctiſſimo Patri Domino Innocentio Dei gratia ſummo Pontifici. Joannes Dioclienſis, & Antibarenſis humilis miniſter tam debitam, quam devotam obedientiam. Gratias uberes refero Sanctitati veſtræ de honore Pallii, & Pontificalis officii plenitudine, quam mihi per Dominum Joannem, & Dominum Simonem familiares, & legatos veſtros concedere dignati eſtis. Ego autem omni tempore vitæ meæ ad devotionem veſtram Sanctæ Romanæ Eccleſiæ promtum habeo animum modis omnibus, & paratum. Notum ſiquidem facio Sanctitati veſtræ, quod præfati legati veſtri ea, quæ corrigenda erant, & ordinanda, ita cum prudentia, & honeſtate per Dei gratiam ad honorem veſtrum, &*

Synodus Dioclitæ celebrata.

Canon VI. Synodi de Primatu Romano.

Epiſcopi Synodi inter quos & Serbienſis.

Archi-Epiſcopi Dioclitæ reſponſoria poſt Synodum.

ſanctæ

(A) T. 13. Conciliorum Colleti ad annum 1199. (B) L. 2. epiſt. Innocentii III. n. 196. ad annum 1199.

ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tractaverunt, ut DOMINUS REX, ET TOTUS POPULUS eorum opera commendantes, ad pedes Sanctitatis veſtræ effecti ſint modis omnibus promtiores. Ego vero in proximo nuncios meos ad pedes ſanctitatis veſtræ transmittam, qui devotionem meam Paternati veſtræ declarabunt.

SERBL. Duo hic mihi admirationem movent, & varios animo ſenſus ingerunt: primum, quod nihil adverſus ſchiſma, nihil adverſus Cerularii errores; ſed neque contra Patarenos actum aliquid, concluſumve invenio: alterum abfuiſſe ab hac Synodo ex Epiſcoporum numero complures, quos Alexander II. (A) Eccleſiæ Dioclienſi, & Antibarenſi ſuffraganeos ſubjunxerat: nec adveniſſe Raſſiæ Archi-Epiſcopum Eccleſiæ Sanctorum Petri, & Pauli (B), & qui tunc alii in ejus fuere ditione Epiſcopi ritus Græcanici.

BULG. Turbatiſſimis regni temporibus, quibus rami duo veteris regiæ ſtirpis pro ſceptro decertabant; Raguſani antiſtites, omnes prope ſuffraganeos a Dioclienſi Eccleſia avulſos, ſeu novo privilegio, ſeu principum incuria, aut etiam conniventia, in partes pertraxerunt. Certe Orbinus ad annum MCXLI. Luccarius ad XLIII. Andreæ Lucheſe Raguſino Archi-Epiſcopo præter *Buduenſem*, & *Zachlumitanum* jam olim abſtractos, teſtantur paruiſſe *Catarenſem*, *Dulcinenſem*, *Svacienſem*, *Scutarenſem Drivaſtenſem*, *Polatinenſem*, *Sorbienſem*, *Boſnenſem*, ac *Trebinenſem*, ipſaque ſingulorum nomina præferunt, affirmantque, tunc *Buduæ* ſediſſe *Sylveſtrum*: *Catari* Nicephorum: *Dulcini* Joannem: *Svaciæ* Baſilium: *Scutari* Georgium: *Drivaſti* Petrum: *Polati* Theodoſium: *Trebinæ* Conſtantinum: *Zachluniæ* Simonem: in *Sorbia* Cyrillum: in *Boſna* Uladislaum. Sed hos plerosque regno amplificato *Stephanus Neman I.* Archi-Zupanus, veteri Serbliæ Metropolitæ *Dioclienſi*, & *Antibarenſi* rurſum reſtituit: pro *Catarenſi* tamen vindicando fruſtra Raguſæis bellum movit: nam *Catarenſis*, ac *Trebinenſis*, cum *Buduenſi*, & *Zachlumitano*, quanquam pars regni Serviæ eſſent, pactis, ut videtur, initis, in poteſtate Raguſæi antiſtitis manſerunt (C). *Boſnenſem* Epiſcopatum *Culinus* provinciæ Banus, ut proprio tunc adhuc jure gubernabat Boſnam, in obedientia, ac poteſtate Raguſæi authoritate ſua retinuit. Raſſiæ Archi-Epiſcopum, cum adjunctis, ſi quos habuit, abfuiſſe opinor, quod vel ſui juris & exemtus eſſet, vel quod eum Conſtantinopoleos Patriarchæ jam ſub ſuam adegerint poteſta-

Cur complures Serviæ Epiſcopi a Synodo abfuerint?

Cur Raſſiæ Archi-Epiſc. SS. Petri, & Paulia Paulimiro fundatus pariterabfuerit?

(A) Ad annum MLXII. Breve, vide Colloquio IV. (B) Fuiſſe talem Archi-Epiſcopum, conſtat ex dictis Colloquio præſente, ubi de Baptiſmo Nemanis I.: & ex epiſt. 528. Innocentii III. *Archi-Epiſcopis*, *Epiſcopis* &c. inſcripta. (C) Conſtat ex Concilio Diocliæ anno 1199. celebrato, paulo ante relato.

teſtatem, retinebantque (A). Hæc ergo cauſa fuit utrorumque a Synodo abſentiæ: niſi fors jam tunc per bellorum vices ſuppreſſus fuerit.

SERBL. Aſſequor jam utcunque cauſas abſentiæ: & unde vices Epiſcoporum, tranſitusque de uno Metropolita ad alterum, evenerint. Erant hi fructus mutatorum identidem principum, clientelæ Græcanicæ, & nunc ampliatæ, alias contractæ Serbliæ. At, quod nondum mente aſſequor, illud eſt, quod in laudata Dioclienſi Synodo nihil adverſus ſchiſma, Græcorum errores, ac Patarenorum ſectam actum, definitumque invenio.

Cur nihil in Patarenos, & Græcorum errores, actum?

BULG. Non eſt, cur te hoc turbet: malis ſopitis, aut penitus depulſis remedia adhibenda non erant. Utrumque autem hoc malum, errores Cerularii, & Patarena hæreſis, quæ ævo Deſſæ, ac Stephani I. Nemanis Serviam maritimam, montanamque late pervagata ſunt, zelo, ſtudiisque ejusdem Nemanis I., tum & Simeonis regis, ac filiorum ejus Vulcani, & Stephani, vel jam profligata Serbliæ finibus erant, aut compreſſa, clanculum tantum, & in angulis deliteſcebant. Profligatæ e Serblia Patarenæ hæreſeos erit mihi teſtis Vulcani regis ad Innocentium epiſtolæ pars altera, qua ad peſtem eandem e Boſna extirpandam implorat Pontificis operam, ſolicitatque (B). Schiſmati autem, & Græcorum erroribus remedio ſufficiente occurſum videbatur, tam principum acceſſione ad Romanorum Pontificum gremium, & obedientiam, legatorum Apoſtolicorum in regnum advocatione, factaque poteſtate docendi, corrigendique; quam Canone VI. Diocliæ pro regno univerſo, nullo adverſante, condito, quo Romana Eccleſia *mater*, & *magiſtra Eccleſiarum omnium* agnita, decretaque eſt.

SERBL. Dum Joannes, ac Simon in Diocliæ partibus legationis Apoſtolicæ munere funguntur: Synodo ad finem perducta *Dominicus Suacienſis* Epiſcopus homicidii reus ad tribunal legatorum delatus eſt. An vero hunc etiam judicandum illi ſuſcepere?

Acta poſt Synodum in Svacienſem Epiſcopum.

BULG. Ne dubita, ut enim querela, accuſatioque ad forum Apoſtolicum perlata eſt, Dominicus continuo in judicium vocatus, cauſam dicere juſſus eſt. Nec tamen de eo compertum eſt crimen aliud, quam, quod homicidam ſciens, volensque ſacris ordinibus initiaverit. At, cum vel iſthoc facinus Epiſcopi charactere indignum videretur, Dominicus ſe ipſum proprio ſuffragio condemnavit: cum enim

(A) Conſtat ex epiſtola Innocentii ad Archi-Epiſcopum Colocenſem data, de qua infra. (B) Partem alteram Volcani epiſtolæ ad Innocentium paulo infra referam.

enim mitra depoſita ſe ultro Epiſcopatu abdicaſſet, cauſa finem accepiſſe videbatur. Verum, ut inſtabilis eſt mens hominum, cum reſumtis non diu poſt infulis, cæterisque dignitatis inſigniis, ad ſedem Apoſtolicam provocaſſet, Innocentius Papa hanc demum in eum tulit ſententiam, & Diocliæ antiſtiti promulgandam præſcripſit (A): *Cum ſecundum Apoſtolum Epiſcopus bonum teſtimonium habere debeat, & ab his, qui ſunt intus, & ab iis, qui ſunt foris; qui ad curam poſitus in ſeipſo debet oſtendere, qualiter alios in domo Domini oporteat converſari: nec præferens memorandi criminis labem lucidam gerat ſacerdotii dignitatem: nos attendentes, quod ſatius ſit in Domino in inferiori miniſterio deſervire, quam graduum ſub imitatem appetere cum ſcandalo aliorum: Epiſcopum monuimus diligenter, ut poſtquam Epiſcopalia inſignia reſignarat, citra Pontificale faſtigium Creatori ſuo devotum impendat ſamodo famulatum, quod in humilitatis ſpiritu viſus eſt acceptaſſe.* Ita Innocentius: qui tamen, ut ſeveritatem ſententiæ paterna manſvetudine leniret, admonuit Archi-Epiſcopum, ut partem redituum Epiſcopalium ad Dominici ſuſtentationem conferret, atque ultro vexantes depoſitum, anathematis fulmine coerceret.

De eo Innocentii ſententia.

SERBL. Jus ſuum Patriarchicum exercuiſſe per Serbliam Innocentium III. ex his rurſum palam fit. An vero his terminis Pontificia authoritas, & zelus Serbliæ principum definita ſunt, aut ultro etiam progreſſa?

BULG. Volcanus rex Diocliæ, & Dalmatiæ correctis utcunque, malis propriis Serbliæ, domeſticisque, ad vicinas quoque provincias, ex quibus ditioni ſuæ periculum, ac labes imminere potuit, curas, zelumque porrexit. Poſtquam igitur ſummum Pontificem admonuit de Patarenæ hæreſeos incrementis per Boſnam, & perfidam Culini Bani ſimulationem detexit, rogare, hortarique Pontificem inſtitit ad incumbendum viribus omnibus in peſtis ejusdem excidium: ſic enim ſupra recitatam epiſtolam (B) proſequitur: *Demum paternitatem veſtram nolumus latere, quia hæreſis non modica in terra Regis Hungariæ, videlicet Boſina pullulare videtur in tantum, quod peccatis noſtris exigentibus, ipſe Ban Culinus cum uxore ſua, & cum ſorore ſua, quæ fuit defuncti Miroslavi Chelmenſis, & cum pluribus conſanguineis ſeductus, plus quam X. millia Chriſtianorum in eandem hæreſim introduxit. Unde rex Hungariæ exacerbatus, illos ad veſtram præſentiam venire compulit, a vobis examinandos. Illi autem ſimulatis literis, redierunt dicentes,*

Pium Volcani ſtudium adverſus Patarenos Boſnæ.

(A) Ex L. 2. epiſt. Innocentii III. n. 172. (B) Eſt continuatio Volcani reſponſoriæ ad Innocentium III. anno 1199. datæ, quæ exſtat L. 2. epiſtolarum Innoc. III. ſub n. 167.

centes: a vobis conceſſam ſibi veniam: unde rogamus, ut regi Hungariæ ſuggeratis, ut eos a regno evellat, tanquam Zizania a tritico &c. Hactenus Volcanus.

SERBL. Tam ardens ſedi Apoſtolicæ obſequendi, complacendique ſtudium, tam luculentus fidem catholicam, & diſciplinam Eccleſiæ promovendi, & ex vicino etiam regno hæreſeos eliminandæ zelus principum Serbliæ, indicio, ut antea dixeras, certiſſimo eſt, domi ſuæ puros a labe omni hæreſeos, immunesque egiſſe. Digna erant hæc ſtudia principum, quæ ſummus Pontifex regali diademate remuneretur, inſigniatque. Et optaviſſe hoc principes pio veterum regum, & anteceſſorum exemplo non ambigo, quanquam Volcanus *ſe auguſtali ſtemmate jam undique inſigniri, & re nulla in hoc Sæculo egere*, affirmet (A). An autem votis eorum Papa detulerit? atque his præmiis pietatem utriusque principis coronaverit? hoc eſt, quod adhuc cognoſcere cupio.

XIII. Studium Innocentii in Volcani augmenta.

BULG. Spontanea animi propenſione Innocentium III. in Volcani æque, ac Stephani incrementa intentum fuiſſe, elucet ex Pontificiis ad eos literis, quas ſupra recitavimus (B). Et jam tunc quidem oblatam per legatos fuiſſe Volcano coronam regiam non obſcure eruitur ex Volcani reſponſo, quo aſſerebat *ſe auguſtali ſtemmate jam undique inſigniri.* Sed cum inter fratres principes cum fine anni MCC. aut ſequentis principio diſſidia bellaque exarſiſſent, Stephanus, Volcano dejecto in thronum eluctatus, coronam regiam, quam Volcanus deprecatus fuerat, miſſis ad Pontificem legatis, ultro ardenter expetiit, & terram ſuam ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam reduci ſupplicavit. Nec in mora erat Pontifex, quin deferret precibus, & legatum ad ſolemnem functionem decerneret. Sed pronam hanc, optimamque in principem voluntatem, quis, quove artificio impedierit, malo, ut ex Pontificiis, quam meis verbis intelligas. Dedit Papa propterea ad regem Emericum plenas querelarum anno MCCIV.

Interturbant fratrum diſſidia.

Par Studium Innocentii in Stephanum turbat Emericus rex Hung.

SERBL. Differ eas tantisper, &, quæ præceſſerunt diſſidia, cauſam diſſidiorum, utque ſe his rex Hungariæ implicuerit, evolve. Noſtra manuſcripta hiſtoria cuncta hæc ſilentio præteriit.

BULG. Quid mutuæ inter fratres principes offenſæ anſam præbuerit, a nemine legi proditum. Si ſuſpicari licet, fors corona, contra veterem morem a magno Zupano tacite quæſita; aut certe patrocinium, quod ſpretæ Eudociæ, ejectæque impendit Volcanus, diſſidio.

(A) Sunt Volcani verba in eadem reſponſoria. (B) *Et Romana Eccleſia tuis efficacius poſſit intendere incrementis:* ſunt verba Innocentii.

ſidiorum ſemen jecit, quod denique in bella deſiit. Barbaricum Stephani facinus in conjugem natalibus auguſtum ex Niceta late deſcripſimus. At, quidquid originem diſſidiis præbuerit, aut fomes fuerit: id exploratum eſt, Volcani dejecti patrocinium Emericum regem anno MCCI. ſuſcepiſſe, ſtitiſſe apud Pontificem coronationem Stephani, & junctis cum Volcano viribus, excuſſo tam regno, quam patria Stephano, Volcanum throno reſtituiſſe: hunc vero ſupremum jus, dominiumque in Serviam Emerico, & coronæ Hungaricæ, cujus fortitudine, auſpiciisque in ſedem priſtinam revectus fuerat, detuliſſe (A). Atque hoc exordium habet Serviæ regis titulus, quo hodieque Hungariæ reges utuntur. Et cum belli ejusdem occaſione Emericus tractum Danubii a Belgrado Branisobam tendentem Græcis ademtum, ſceptro ſuo adjunxiſſet, Bulgariæ quoque regem ſe inſcripſit (B), at mox etiam deſtitit, cum Calo Joannes Bulgariæ princeps Stephanum ad ſe confugientem in Zupanatum Serviæ reduxiſſet, & Emericum tractu Danubialium terrarum recens occupato, anno MCCIII. ſpoliaſſet.

Cauſæ diſſidiorum inter fratres.

Servia Hungariæ ſubmiſſa a Volcano.

Progreſſus belli inteſtini, & finis. Volcanus ab Emerico regno reſtituitur: Stephanus expellitur.

SERBL. Igitur Emericus rex Hungariæ erat, qui apud Innocentium egit, ne Stephano regni fraterni invaſori, ac hoſti ſuo, corona ſubmitteretur: quod etiam pro gratia, qua tunc apud ſedem Apoſtolicam pollebat, impetravit. At Volcano, qui ſe, regnumque ſacræ Hungariæ coronæ ſubmiſerat, faviſſe Emericum, aut certe adverſatum non eſſe, ut diademate per Pontificem inauguraretur, cum veriſimile prorſus ſit, eſtne, qui coronam Volcano impoſitam ſcripſerit?

BULG. Præſetulit quidem favorem erga Volcanum Emericus rex, & ad ejus inaugurationem Archi-Epiſcopum Colocenſem adhiberi poſſe, Innocentio ſuggeſſerat. At, cum Papa Volcani coronandi munus anno MCCII. Colocenſi detuliſſet, non alius, quam rex ipſe Emericus moras injecit, & optimi Pontificis conſilium evertit. In hunc modum, cum utrumque Serbliæ principem oblata a Pontifice corona fruſtratus fuiſſet, deſtinatum quoque Calo Joanni Bulgariæ principi diadema impeditum ibat: atque cum id aliter non poſſet, Leonem ſanctæ crucis Cardinalem Presbyterum Apoſtolicæ ſedis in Bulgariam legatum, in Keve arce, ex cujus adverſa parte Danubii Bulgari legatum præſtolabantur, vi illata anno MCCIII velut captivum detinuit, nec ſine gravi Pontificis, ac Calo Joannis injuria tranſitu prohibuit: quamquam Pontificiis perſtrictus literis,

(A) Conſtat ex epiſtolis Emerici Regis Hungariæ ad Innocentium III., & hujus reſponſoriis. Item ex Aſſemani T. 5. P. 1. c. 2. n. 14. (B) Samuel Timon in Synopſi chron.

metu animo concepto, poſtea dimiſerit. Exſtant in hanc rem geminæ Innocentii literæ: in quarum ſecundis (A) Calo Joannem Bulgariæ principem contra objecta ab Emerico vindicat: eidemque objicit: ipſius artificio fraudatum eſſe corona regia utrumque Serbliæ principem, Stephanum æque, ac Volcanum: en verba Pontificis: *Verum, & illud non abs te potuiſſemus attendere in hoc caſu, quod cum nobilis vir STEPHANUS MEGA JUPANUS SERVIÆ, per venerabiles nuncios nobis humiliter ſupplicaverit, ut in terram ſuam dirigeremus legatum, qui eam ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ reduceret, & regium ſibi diadema conferret, nosque petitionem ipſius de communi fratrum noſtrorum conſilio decreverimus admittendam, hujus legationis officium venerabili fratri noſtro Joanni Albanenſi Epiſcopo injungentes: intellecto tamen, quod hoc tuæ ſublimitati plurimum diſpliceret, ob tui gratiam, non ſine quadam noſtra confuſione deſtitimus ab incepto. TU VERO, POSTQUAM EXPUGNASTI SERVIAM AMOTO STEPHANO, ET VULCO SUBSTITUTO IN LOCUM IPSIUS: per tuos nuncios intimaſti, quod terram illam ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ cupiebas reducere, & ſalvo in temporalibus jure tuo, æquanimiter ſuſtinebas, UT DICTUS VULCUS REGALEM SUSCIPERET AB APOSTOLICA SEDE CORONAM. Unde nos hujus executionem negotii de conſilio nunciorum tuorum, venerabili fratri noſtro Colocenſi Archi-Epiſcopo duximus committendam* (B): *ſed cum biennium ſit transactum, in nullo novimus eſſe proceſſum.* Hactenus Innocentius.

Emericus Rex Hung. & Stephani, & Volcani coronationem impedit.

SERBL. Invidiſſe coronam regiam, faſcesque Emericum, Serbliæ, Bulgariæque principibus non miror magnopere, qui in fratrem ſuum Andream injurius, ac tantum non crudelis fuit. Quod Innocentium attinet, optaſſem quidem, ut minus ille Emerico regi detuliſſet, neque tamen idcirco partium accuſare auſim, & quaſi minus officio patris communis hic functus ſit. Nec ambigo ipſos principes Serbliæ propenſam in ſe Pontificis voluntatem abunde agnoviſſe, conſtantique deinceps etiam animo ſedi Apoſtolicæ adhæſiſſe, quamquam optatum diadema tunc neutri obvenerit.

XIV. Stephanus a Bulgaris in Zupanatum reſtitutur.

BULG. Æquum, quod de principibus Serbliæ tuliſti judicium magnopere approbo. Nam, ut *Volcanus* avidus coronæ non erat (C), ſic nec ægre tulit interturbata coronationis ſolemnia. *Stephanus* vero exul apud Bulgaros, mutata in pejus fortuna, non tam coronæ, quam Zupanatus recuperandi curam geſſit.

SERBL. Nec in vanum curæ ejus ceciderunt. Nam Calo Joannes, Bulgarorum princeps, ſuſcepta ejus defenſione, patrocinioque, illata Serbliæ populatione, Volcanum denique ad pacem cum fratre ineundam adegit, & Stephanum dignitati primævæ magni Zupani reſtituit

(A) Datis anno 1204. (B) Commiſit id anno 1202. (C) Conſtat ex Volcani ad Innocentium literis datis anno 1199.

ſtituit anno MCCIII., atque occaſione eadem tractum Danubio affuſum *Braniſoba* uſque *Belgradum* porrectum, quem anno priore Græcis ademerat Emericus, imperio Bulgariæ, cujus primævo jure pars fuerat, rurſum adjunxit (A). Quod bellum fortaſſe, progreſſusque Calo Joannis, Colocenſem quoque a Volcani coronatione perficienda impediit.

Conſtantinopolitani Patriarchæ jus in Serviam arrogant, obſtat Innocentius III.

BULG. Cum jus pridem antiquatum, turbatis Sæculo XII. declinante Serbliæ rebus, Patriarchæ Conſtantinopolitani rurſum in provinciam exercere cepiſſent, nec deſinerent, licet principibus ad gremium Eccleſiæ redeuntibus: Papa Innocentius in mandatis Colocenſi Archi-Epiſcopo dedit (B), inviſeret Volcanum, cæterosque Serbliæ principes, eosque cum omni provincia a Conſtantinopolitani invaſionibus Romanæ Eccleſiæ vindicaret. In quem finem ad Volcanum quoque literas exaravit (C), quibus primatum ſedis Romanæ, ac ſupremum in Eccleſias univerſas imperium, dignitatemque commendat. Ejusdem argumenti ſcripſit quoque ad Archi-Epiſcopos, Epiſcopos principes, & optimates Serviæ, atque ad ipſum etiam Hungariæ regem. Denique anno MCCIII. aliis literis admonuit Archi-Epiſcopos Serbliæ, cæterosque partium illarum antiſtites, ut *Leonem Cardinalem*, quem ad coronationem Calo Joannis Bulgariæ Imperatoris mittebat, Legatum ſedis Apoſtolicæ agnoſcerent, &, quo par eſt, honore exciperent, ac complecterentur.

Pax anno 1203. inter fratres coaluit, & firma perſtitit.

SERBL. Impetraſſe Pontificem omnia, quæ optaverat, non ambigo, poſtquam pax opera Calo Joannis inter fratres reſtituta eſt: idemque Bulgariæ princeps, pacis author, ſe totum Romanæ Eccleſiæ regendum in ſacris permiſit, magna enim exemplorum vis eſſe ſolet. At tunc præcipue, cum Græcis per Francos Conſtantinopolis ademta, Latinos Patiarchas ſedi Romanæ fide, ac obedientia conjunctos, numerare cepit (D). Cæterum pax, quæ tunc inter fratres coaluit, firma deinceps perſtitit. Nam anno MCCVIII., quo *Sabas* corpus *Simeonis regis*, & patris, Chilanthario Studenizam transtulit, uterque fratrum ad venerandas patris reliquias in Foſtno occurriſſe legitur (E), & poſt complures ab hinc annos concordibus utriusque Fratris precibus adductus Sabas Archi-Epiſcopales infulas demum admiſit. Hæc cum ſatis explorata ſint, illud nunquam ſatis mirari poſſum, quod longo, quo Volcanus regnavit tempore, licet ſe *regem Dioclīæ Dalmatiæ-*

(A) Conſtat ex literis Emerici ad Innocentium: hujusque reſponſoriis. (B) L. 5. epiſt. Innocentii III. ep. n. 147. (C) Ibidem ep. Innoc. n. 24. (D) Conſtantinopolis Francos Imperatores anno 1204 accepit: & anno 1205. primus Patriarcha Latinus Romæ conſecratus eſt. (D) MS. Servicum.

matiæque inſcriberet, atque, ut ipſe ajebat, *auguſtali undique ſtemmate inſigniretur*, in hiſtoria tamen noſtra manuſcripta, nunquam alio, quam *magni Knezy* titulo donetur; *Stephanus* vero frater, *primo coronati regis* compelletur nomine.

BULG. Eſt hoc nempe majorum veſtrorum inſigne in ſedem Apoſtolicam venerationis argumentum, quod, quanquam & *Simeon*, & *Volcanus* filius, auguſtorum Orientis favore, aut anteceſſorum regum exemplo coronas, nomenque regium geſtarint, non alium tamen ante Stephanum, quem Honorius III. Papa corona inſignivit, regem agnoſcatis, hunc *primo coronatum regem* profiteamini.

SERBL. Eſſet hoc ſane luculentum majorum noſtrorum adverſus ſedem Apoſtolicam venerationis teſtimonium, ſi quocunque documento firmari poſſet, *Honorium Papam* fuiſſe, qui Stephano coronam transmiſit, impoſuitque, ſive per ſe, ſeu legati miniſterio. At ſunt nobis manuſcripta, quæ *Stephanum* de manu *Sabæ* fratris Archi-Epiſcopi coronam ſuſcepiſſe tradunt (A): & ſunt rurſus alia, quæ *Radoslavum* Stephani filium ab Honorio anno MCCV. coronatum velint (B).

BULG. Nihil facilius eſt, quam hoc poſtremum refellere: nam in annum MCCV. nec ætas Honorii Papæ III., nec regis Radoslavi quadrat; vivebat enim adhuc anno MCCXV. Innocentius III., quo Laterani concilium celebravit, & Breve Apoſtolicum: *Vineam Domini Sabaoth* ad Antibarenſem Serviæ Archi-Epiſcopum, & ſuffraganeos, orbemque chriſtianum direxit: nec ſucceſſit, cathedram Petri Honorius niſi XV. Kal. Auguſti anni MCCXVI. Ex accuratiore autem manuſcripto, quod præmanibus habeo, perinde certum eſt, multis adhuc poſt MCCV. annis, & Volcanum, & & Stephanum, & Sabam Archi-Epiſcopum in vivis egiſſe: id, quod etiam ex hiſtoria Patriarcharum Hieroſolymitanorum Doſithei ſubinde confirmabimus. Quare neglectis his veſtrorum manuſcriptorum chronologicis perturbationibus, veriora accipe.

SERBL. Si quid exploratius ex coævis, aut proximis ævo *Stephani primo coronati regis* ſcriptoribus in medium proferas, & volens audiam, & aſſentiar.

XV. (Ab Honorio III. P. coronam regiam obtinet Stephanus.)

BULG. Duos tibi in hanc rem teſtes profero coævos, aut ætate Stephano regi proximos: prior eſt Thomas Archidiaconus (C), qui

(A) Idem: de qua coronatione plura infra. (B) Apud Paulum Jolincium.
(C) In hiſtoria Salonitana c. 26.

qui in hæc verba ſcripſit: *Stephanus Dominus Serviæ, ſive Raſciæ, qui mega Jupanus appellabatur, miſſis Apocriſiariis ad Romanam ſedem, impetravit ab Honorio ſummo Pontifice coronam regni: namque legatum a latere ſuo direxit, qui veniens, coronavit eum, primumque conſtituit regem terræ ſuæ.* Alter eſt Andreas Dandulus, qui ad annum MCCXVII. in chronico rerum Venetarum ſic de ejusdem Stephani nuptiis, & coronatione loquitur: *Stephanus quoque Dominus Raxiæ* (A), *& Serviæ, qui mega Jupanus appellatur, dum neptem quondam Henrici Dandulo Ducis accepiſſet in conjugem, ex ſvaſu uxoris abjecto ſchiſmate* (B), *per nuncios a Papa* (C) *obtinuit, ut regis titulo decoratus eſſet, & per Legatum Cardinalem ad hoc miſſum, una cum conjuge coronati ſunt.*

SERBL. Ambiguum itaque id unice manet, per cujus manus coronam Stephanus ſuſceperit, Latinis ſcriptoribus id referentibus ad legatum Apoſtolicum, noſtris vero manuſcriptis id officii tribuentibus *Kyrſavæ* Archi-Epiſcopo: quæ præterea regnum Stephani poſt coronationem trium annorum brevi curſu circumſcribunt.

Inquiritur, & decidi-tur, per quem coronatus ſit Rex Stephanus.

BULG. Litem hac ſuper re nolim tecum ingredi. Ne vero ſcriptorum fidei in ſpeciem pugnantium detrahamus, ita ex vero cum laudato veſtro manuſcripto conciliari, componique poſſe exiſtimo, ut & legatus Cardinalis, qui coronam Roma attulerat, partem in ſolemni illa functione habuerit, & coronatio ipſa manu Archi-Epiſcopi Sabæ, aut ſi mavis, utriusque peracta ſit.

SERBL. Nullæne Stephani regis ad Honorium literæ, ſeu ante, ſeu poſt coronationem datæ, ad manum tibi ſunt? fors ex iis annus quoque ſolemnium peractorum certius innoteſceret.

BULG. Raynaldus accuratus cætera ſcriptor, nec Stephani ad Honorium, nec hujus ad Stephanum ante coronationem literas, ex archivo eruit: exaratas tamen a Stephano poſt coronationem produxit ad annum MCCXX: quibus hæc de ſuo ipſe præmittit: *Miſit*, inquit, *hoc anno ad ſedem Apoſtolicam STEPHANUS SERVIÆ, DIOCLIÆ, ALIARUMQUE provinciarum REX oratores, ut excoleſcentem cum Romana Eccleſia conjunctionem redintegraret* (D), *& obſervantiæ cauſa has literas exaravit.* En literas ipſas (E): *ſanctiſſimo Patri, & Domino Ho-*

(A) Lege Raſciæ. (B) conſtat ex epiſtola Stephani Mega Jupani anno 1199. nunquam in ſchiſmate fuiſſe Stephanum: aut certe jam tunc plene renunciaſſe ſchiſmati. Epiſtolam ſupra retuli. (C) Is erat, Honorius III. qui ab anno 1216. ad 27. ſedit. (D) Redintegratio concordiæ non per has, ſed ſuperiorum annorum literas peracta eſt. (E) Raynaldus ad annum 1202. n. 37. ex L. 4. epiſt. Honorii III. n. 681.

Stephani post coronationem legatio, & literæ ad Honorium, cujus directionem, & mandata præstolatur.

norio Romanæ sedis, Ecclesiæ universali Pontifici. Stephanus Dei gratia totius Serviæ, Diocliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ, atque Ochlumiæ Rex coronatus: inclinationem summa cum fidelitatis constantia. Quemadmodum omnes Christiani diligunt vos, & honorant, & pro patre, & Domino retinent; ita nos desideramus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & vestri fidelem filium nominari: affectans, quod benedictio, & confirmatio Dei, & vestra sit, si placet, super coronam, & terram nostram semper manifesta. Et ob hoc vobis NOSTRUM EPISCOPUM METHODIUM nomine destinamus, ut quid quid ex vestra sanctitate, & voluntate processerit, nobis per latorem præsentium rescribatis.

SERBL. Et rescripsisse Honorium piæ, officiosæ, & ad parendum promtæ huic Regis epistolæ, ac salutaria adjecisse monita, nihil prorsus ambigo. Eas Honorii responsorias, utinam archivum Romanum, bono nostrum omnium, in lucem publicam aliquando emittat, tenebrasque, quibus obruimur, dissipet.

BULG. Nec post coronationem tantum, sed & annis superioribus Stephano, cum Honorio literarum commercium intercessisse elucet ex Thoma Archidiacono, & Andrea Dandulo: nam cum nuptiæ inter Stephanum, & neptem Henrici Danduli Ducis coaluisse ferantur anno MCCXVII. facili conjectura assequimur, Volcano ad annum MCCXIX. extincto, Stephanum continuo per nuncios, & literas quæsisse coronam, jam olim ab Innocentio III. destinatam, impetrasseque: quæ denique missa, Regis, regineque capiti anno MCCXX. sit imposita. Quare non recte scripsit Raynaldus literas post coronationem datas esse, *ut excolescentem cum Romana Ecclesia conjunctionem redintegraret.* Hæc enim tunc jam in summo vigore fuit.

SERBL. De Serbliæ Regibus, *Stephano Simeone*, ac filiis *Volcano*, & *Stephano primo coronato rege* satis jam, superque. Uberiora monumenta, etsi gratissima, ac prorsus salutaria acciderent, non exigo. Quæ in medium prolata sunt, dubium jam omne depellunt de eorum cum sede Romana communione, ac filiali observantia. At unde, quibus testibus, vel argumentis comprobabis *Rasci*, sive *Sancti Sabæ* primi Pechiensis Archi-Episcopi, cum Roma consensionem. Vereor, ne hic adhæreas. Illum nostri ex manuscriptis affirmare non dubitant, a Theodoro Lascari Græcorum apud Nicæam Imperatore, ejusque Patriarcha ad sedem Pechiensem ex Chilantharii cœnobio provectum. Quare his potius, quam Romanæ sedi addictum, consentientemque fuisse Sabam opinor, & eadem cum ipsis navi navigasse.

XVI. Inquiritur in Sabæ I. Archi-Episcopi religionem.

Quid Assemanus de Sabæ provectione.

BULG. Falleris: nam Assemanus scribit (A) Sabæ a Latino Constantinopoleos Patriarcha, & Pechiensem thronum, & vices suas in univer-

(A) T. 5. P. 1. n. 18.

universam Serbliam delatas fuisse: atque hoc jure Sabam Græcis, Latinis, Sclavisque per omne, quam late patet Serbliæ regnum, suprema in sacris authoritate præfuisse.

SERBL. Quo præeunte hæc sua Assemanus scripserit, me sane latet: nec unquam viro docto fidem adjungam, nisi validis hæc firmet argumentis, testibusque: &, ex quo sint hausta fonte, detegat.

BULG. Cum sic animo comparatus sis, fors manuscriptis domesticis fidem pronius præstabis. Age igitur experiamur, quid illa de Saba I. prodant, quo nos manuducant? an non in eandem cum Assemano ferantur sententiam?

Quid Historia MS. Serbliæ de eodem?

SERBL. Nativi scriptores nostri, hæc sola de Saba I. referunt (A): quod anno ætatis XVII. animi, ac venatus causa egressus, cum familiari ephebo, qui ipsi amplectendæ religiosæ vitæ author, hortatorque exstiterat, a cætero nobilium comitatu secesserit, rectaque cœnobium Russicum petens, permutato regali, cum religioso habitu, pro *Rasci*, *Sabæ* nomen susceperit: & mox Igumeni imperio ad Batopedi cœnobium transierit. Diu conquisitus, cum illic tandem a submisso per sollicitum patrem Stratilato deprehensus fuisset, crines, quos jam attonderat, vestesque ad patrem deferendas curavit, exaratis plenis pietatis literis: quibus denique non modo assensum impetravit, verum & patrem optimum eo demum permovit, ut & ipse abdicato regno, ac sæculi curis, Angelicam vitam complexus, inter angustias Studenizensis cœnobii, assumto Simeonis nomine, se abdiderit. Narrant posthæc Sabam in presbyterum, ac Archimandritam per Thessalonicensem Metropolitam provectum, fratrum principum rogatu Chilantharii gubernationem suscepisse, plurimisque inclaruisse prodigiis. In cujus cœnobii negotiis, cum subinde Constantinopolim proficiscitur, magna illic honoris significatione, ac gaudio susceptum fuisse ab Imperatore, ac Patriarcha loci, eo etiam nomine, quod Imperatoris Nicæni Theodori Lascaris filia *Radoslavo*, Stephani (B) Despotæ primogenito connubio juncta esset. Atque tunc ab Imperatore, ac Patriarcha *Sabam* designatum fuisse *totius Serviæ*, *ac maritimæ Archi-Episcopum*. Quod fastigium, cum diu renuisset, victum demum fratrum discipulorum, & monachorum precibus admisisse, avitasque ditiones repetivisse ad erudiendam, & præceptis sinceræ pietatis informandam gentem suam. Pechiæ Archi-Episcopus, cum jam institutus esset, erexit Episcopatus numero XII., virosque imprimis conspicuos singulis

(A) MS. Servicum. (B) Stephanum, *Despotam* appellat, quod tunc adhuc *Volcanus* Rex fuerit.

ſingulos præpoſuit, jubens per ditionem omnem veram fidem catholicam a Chriſto Apoſtolis, & ſanctis Patribus traditam doceri, prædicarique: & coacto Pechiæ concilio ex clero omni, populoque, fratrem ſuum *Stephanum magnum Zupanum* in primum regem coronavit, eique miniſtros omnes ad regia obſequia conſtituit. Tandem locis ſacris Paleſtinæ pie peragratis, cum in reditu eſſet, Joannem Batazem Imperatorem convenit, a quo magnifice exceptus, amplis donis excultus rediit. Hactenus manuſcriptum noſtrum. Nihil tu hinc pro Aſſemani ſententia elicies?

BULG. Imo vero plurimum, ſi modo ad ea, quæ illic narrantur, tum & ad epochas imperii *Theodori Laſcaris*, & *Joannis Batazæ*, nuptiarumque *Radoslavi* filii Stephani animum diligenter advertas.

SERBL. In epochas ipſe tibi præibo. *Theodorum Laſcarem* Nicææ erexiſſe imperium anno MCCIV. quo Conſtantinopolis in Balduini, & Latinorum manus venit, expletisque annis decem, ac octo deceſſiſſe exploratum eſt. Poſt Theodorum in urbe eadem *Joannem Batazem* tenuiſſe imperium ab anno MCCXXII. ad Sæculi ejusdem annum quinquageſimum quintum convenit chronologis omnibus. *Radoslavus*. cum natus non ſit ante annum 1196 (A), nec facile credi poſſit iniſſe nuptias ante ætatis annum viceſimum, conſequens eſt, celebrata fuiſſe hymenæi ejus ſolemnia anno 1216. Quid vero hinc tu eruis?

BULG. Epochas, quas apte conſtituiſti, confer jam veſtræ Sabæ hiſtoriæ: narratur ibi, quod, poſtquam Radoslavo Theodori Imperatoris filia jam collocata erat, Sabam in Chilantharii negotiis Conſtantinopolim advenisſe: advenit igitur ſub annum 1217, & ibi magno gaudio exceptum ab Imperatore, ac Patriarcha, Serviæ Archi-Epiſcopum deſignatum, renunciatumque eſſe. Atqui anno 1217. Conſtantinopoli, ad quam urbem Sabas advenerat, non jam Græci, ſed Latini ſacro, profanoque potiebantur imperio, in horum poteſtate, & Chilantharii res fuere. Igitur ab Imperatore Latino, aut verius Bailo (B), qui vice, & majeſtate imperii tunc fungebatur, ac Gervaſio Patriarcha Conſtantinopoleos Latino, Sabas ad Serviæ Archi-Epiſcopatum nominatus, provectusque eſt, quemadmodum Aſſemanus affirmavit.

SERBL.

(A) Eudocia ex ante dictis nupſit Stephano magno Zupano anno 1195. (B) Nam tunc jam *Petrus Imperator* in captivitate Theodori, Theſſaliæ principis erat, aut deceſſerat.

SERBL. Ex nuptiarum Radoslavi calculo, quem verisimiliter duximus, & noſtra Sabæ hiſtoria non obſcure emergit, Sabam anno 1217. Conſtantinopolim acceſſiſſe, & illic a Patriarcha Latino ad Serblicæ Eccleſiæ thronum deſignatum fuiſſe: at, quod ſatis mirari nequeo, eſt auſus Latini Conſtantinopoleos Patriarchæ, jus ſibi in Serbliam arrogare.

MS. Serviæ hiſtoria Aſſemano conſentire videtur circa Sabæ proiectionem.

BULG. Id ne mirere: inſtitit Gervaſius Græcorum anteceſſorum veſtigiis, & Græcanico pariter faſtu afflatus, jam & ipſe jura ſedis Apoſtolicæ uſurpare aggreſſus fuerat, ut conſtat ex Honorii Papæ epiſtola (A). Sed hunc denique Joannes Columna ſanctæ Praxedis Cardinalis legatus Apoſtolicus, poſtquam Conſtantinopolim appulit, juſtos intra limites conſtrinxit, continuitque. Quod Sabam attinet, palam eſt ex veſtra hiſtoria, illum non tam deſignatione Patriarchæ, quam fratrum, populique precibus permotum Archi-Epiſcopi dignitatem admiſiſſe anno 1218.

Saba provehitur ad Pechienſem Archi-Epiſcopat. per fratres Principes, Clerum, & populum, an. 1218.

SERBL. De anno provecti ad Archi-Epiſcopatum Sabæ eſtne, qui tuam ſententiam, & veriſimilem, quem duxiſti calculum, authoritate ſua fulciat?

BULG. Favet mihi Chriſanthus, Patriarcha Hieroſolymitanus libro conſtitutionum Syndogmation (B) dicto: cum de erectione Archi-Epiſcopatus Pechiæ, cui Saba noſter primus præfuit, in hæc verba ſcribit: *Hic Archi-Epiſcopatus erectus eſt temporibus Theodori Laſcaris, & Patriarchæ Arſenii* (C), *& Servici Zupani, ſeu Ducis Stephani: id, quod ex L. 8. c. 13. Patriarcharum Hieroſolymitanorum videre eſt.* Doſitheus vero, Hieroſolymorum antiſtes a Chriſantho nunc citatus, ſuffragatur mihi multo apertius, cum & ipſum conſecrationis annum, & Patriarcham conſecrantem diſerte expreſſit. Ejus verba, ut a Le Quieno (D) referuntur hæc ſunt: *Sabas Simonis Stephani Raſſiæ, ſeu Serviæ filius* (E) *ab adoleſcentia aulicis turbis evitatis, monaſticam in monte Arbo vitam egit: ſubindeque in monaſterio Chilanthario urgentiſſimis populorum, Regisque* (F), *& magni Zupani* (G) *fratrum ſuorum precibus Serviæ Archi-Epiſcopus deſignatus fuit, & ab Arſenio Patriarcha* (H) *ordinatus anno mundi* 6726., qui reſpondet anno ſalutis noſtræ 1218.

Confirmat id Doſitheus.

Quo teſte, ab Arſenio Hieroſolymitano ordinatur an. 1218.

(A) Ex L. 2. ep. Honorii III. ep. 1002. (B) Syndogmation, ſeu collectio officiorum dicta. (C) Nempe Hieroſolymitani. (D) Le Quien in or. Chriſt. p. 321. (E) Hinc etiam ſtructa per nos antea ſeries, & Genealogia Serviæ principum confirmatur. (F) Puta Volcani, quem anno 1218. adhuc regnaſſe hinc patet. (G) Puta Stephani, qui anno 1219. Volcano defuncto ſucceſſit. (H) Nimirum Hieroſolymitano.

SERBL. Epocham inſtituti Archi-Epiſcopatus Pechiæ, ad cujus Eccleſiæ titulum Sabas provectus eſt, probe demonſtraſti: annum vero conſecrationis, & Patriarcham, cujus manuum impoſitione conſecratus fuit Sabas, detexit Doſitheus. Erat is Arſenius, non Conſtinopoleos, ſed Hieroſolymorum antiſtes, quorum res Doſitheus concinnandas ſuſcepit. Certe, qui anno 1218. Nicææ ſedebat, & a Græcis pro Conſtantinopolitano habebatur, non *Arſenius*, ſed *Manuel I.* fuit: nec enim, niſi anno 1255. poſt Manuelis II. exceſſum Nicææ *Arſenius*, cognomento *Autborianus* inauguratus eſt. Quare, qui *Sabam*, ordinavit, ex fide Doſithei *Arſenius Hieroſolymorum Patriarcha* erat, cui etiam ratio temporum, & catalogi ſuffragantur (A).

BULG. Poſtquam annum conſecrati Sabæ extra dubium conſtituimus, reliquum eſt, ut in geſta ejus, annum obitus, & conjunctionem, cum ſede Romana inquiramus.

XVII

Geſta Sabæ I. in Archi Epiſcopatu.

SERBL. Geſta ejus paucis accipe: provectus in thronum Eccleſiæ Serblicæ Volcano adhuc rege ſuperſtite: ab obitu hujus cum fratre Stephano regni ſucceſſore de ſincera religione, ac pietate reſtituenda Serbliæ ſolicitus, cum Græci ritus Epiſcopatus pauci adhuc, nec pares populorum neceſſitati viderentur, eosdem communi cum fratre conſilio ad numerum XII. provexit, fundavitque: poſtea ad fratris Stephani coronationem proceſſit, cui & miniſterium ab obſequiis regalibus futurum conſtituit. Poſt annos aliquot inter labores Apoſtolicos exactos reſignaſſe videtur Epiſcopalibus infulis (B), & peregrinationem in terram ſanctam pietatis ſtudio ſuſcepiſſe, & inde redux Batazem Imperatorem ex itinere ſalutaſſe (C). Quæ cum ita ſint, ſicut veriſimile eſt, ante peregrinationem ſuſceptam Imperatore Bataze, *Saban* dignitatem Archi-Epiſcopalem poſuiſſe, & *Arſenium* pari ſanctitate conſpicuum ſucceſſorem inſtituiſſe; ita luculentum eſt in menæa noſtra graviſſimum, multorumque annorum errorem irrepſiſſe, cum Sabæ obitum ad annum 1203 defigunt, neque tamen propterea Aſſemano aſſentior, qui ſcribit (D): *abdicato Epiſcopatu Sabam in Athon montem, ex quo ad infulas provectus fuerat, rurſum ſeceſſiſſe: atque ad extremum in Miliſevo cœnobio anno* 1250. *ad ſuperos migraſſe* (E). Obſtat namque manuſcripta noſtra hiſtoria, quæ tradit ab Uladislao rege, quem regnaſſe dicemus ab anno 1235. ad 1243, corpus ſancti Sabæ Archi-Epiſcopi, ex illuſtri urbe Ternova

Error Menæorum in an. obitus Sabæ gravis irrepſit.

De anno obitus Sabæ Aſſemani, & Biographi Joannis Tomco ſententia.

(A) Vide catalogos Patriarcharum Hieroſolymæ, & Conſtantinopoleos. (B) Aſſeman. T. 5. P. 1. n. 18. (C) MS. Servicum. (D) T. 5. P. 1. n. 18. (E) Joan. Tomco Marnavicius Boſniæ Epiſcopus in vita S. Sabæ.

nova, Mileſevum translatum, ibique in Eccleſia ascendentis Domini ſolemni pompa conditum. A quibus diſcordat MS. Servicum.

BULG. Pugnantibus Latinis ſcriptoribus cum manuſcripto veſtro, annus mortis Sabæ inexploratus manet: qui, cum neque a me nunc promte exacteque definiri poſſit, relinquendus eſt in ſuſpenſo, dum certiora in partem alterutram fundamenta affulgeant. Quam dubius autem annus ſupremus vitæ Sabæ eſt, tam luculenta videtur mihi ejus cum ſede Romana concordia, conſenſioque. Hanc utcunque probat, quod non vicini Nicææ Patriarchæ, qui titulos Conſtantinopolitani gerebat, nempe Manuelis I. a ſede Romana palam diſſidentis, ſejunctique conſecratione eſt uſus; ſed Arſenii Hieroſolymitani, quem Romanæ ſedi tunc cohæſiſſe vix dubitari poteſt, cum anno 1218. Hieroſolyma in Latinorum adhuc poteſtate eſſet (A). Evincit autem penitus, & intima, arctiſſimaque Sabæ cum parente *Simeone*, *Volcano* item, ac *Stephano* fratribus conjunctio, & iſorum conſentiens pietas, devotio, veneratioque erga Romanos Pontifices: *Coronatio* præterea *Stephani* fratris, quam corona per Honorium III. Papam ſubmiſſa, & communi Sabæ, ac Legati Apoſtolici miniſterio peractam diximus. Denique & legatio poſt coronationem a Stephano adornata per *Methodium Epiſcopum* Sabæ Archi-Epiſcopo ſubjectum, tum & ipſe literarum tenor tunc ad Honorium exaratarum: nam, cum nec literæ illæ ſcriptæ ſint, nec *Methodius* Epiſcopus inſcio Saba Archi-Epiſcopo eas Romam detulerit; manifeſtum evadit, commune tunc ſtudium, deſideriumque fuiſſe tam Regis, quam Sabæ Archi-Epiſcopi, & ſubjectorum ipſi antiſtitum, ut a ſede Apoſtolica dirigantur, gubernenturque, cujus tam ſolicite mandata, monitaque, & quæcunque *ex ejus voluntate* forent, ad ſe reſcribi per Methodium Epiſcopum, rogabant (B). Huc demum facit, & *Sancti* titulus, cultusque, quem citra ſcrupulum, & ambages *Sabæ I.* Pechiæ Archi-Epiſcopo, ſcriptores pii, & fideles aſſeclæ Romanæ Eccleſiæ, non invita ipſa ſede Apoſtolica, deferunt (C). Nam, ut hæc in tanti ponderis cauſis vigilans, & cauta admodum eſſe ſolet, nunquam illa admiſſura erat, ut a quoquam ſuorum ſcriptorum, ac Romæ præſertim, atque

Annus obitus Sabæ I. incertus.

Sabas I. Pechii Archi-Epiſcopus Eccleſiæ catholicæ vindicatur.

(A) Nec enim niſi anno 1219. a Corradino Saraceno Hieroſolyma occupata eſt teſte Jacobo Vitriaco L. 3. Hiſt. orient. & Gotefrido monacho in Annal. (B) *Methodium nomine deſtinamus, ut quidquid ex veſtra Sanctitate, & voluntate proceſſerit, nobis per latorem præſentium reſcribatis.* (C) Joan. Tomco in vita S. Sabæ Romæ typis edita anno 1630. Calendarium. Joſ. Sim. Aſſemani Tab. Græco Moſcarum T. 1. P. 1. in deſcriptione monaſterii Batopedi, & T. 5. denique Hagiologi ad diem 14. Januarii.

atque in conſpectu ſuo, typisque Romanis ſanctorum numero adſcribatur, aut in eorum catalogum referatur, ſi quod unquam dubium de ejus communione ſubortum fuiſſet. Ut adeo ad fidem faciendam de ejusdem cum Eccleſia Apoſtolica concordia, certiora nobis ex archivis Romanis monumenta anxie conquirenda non putem: etſi ea etiam in lucem aliquando proferri magnopere exoptem. Nec unioni Sabæ obeſt, nominatio ad thronum Eccleſiæ Serblianæ per Latinum Conſtantinopoleos Patriarcham, ut fertur, facta: nam nec nominationi illi aſſenſum Sabas præbuit, quem principum fratrum potius, Cleri, populique votis expugnatum, ceſſiſſe ſcimus (A): atque ſi etiam Patriarchæ Conſtantinopolitano præbuiſſet aſſenſum; nulla iſthinc diviſio Sabæ ab Eccleſiæ capite argui jure poſſet, cui nempe & Conſtantinopolitani Latini Patriarchæ immota cæteroquin fide, & obedientia conjuncti fuere, eo ſolo nomine carpendi, quod exemplo Græcorum anteceſſorum, & ipſi in jura Apoſtolica invaſerint.

SERBL. Eodem hoc argumentorum pondere me quoque convictum profiteor: nec jam aliud porro a te requiro, quam ut, ſi cætera, quæ optaſti, in manus tuas deinceps veniant, ad *ſancti Sabæ* gloriam, honoremque, in publicum emittas. Quibus hic illud ſuperaddo, ſanctum *Arſenium* quoque, quem vivens Sabas in thronum Pechienſem ſucceſſorem provexit, ordinavitque, pari ſanctitatis, & religioſæ obſervantiæ nexu Sabæ, ac Romanæ Eccleſiæ conjunctum exſtitiſſe: nec enim a quoquam ſanæ mentis credi poteſt, diſſimilem ſibi religione, aut in thronum provexiſſe, aut in eodem toleraturum fuiſſe.

Arſenius quoque II. Pechii Archi-Epiſcopius catholicis aſſeritur.

BULG. Reliquum eſt, ut Epiſcopatus Græcanici ritus, quos Sabæ, & Stephani regis pietas, zelusque, aut Serbliæ de novo invexit, aut firmavit, recenſeas.

SERBL. Hos tu ipſis hiſtoriæ noſtræ verbis accipe: *Primus Pechiæ Archi-Epiſcopus Sabas per omnes paternarum ditionum diſtrictus Eccleſiis præfecit Epiſcopos viros lectiſſimos numero XII. PRIMUM* in *Chulmia*, in *Stopa* templo B. *Virginis*. *SECUNDUM* in *Zenta Diocletanum* in Eccleſia S. *Michaelis*. *TERTIUM* in *Dabra* in templo S. *Nicolai*. *QUARTUM* in *Budimnie* in æde S. *Georgii*. *QUINTUM* in *Raſſa* in Eccleſia SS. Apoſtolorum *Petri & Pauli*. *SEXTUM* in *Foſtino* æde B. *Virginis* in *Studeniza*. *SEPTIMUM* in *Prisrend* templo B. *Virginis*. *OCTAVUM* in *Grachaniza* itidem B. *Virginis*.

Epiſcopatus Græci ritus XII. a Saba I. fundati ex MS. Servico.

(A) Ad hos enim provectionem in Archi-Epiſcopatum pertinuiſſe conſtat ex Reſponſis Nicolai I. ad conſulta Bulgarorum c. 73. ubi ait: *A Sedis Apoſtolicæ Præſule nunc vobis Epiſcopus eſt conſecrandus, qui creſcentibus Chriſti fidelibus, Archi-Epiſcopatus privilegia per vos accipiat.*

ginis. *NONUM* in *Toplizza* S. *Nicolai*. *DECIMUM* in *Branichevo* æde S. *Nicolai*. *UNDECIMUM Belgradi* in templo B. *Virginis*. Epiſcopum *DUODECIMUM* inſtituit in *Moravizza* in æde S. *Archilii*: *& in mandatis dedit per has omnes ditiones doceri, tenerique, quam conſtantiſſime veram Catholicam fidem a ſanctis Apoſtolis Patribus, & Doctoribus traditam. Poſt quæ peracta Archi-Epiſcopus, & Dominus Kyr Sava juſſit convenire concilium prædictorum omnium in MAGNO ARCHI-EPISCOPATU PECHIO, & in eo conventu CLERI TOTIUS* (A) *nobilitatis majoris, minorisque, ac populi univerſi FRATREM SUUM MAGNUM ZUPANUM STEPHANUM honore, ac Regali Diademate coronavit, & miniſtros ab obſequiis Regi futuros inſtituit.*

BULG. Le Quienus quoque ex Doſithei L. 8. c. 13. de Patriarchis Hieroſolymitanis, eosdem Epiſcopatus, quanquam aliquanto corruptius recenſuit his verbis: *Regni Serviæ metropolis fuit Peci (Farlato Pechia, eadem, ni fallor, quæ Ptolomæo Peſſium, qui in eadem regione Picentinos ſtatuit). Ejus itaque Præſul totius gentis Archi-Epiſcopus, ac Primas* (B) *SABAS ILLE, de quo mox dicebamus, cum fratrem ſuum Stephanum regni corona redimiſſet, Epiſcopos XII. per ejus ditionem inſtituit, qui in monaſteriis morarentur. PRIMUM ZACHUMIÆ* in monaſterio *Panagiæ*. *SECUNDUM* in terra *Diocletiæ* in Eccleſia *S. Michaelis Archangeli*. *TERTIUM* in *Timbre* in *S. Nicolai*. *QUARTUM Butumliæ* in *S. Georgii*. *Quintum Bu Raſſi* in *SS. Apoſtolorum*. *SEXTUM Rhoſinæ* in *Panagiæ* in *Studenizza*. *SEPTIMUM Priſren in Panagiæ*. *OCTAVUM Vragachenizæ* in *Panagiæ*. *NONUM Utonizæ* in *S. Nicolai*. *DECIMUM u Branizobi* in *S. Nicolai*. *UNDECIMUM Belgradi* in *Panagiæ*. *DUODECIMUM Moraviæ in S. Achillei.*

Idem ex Doſitheo.

SERBL. Pechiæ Archi-Epiſcopatus initia, & ſubjunctos ejus throno a principio Epiſcopatus recenſuimus, & *Primatis* honore auctum innuimus. An vero, qua ratione, qua ætate, & quali de cauſa Archi-Epiſcopatus idem ad *Patriarchæ* titulos, juraque ſit provectus? hoc eſt, quod adhuc veſtigandum reſtat. Paulo ſerius id eveniſſe pro certo habeo: evolves & iſtud, cum ad ea tempora pertingemus.

XVIII. Inquiritur in initia Patriarchatus Pechienſis.

BULG. Nulla hic dilatione opus eſt: rem omnem continenti narratione pertractabo, ut uno ſub conſpectu decora ſedis ejus verſentur

(A) Concilio adfuiſſe Legatum quoque *Apoſtolicum*: & *Latinos præterea Epiſcopos*, perſvadet ſolemnis Regis coronatio. (B) Primatis dignitate, quo hactenus Servia in gremio ſuo caruiſſe videtur, a Stephano Rege Sabam ornatum fuiſſe, hinc liquet: atque ita jus coronandi reges, a Saba ad ſucceſſores tranſiſſe.

ſentur omnia, quam jam Archi-Epiſcopali, ac Primatis dignitate ſublimatam audivimus.

Chryſanthi, & Doſithei opinio.

SERBL. Chryſanthus Hieroſolymitanus ex Doſitheo conſtare ait, qua ratione in vulgo fama exorta ſit *Pechienſem Eccleſiam* ab orientali diviſam fuiſſe. Negatque hoc, ut vulgus opinatur, factum propterea, quod Serbli armis, potentiaque ſibi aſſeruerint partem *Archi-Epiſcopatus Achridani*, ſed quia *Archi-Epiſcopus Pechiæ* tyrannum *Vukaſinum* olim in regem coronavit. Ob hanc enim cauſam ait, *Patriarchas Orientales* removiſſe a communione Eccleſiæ tam *Pechienſem antiſtitem*, quam *omnes Servianos* in commune: quos tamen ſubinde, ob preces eorum ad Eccleſiam, & Imperatorem transmiſſas, vinculo exolutos, in communionem receperunt. Ita Chryſanthus ex Doſitheo.

Quæ rejicitur.

BULG. Doſitheus igitur cum Chryſantho contendunt, *Pechienſes Archi-Epiſcopos* nunquam titulos *Patriarchæ* ſumſiſſe, nec Serblorum Eccleſiam ab orientali diviſam, independentem, autocephalam, ſuoque jure vixiſſe, egiſſeque, niſi cum *Pechienſis* antiſtes Vukaſinum corona incinxit, & Serblia idcirco communione excluſa eſt. At fallitur magnopere, cum a Vukaſini coronatione diviſionem Eccleſiarum Serblicæ ab orientali repetit, atque hac de cauſa *Pechienſem*, cum *gente omni* ab orientalis Eccleſiæ communione ſeparatos comminiſcitur. Nam jura coronandi reges Serbliæ, inde a Saba ad ſucceſſores *Pechienſes* derivata ſunt: nec *Vukaſini* regis coronatio vitii aliquid, aut labis habuit, ut propterea cenſura Eccleſiæ vindicari deberet: peracta enim eſt Uroſio IV. Imperatore non invito, ſed volente, jubenteque, regnoque conſentiente, ut in loco dicturi ſumus (A).

Le Quieni de re eadem ſenſus.

SERBL. Rejecta hac parte Doſithei ſententia, quæ, qualisve ſit Le Quieni in hac re opinio, narratiove, audiamus.

Perinde rejicitur.

BULG. Exiſtimat is a Latino Conſtantinopoleos Patriarcha, qui vices ſuas ſancto Sabæ in Serbliam, ac cumplures Illyrici provincias detulerat, profluxiſſe demum, ut *Pechienſes Archi-Epiſcopi* deinceps inſtar *Patriarchæ* ſint habiti, atque Eccleſiam ſuam ſuprema quadam authoritate, & autocephalos gubernare ceperint. Verum quanquam *Gervaſius* ejus temporis Latinus Conſtantinopoleos Patriarcha in jura Eccleſiæ Romanæ involaſſe legatur, ut antehac memini; indeque fors jus coronandi reges, quod proprium olim Diocliæ Archi-Epiſcopis fuerat, ad Pechienſes tranſiſſe cogitari poſſit; at *Patriarchæ* titulus

(A) Hoc eſt Colloquio X.

titulus inde non proceſſit: nam dignitas illa appellatioque longe ſerius, & multum poſt Sabæ primi tempora in Serblorum uſum, moremque invecta eſt, & ſedi Pechienſi adhæſit. Cæterum Pechienſes Antiſtites jus coronandi reges in ſe attraxiſſe videntur multo veriſimilius, ex recens obtenta Primatiali dignitate, & exemplo potius Sabæ I. coronantis Stephanum cum Legato Apoſtolico, quam conceſſu, & indulgentia Conſtantinopolitanorum Antiſtitum.

SERBL. Age igitur, & tuam in medium deprome ſententiam, ac veriorem Patriarchatus Pechienſis epocham, & novæ hujus inſtitutionis occaſionem, originemque evolve.

Sententia noſtra de exordio Patriarchatus Pechiæ.

BULG. Serbliani principes, ex quo Achridam, magnamque Macedonicæ Bulgariæ partem ſuo adjecerunt regno, jura quoque *Achridenſium* Archi-Epiſcoporum, & autocephaliam, *Pechiam* transtuliſſe veriſimile prorſus eſt: nam id etiam traditio, quæ teſte Doſitheo, in populo communis viguit, confirmat: populari autem, communique gentis traditioni potius, quam Doſitheo, & Le Quieno fidem habeo, aſſentiorque. Cum autem in hunc modum, atque hoc nomine autocephaliam Pechienſes in ſe transtuliſſent; *Patriarchæ* titulos non ante aſſumſiſſe videntur, quam cum *Stephanus Duſianus* rex in *Imperatorem* ſe proclamari juſſit, & diademate *imperii Romaniæ* inſignitus eſt, id, quod ante annum MCCCXLV. non evenit. Certe ante Archi-Epiſcopum *Joaniche* neminem *Pechienſium* Præſulum titulo *Patriarchæ* ornatum a quoquam comperi. *Joanichii* autem ætas cum anno primo *imperii Stephani Duſiani* adamuſſim congruit. Qui Princeps, ac Imperator, qua demum occaſione, cauſaque odia Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ in ſe provocaverit, ejusque cenſuris confixus ſit, opportunius inter Stephani geſta referemus (A).

SERBL. Egregie tibi patrocinatur hiſtoria noſtra manuſcripta: ea enim in catalogo Pechienſium Archi-Epiſcoporum, poſt decem a Saba I. Archi-Epiſcopos, primum in ordine Patriarcharum *Joanichium* ſtatuit, ejusque deinceps ſucceſſores titulo eodem pertexit: ſed, quod doleas, nulla chronologica nota eorum initia, finemque diſtinguit. Is ergo titulus communi gentium noſtrarum perſvaſione, præjudicioque a Græcis hauſto, quod Imperium absque Patriarcha ſtare nequeat; ſimul omnino, atque eodem tempore cum *Imperio Serbliano* exortus eſt: quem titulum collapſo etiam ſubinde imperio ſucceſſores antiſtites retinuere, atque inter hos Arſenius IV. anno 1746, qui poſtremo bello Turcico ſub annum 1740 eggreſſus Pechia in ditiones Auſtriacas, Carlovizenſi, aut verius Cruſedolenſi in Syrmio Metro-

(A) Id eſt Colloquio IX.

Metropolitæ ſede, proventuque donatus eſt. Ejus enim, quem ambo probe novimus icon typis Vindobonenſibus anno 1746. procuſa ampliſſimum hunc titulum præfert: *Arſenius IV. Dei Gratia fidelis Archi-Epiſcopus Pechienſis, totius Serviæ, Bulgariæ, Maritimæ, Dalmatiæ, Boſnæ, Chrobatiæ, Banatus Temeſienſis, mediæ partis Danubii, & univerſi Illyrici Patriarcha.* Ex quo ejus fines cognoſcas.

Viguit uſus Patriarchæ tituli ad hanc ætatem.

XIX. Conatus Calliniei Patriarchæ Conſtantinopolitani adverſus eundem titulum.

BULG. Atque hæc auſi eſtis, nec vos terruit ſevera illa Callinici Conſtantinopolitani Patriarchæ excommunicatio, & dirum illud anathema fulminatum in omnes illos, qui præter *Romanum*, *Conſtantinopoleos*, *Alexandrinum*, *Antiochenum*, *Hieroſolymorum*, ac *Moſcoviæ*, *ſeu Ruſſiæ Archi-Epiſcopum*, alium quemcunque, ſeu is *Achridæ*, ſeu *Cypri*, ſeu *Iberiæ*, ſive *Pechiæ* Archi-Epiſcopus fuerit; *Patriarcham* agnoverint, eo nomine compellarint, tali titulo literas ad eos inſcripſerint, aut inſcriptas ab aliis retinuerint. Ipſos vero *Archi-Epiſcopos*, titulum *Patriarchæ* ſibi arrogantes, aut quoquo modo uſurpantes, continuo cenſuris Eccleſiaſticis obnoxios fore, ac facto ipſo incurſuros, manſurosque iisdem illigatos decernit, ac declarat.

SERBL. Unde tibi hoc commentum innotuit? fabulam opinabor, niſi fontem, ex quo hoc hauſiſti, aperias. Callinicus II. Patriarcha ſedit Conſtantinopoli tertium, ſub annum 1702. Si is hoc fulmen ſtrinxit, vel authorem hæc narrantem, vel decretum profer.

BULG. Ali, ſi tibi vacat, ſyndogmation Chriſanthi Hieroſolymorum Patriarchæ: is decretum ad apicem retulit. Hoc, quia recenſere & longum, & ſupervacaneum foret, ſynopſim accipe. In decreti ingreſſu affirmat Callinicus conſultum ſe a nonnullis fuiſſe, quibus de jure competat, ac tribuatur veri Patriarchæ honor, nomenque? ac mox reſpondet: in Eccleſiæ hierarchia præter *Romanum* quatuor eſſe Patriarchas: *Conſtantinopoleos*, *Alexandriæ*, *Antiochiæ*, & *Hieroſolymæ*. Ad horum numerum recens acceſſiſſe omnium conſenſione *Moſcoviæ Patriarcham*. Extra hos quinque neminem in claſſe *Patriarcharum* exiſtere. Archi-Epiſcopos autem ſupremos *Achridæ*, *Cypri*, *Iberiæ*, *ac Pechienſem* temporum decurſu variis fuiſſe ornatos, inſignitosque privilegiis, quin tamen iidem ſe præſumerent *Patriarchas* compellare (A). *Quare, ſi quis*, verba ſunt decreti, *Ipſorum propria imaginatione, authoritate, vel ex alia licita, illicitave cauſa, id, quod etiam*

Ejus decretum.

in

(A) Callinici imperitiam arguunt, quæ de *Achridano Archi-Epiſcopo* Colloquio III. diximus: quem Romanus Lacapenus Imperator cum Senatu *Patriarcham* renunciavit. *Pechienſem Archi-Epiſcopum*, Patriarcham vocavit Innocentius VI. P. de quo Colloq. IX. Item Joannes Palæologus VI., & Philotheus Patriarcha Conſtantin. de quo Coll. XI.

in œcumenicis conciliis conſtitutum eſt, ſeipſum contra inſtitutiones Eccleſiaſticas præſumeret tali titulo appellare, id, quod non rectæ rationis, ſed excerrantis, deceptæque mentis, & voluntatis indicium foret; atque ita ſciſſiones, & diſcordias facere attentaret; noverit ſe continuo Eccleſiaſticis pœnis obnoxium fore, easque ipſo facto incurſurum, manſurumque pœnis iisdem illigatum: cum in eo gradu, in quo quis eſt conſtitutus, permanere etiam debeat, nec metas a Patribus in conciliis œcumenicis definitas eggredi. Quæ cum ita ſint, edicimus, ſcribimusque: quod ſi quis quemcunque ex omnibus ſupradictis PATRIARCHAM nominaverit, atque ad ipſum, velut talem ſcripſerit, aut a tali, HOC TITULO ſcriptas epiſtolas ſuſceperit, ac retinuerit; eum nos, tanquam violatorem legum divinarum, contumacem, antiquas Eccleſiæ inſtitutiones confundentem, & ſcandalum præbentem, a Deo omnipotente excommunicamus ſeparantes, ut irreſolutus etiam poſt mortem maneat. Lapides, ferrum transibunt, & diſſolventur, ipſe vero non diſſolvetur, ſed partem habebit cum Juda. In quem finem hoc commune decretum datum eſt.

Et diræ in eos qui hoc titulo utuntur.

SERBL. Igitur Archi-Epiſcopi noſtri Pechienſes inde a Sæculi XIV. medio, quo *Joanichius* ſedit: Reges, Principes, Prælati, gens noſtra univerſa pœnis Eccleſiæ, & excommunicationis vinculo innodati ad poſtrema hæc tempora perſiſtunt, corpora eorum manent irreſoluta, ac, ut verbo concludam, cum Juda partem habent omnes. Pervadit me totum horror ingens, & neſcio, an Callinico, & inclementi in nos adeo Conſtantinopolitanæ ſedi indigner, aut fato gentis noſtræ indoleam, quæ poſt tam grande vulnus univerſæ Serblianæ, Bulgaricæ, totiusque Illyrici genti inflictum, adhuc eidem Conſtantinopoleos throno, ejus placitis, dogmatisque obſtinate, ac perdite adhæret.

BULG. Si genti tuæ ex animo indoleas, ſi ſedi Conſtantinopolitanæ indigneris, non ex vano, nec abs ratione agis. Nam & gens tua noſtraque miſeratione, & Conſtantinopolitanorum Præſulum aſperitas, digna prorſus eſt indignatione. At non eſt, cur te ideo metus percellat. Callinici excommunicatio, ac diræ, brutum & inane fulmen ſunt, ambitione potius, & latius dominandi libidine, quam ſtudio, zeloque canonum procuſum. Bulgari rident ejus fulmina non minus, ac ſupinam antiqui Eccleſiaſtici moris ignorantiam. Norunt illi, juſſu Romani Lacapeni *Achridanos* Archi-Epiſcopos a conſilio imperiali *Patriarchas* renunciatos fuiſſe (A). Norunt *Trinobi* quoque Præſulem, Imperatorio, & Synodico decreto, ut Aſano Bulgarorum Principi gratificarentur, obtinuiſſe, ut ſuo jure vivere liceret, & Patriarchæ

Ignorantia Callinici detegitur.

(A) Index Archi-Epiſcoporum Bulgariæ in Damiano.

nomine condecoraretur (A), &, quod eſt amplius, ſunt præ illorum manibus a Patriarchis Conſtantinopoleos ad *Ternobenſem* eorum ſummum Præſulem inſcriptæ hoc titulo literæ: *Sanctiſſime Patriarcha Ternobi, & totius Bulgariæ, in ſancto Spiritu dilecte Frater noſtræ mediocritatis, & comminiſter* (B). Sed & vos ridere convenit ſummorum Pontificum authoritate fretos. Mitius ſemper, benigniusque egit vobiſcum Romana Eccleſia, quæ, ſicut olim *Achridanæ Bulgarorum Eccleſiæ* per Illyricum vices Apoſtolicas largiſſime detulit; ita *Patriarchæ* titulum non modo non invidit *Pechienſi Eccleſiæ*, aut pœna aliqua, minisve cœrcendum duxit, ut ultro potius, pro ſumma, quam a Deo accepit in ſacris poteſtate, Archi-Epiſcopum veſtrum *Joanichium*, *Patriarchæ* appellatione inſigniverit, & exornarit (C). Hac igitur Apoſtolica authoritate liberalitateque in Pechienſem veſtram Eccleſiam freti, tuto inanem, quem concepiſtis metum, deponite, illudque ſemper præ oculis habete: vos, cum omni Illyrico Romani, non Conſtantinopolitani juris eſſe. Quod cum ita ſit, quid tandem eſt, quod vos nondum totos ſedi Apoſtolicæ conjungitis, quam majores veſtri, principesque *Volcanus*, ac *Stephanus primo coronatus*, atque, quos in Divorum albo adſcriptos geritis *Simeon Stephanus rex*, ac *Sabas* ejus filius *primus Pechiæ Archi-Epiſcopus* filiali prorſus pietate venerati ſunt: a qua, velut ex fonte benefico, ac perenni diadema Regium in ſtirpem quoque Nemanichiorum principum profluxit: quæ ſedi Eccleſiæ veſtræ principali *Pechienſi*, *Patriarchalem* honorem titulosque inſcripſit. Hæc ad animum veſtrum demittite, & exemplo Principum veſtrorum, quos diligitis, exemplo ſanctorum *Simeonis*, *Sabæ*, & *Arſenii*, quos ad aras colitis, quorum invocatione juramenta veſtra in aditu Eccleſiarum firmatis: devotionem, ac filialem obedientiam ſucceſſori Petri, Chriſti Vicario ſpondete, & Diocletanæ gentis veſtræ Synodi canonem VI. renovate: *Romanam Eccleſiam matrem*, & *magiſtram Eccleſiarum omnium* agnoſcite, & decernite.

Innocentius VI. Pechienſem Archi-Epiſcopum Patriarcham appellavit.

Concluſio.

COLLO-

(A) Nicephorus Gregoras L. 2. in Joanne Duca Imperatore. (B) Vide Georgii Codini excerpta de antiquitatibus Conſtantinopolitanis, in expoſitione nova. (C) Vide Innocentii VI. Romani Pontificis epiſtolam ad *Ioanichium Serviæ Patriarcham* Colloquio IX.

COLLOQUIUM SEXTUM.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM SUB REGIBUS RADOSLAVO, VLADISLAVO, ET STEPHANO UROSIO, FILIIS STEPHANI PRIMO CORONATI.

SERBL. Stephanum primo coronatum Regem ex Eudocia primo conjugio quatuor ſuſcepiſſe liberos *Radoslavum*, *Vladislavum*, *Stephanum*, ac *Predslavum* manuſcripta Serbliæ hiſtoria perhibet (A). Ex his *Predslavus* Sabæ patrui exemplum ſequutus, religioſum vitæ genus complexus, tertius Pechii Archi-Epiſcopus Sabæ II. nomine, & fama virtutum claruit: ad extremum in Pechienſi ſacra æde ſepulturæ mandatus integer, ac incorruptus hodieque viſitur. Tres priores ordine natalium avitum thronum inſederunt. *Radoslavus* primogenitus, qui Theodori Laſcaris Nicææ Imperatoris filiam duxerat, parente ſub annum 1224. erepto humanis, regimen provinciarum adiit, gubernavitque annos XI. inter diſſidia cum fratre Vladislao, a quo demum anno 1235. throno dejectus eſt. I. Radoslavus, & Vladislavus Reges.

BULG. Dalmatici ſcriptores, quos Du Fresnius ſequutus eſt, a veſtris hic multum diſſident. Orbinus *Radoslavi* quidem meminit, ſed eundem natu minorem Stephani primo coronati filium, Chelmi provinciæ præfectum, patre ſuperſtite vita exceſſiſſe ſcribit. Ejus, & cæteræ per hæc tempora narrationes nimium perturbatæ ſunt: obtrudit nobis, neglectis *Radoslavo*, & *Vladislavo*, proximum ſucceſſorem Stephani primo coronati *Nemanem*, cognomento *Crapalum*: & poſt hunc Caprali filium *Stephanum Uroſium*: & geſta, quæ vos in Radoslavum, & Vladislavum dividitis, ille ad *Crapalum*, & *Uroſium* transfert: Orbino Du Fresnius conſentit. Ita cum hi duo perturbent veſtram hiſtoriam, Orbini, & Du Fresnii errores.

(A) Sed veriſimilius eſt, poſtremos duos ex altero connubio, hoc eſt: Veneta matre nepte Henrici Danduli natos fuiſſe, ut infra dicetur.

hiſtoriam, nullus ipſorum *Radoslavum*, & *Vladislavum* in ſeriem regnantium intulit: ego utrumque in numero Regum colloco, & fidem hac parte manuſcriptis veſtris habeo.

SERBL. Et æquum prorſus eſt, ut noſtris potius, in deſcribenda Regum ſucceſſione deferas, &, quos Orbinus, neſcio quo fato, transiliit, *Radoslavum*, ac *Vladislavum* in ſeriem Regum induCas. Et confirmat, niſi fallor, illuſtratque hos Reges, quæque illi invicem compoſuerunt, & renovarunt diſſidia, numus argenteus a Muratorio (A) typis procuſus. Eſt is minoris moduli ex muſæo Apoſtoli Zeni depromtus, qualem & ipſe in penu mea habui. Ejus parte una viſitur non *canis* quidem, aut *vulpes*, ut Muratorio apparebat, ſed *Martes* inter ſtellas geminas decurrens, cum epigraphe *Moneta Regis Sclavoniæ* limbi circulo charactere monaſtico inciſa: parte autem averſa crux duplex objicitur, cujus baſim circumſtant duo coronata capita, quorum uni R. alteri L. litera ſuperſcripta eſt: in ſummitate vero hinc ſtella, inde Luna emicat: &, quod in ſua numi expoſitione præteriit Muratorius, ſingulis literis ſingulæ *ſolæ* imminent: e binis autem crucis angulis, quos medius ſtipes transverſus efficit, gemina emergunt lilia (B).

Numus Regum eorumdem deſcribitur.

BULG. Laudatum numum, an Muratorius pro exquiſita ſua eruditione ad Serblorum hiſtoriam accomodavit, expoſuitque?

SERBL. Ad Sclavorum Reges pertinere numum, atque ex eorum officina prodiiſſe, non dubitavit Muratorius: at cum hoſpes, minusque verſatus in ea parte hiſtoriæ eſſet, & neque initia, neque finem *Sclavorum Regum*, regnique ſatis explorata haberet, ſapienter ſane elucidandi ejus numi provinciam aliis reliquit: audi Muratorium: *Non ultra initium ſæculi a Chriſto nato tertii decimi, Sclavi ſuos Reges habuiſſe traduntur: cui opinioni non facile ſubſcribam. Sed, cum me hic libri deficiant, malo rem intactam aliis dimittere, quam temere in hiſtoriam mihi ignotam ingredi. Igitur aliorum erit inquirere, quo tempore, & ſub quibus Regibus argentei iſti numi fuerint procuſi.* Quod intactum dimiſit Muratorius, ego explanare aggredior, ac facem præferente hiſtoria noſtra domeſtica, laudatum numum ad ſæculum XIII. depono, regibusque noſtris *Radoslavo*, & *Vladislavo* filiis Stephani primo coronati defendo.

Ita Muratorio exponitur.

BULG. Hæc tu nimium confidenter: cave, ne incepti te pœniteat. An ignoras, nuper admodum viros clariſſimos (C) numum eundem

(A) Antiquitatum Italiæ T. 2. (B) Vide numum I. Selavoniæ ad calcem. (C) Reverendiſſimus Balt. Kerchelich in Not. Prælimin. Cl. P. Car. Palma in Specim. Herald. Hung. iſte a p. 57. ille a 128.

eundem in examen vocaſſe, plura commentatos, iſtaque occaſione varias ejus formæ monetas retuliſſe, in quibus licet diſcriminis aliquid notetur, ſcalprum tamen commune, & conſentiens deprehenditur. Numorum Sclavonicorum diſcrimen, & variationes accipe: ſunt, quorum pars antica refert epigraphen *Rex Sclavoniæ*: in aliis legitur *moneta Regis Sclavoniæ*, *Martes* vero, qui in ſingulis occurrit; hic inter ſtellas, ibi inter Lunas, aut duo Lilia, aut inter Lunam ſtellæ junctam, & arborem medius, currenti ſimilis viſitur. Parte autem poſtica, præter crucem duplicem, & capita coronata, nunc ſtellam & lunam, alias lilia, & aves, nunc nullas literas, alias varias, nimirum: R. L -- H. R -- S. R -- vel R. M -- exhibet: quos univerſos ambo concordi ſententia Regibus Hungariæ adſcribunt, nec inveriſimiliter, quanquam in figenda numorum ætate diſſideant. Eorum argumenta in hanc rem accipe: *Sclavonia* inter amnes Dravum, Savumque effuſa, & a Sæculo XI. Hungariæ obnoxia, *Regnum* ab olim fuit, ejus *regni Sclavonici* armorum inſigne pervetuſtum *Martes* erat: monetæ *Marte* inſignitæ in ejusdem regni gremio *Racsæ* cumprimis, & in *Criſienſi* comitatu hodie eruuntur: eædem parte averſa crucem geminatam Hungariæ ſignum præferunt: ab Hungariæ itaque Regibus procuſæ ſunt: &, quia numus alter indubitanter Hungaricus (A), qui parte antica epigraphen *moneta Karuli Regis*, faſcias Hungaricas, & lilia Andegavenſia deſcribit; idem parte poſtica æquali prorſus cum numis Sclavonicis ſitu, ſcalproque crucem duplicem, coronata capita ſtellam, lunamque præfert, æqualitas iſthæc, ac congruentia, argumento eſt; Sclavonicos quoque numos ex eadem Caroli I. Hungariæ regis officina progreſſos eſſe.

Numorum Sclavonicorum varietas.

Argumenta eorum, quibus Hungariæ regibus propugnant.

SERBL. Cederem tot argumentis cumulate per te congeſtis, velut ponderi ſuſtinendo impar, nec dubitarem *Sclavonicas* monetas ſeu Carolo I., ſeu præceſſorum alicui adſcribere, ſi quenquam ex tota principum Hungaricorum ſerie titulos *Sclavoniæ Regis* geſſiſſe, aut *Sclavorum Regis* nomine, a quoquam donatum, aut uſum agnoſcerem. At convenit *Sclavoniæ Regis* titulo, Hungarorum neminem ante Uladislaum II. uſum fuiſſe (B): quo ergo vade, quave fiducia numos titulo *Sclavoniæ Regis* inciſos, aut ego tribuam Hungaris, aut illi vendicabunt? Præterea, ſi a Carolo I. (C), aut alio quocunque Regum, moneta *Martis* imagine, & epigraphe *Sclavoniæ Regis* inſignis procuſa in publicum fuit, latere id univerſitatem Nobilium Regni Sclavoniæ non potuit, imo, ut res ejus generis, momentique, ne ſæculorum quidem lapſu evaneſcunt, in recenti Nobilium memoria eſſe debuit: igitur cum anno 1496. ab Uladislao II. *Martem* regno ſuo

Abjudicantur iisdem.

(A) Vide numum Hung. Caroli I. Regis Hung. ad calcem. (B) In Decreto majore anni 1492. (C) Carolus regnavit ab anno 1310. ad 42.

pro armorum insigni condonari, novoque privilegio confirmari rogarunt (A), cur usum duntaxat suum veterem, præsentemque allegant? cur non etiam ad ipsas a Regibus Hungariæ procusas Sclavonicas monetas *Marte insignes* provocant, aut numos etiam ipsos conspectui Regis offerunt? quod sane efficacissimum petitionis fulcrum, testimoniumque futurum erat. Ignotum nimirum hoc illis fuit: novior proinde, & nuper excogitata videtur sententia, quæ numos Sclavonicos marte insignes Hungariæ officinis adscribit, quam, ut assensum nostrum promereatur. Quare nec ex martibus, quibus Sclavoniæ interamnensis regnum ab antiquo scuti loco usum fertur, quidquam efficitur: is enim mos ante ipsa Hungarorum tempora excurrit, & a nativis Sclavoniæ regibus manasse videtur. Sed neque e locis, in quibus monetæ illæ hodie eruuntur, recte concluditur, illic procusas fuisse: ut enim dissimulem *Racsam* in ipso Serbliæ confinio, ubi Drinus Savo miscetur, collocatam esse: quis negare audebit, monetas, quanquam alibi terrarum, vel in Serblia procusas, aut commercio, aut communi illa, post Turcorum incursum, Serblicarum gentium migratione, isthuc inferri potuisse. Denique nec crux duplicata, aut lilia numos illos Hungariæ asserunt, ut mox dicam. Carolus autem primus numo suo Hungarico partem posticam ex Sclavonicis, hoc est: crucem, & capita, mutuare, & adoptare potuit vel eo nomine, quod ectypon isthoc mirum in modum, aptissimeque quadraret ad indicandam victoriam, triumphumque, quem divina assistentia de æmulis regibus Venceslao, ac Othone obtinuit anno 1310 asserta pleno jure sibi Hungaria. Nec novum hoc, aut insolens esse putes: sic enim & augusti orientientis, aut nudo crucis symbolo, aut additis ad latus crucis utrumque imaginibus, victorias suas, triumphosque pie designabant (B).

BULG. Postquam numos Sclavonicos scalpro Regum Hungariæ abjudicasti; age, & argumenta deprome, quibus Serbliæ eosdem parabas, evincere.

SERBL. Serbliæ principes, ab antiquissimis inde temporibus *Sclavorum*, & *Sclavoniæ reges* generali nomine, & ab aliis dicti sunt, &

(A) Diploma Uladislai II. incipit: *Decet Regiam*: confirmat eo *Martem*, vetus Sclavoniæ insigne, & ob assidua Turcorum bella in rubeum campum transfert: novisque accessionibus auget: nunc ergo tres sunt scuti Sclavonici areæ: rubram mediam *Martes* decurrit: per unam cœlestis coloris aream *Dravus*, per alteram *Savus* fluit: in summitate *Martis Stella* emicat. (B) Vide Veteres Orientis Imperatorum numos apud Banduriun.

& ſe ipſos compellarunt, & regio ipſa *Sclavoniæ* nomen ſubiit (A). Mos idem, uſusque ad Sæculum uſque XIII., quo Sclavonici numi procuſi ſunt, propagatus eſt, & perſeveravit. Eosdem principes, præter titulum *Sclavoniæ Regis*, in ſcuto ejusdem regni *Martes* habuiſſe, palam eſt ex pleno illo armorum ſtemmate, quo *Stephanum Duſianum* Regem, & Imperatorem Serblorum Sæculo XIV. medio uſum fuiſſe novimus: in eo enim Sclavoniæ ſcutum *ternos Martes* in campo viridi decurrentes exhibet: quos Orbinus, aut ſcalpri vitio deceptus, aut acie oculi fallente *canes* putavit, conſimili fere cum Muratorio errore. Quare Serbliæ principibus pars antica numorum Sclavonicorum ad amuſſim congruit, hoc eſt: tam *Martis* imagine, quam titulo *Regis Sclavoniæ*. Sed nec eſt cur poſticam numi partem Serbliæ principibus abjudices: nam crux duplex, & coronata capita, quæ illic viſuntur, non aliud denotant, quam concors principum imperium: id, quod Serbliæ Principes ab orientalium auguſtorum more, exemploque mutaſſe veriſimillimum eſt: aſpice, ſi tibi vacat, Leonis, & Conſtantini: Conſtantini, & Alexandri: Conſtantini, & Irenes matris: Baſilii, & Conſtantini fratrum numos: illi conſimili fere forma procuſi erant, nec aliud fere notabant. Porro deſcriptas in laudato Sclavoniæ numo coronatas effigies, ipſos Raſciæ principes deſignaſſe, teſtantur *Soleæ*, vetus Raſciæ inſigne, ſupra literas inciſæ: *Luna* autem, & *Stella*, pars Boſnenſium armorum, jus primævum, ac orginarium Serblorum in Boſnam notabat: *lilia* demum gemina, ſtirpis Nemanichiæ ſtemma, domum, ex qua principes iidem orti ſunt, indicabant: quorum nomina *Radoslai* ſcilicet, ac *Ladislai* literæ ipſæ *R.*, ac *L.* coronatis capitibus inſiſtentes demonſtrabant. Quemadmodum autem *R. L.* literæ Radoslaum, & Ladislaum Reges: ita *S. R. Stephanum Regem*: *R. M. Regem Milutinum*: *H. R. Helenam Reginam* matrem, qui Sæculo XIII. regnarunt, indicaſſe videntur. Quos omnes, ſicut Romani Pontifices *Sclavorum Reges* appellabant, ita dubitari nequit, & ipſos eodem titulo ſe inſcripſiſſe; retentoque ſcalpro primævo numorum, literas ſolas pro varia ratione nominum variaſſe. Huic meæ commentationi lucem, fidemque addet armorum inſigne, quo Stephanus Duſianus Rex, & Imperator Serblorum uſus eſt. In eo cuncta, quæ dixi, conſpicua ſunt: *lilia* duo gentilitia: *Soleæ* Raſſiæ: Boſnæ *Luna*, ac *Stella*: & *Martes* Sclavoniæ: qui, ſicut plura regna generali *Sclavoniæ* appellatione complexus erat, ita jure optimo, *ternos*, ſuæ

Numi Sclavonici vindicantur Principibus Serbliæ.

(A) Diocleates Presbyter, qui hiſtoriam *Serblorum*, *regnum Sclavorum* inſcripſit. Conſt. Porphyr. L. de Adm. Imp. c. 29. & 30. Joannes VIII. Papa relatus Coll. 2. Lupus Protospata Coll. 3. Joannes X. Papa ibidem. Gregor VII. Coll. 4. Nicolaus IV. P. Coll. 6. Bonifacius VIII. Colloquio 8. &c.

ſuæ Sclavoniæ ſcuto, *Martes* inſeruit (A). Hactenus de laudato *Sclavoniæ numo* ſenſa mea expoſui: quæ, ſi me etiam contra ſpem fallant, quoniam non me latet, recentiorum Scriptorum communem eſſe opinionem. Nullum hujusmodi ante tempora Caroli Roberti H. R., ſub quo Banorum juſſu cudi cæpere, numum exſtitiſſe; ſtabit adhuc *Radoslavus* rex concordi manuſcriptorum noſtrorum fide aſſertus. Is ergo poſt Stephanum primo coronatum patrem Serblorum regnum tenuit, parte aliqua regiminis, ut mos Seblorum fuit, in Uladislavum fratrem derivata: a quo poſt annos regni XI throno dejectus eſt. Eum, Paulus Jolincius (B) tradit, ab Honorio Papa corona inſignitum, Bulgariæ partem occupaſſe, ac Sirmium quoque in poteſtatem redegiſſe capta, & iterum libertati reſtituta Uriza: ac demum in cænobio Sopotæ ſepultum.

II.

Geſta, & regnum Radoslavi ab anno 1224 ad 35. quo throno dejectus eſt.

BULG. Quæ Jolincius de coronato per Honorium Papam Radoſlavo memorat, ea verius ad Stephanum patrem pertinent: evincit hoc ipſe coronationis annus 1220, quo adhuc Stephanus vixit, regnavitque. Niſi ergo uno, atque eodem anno Patris, ac Filii coronatio peracta ſit, non recte ad Radoslavum transfertur, qui anno 1224 regimen abſolutum adiit. Certe diſtinctæ, ac ſecundæ coronationis nulla exſtant veſtigia in regeſtis Romanorum Pontificum. Sed & victoriæ de Bulgaris, captumque Syrmium cum Uriza, rectius fortaſſe cum Orbino ad *Regem Crapalum* differendum erit. Incertum, an quos hæredes ex Laſcaris filia reliquerit: nec explorata diſſidiorum origo eſt: dejectum throno poſt regni annos XI, & Sopotæ tumulatum certius eſt.

SERBL. Dejecto Radoslavo anno 1235. in ſolidum regnare cepit *Uladislavus* alter Stephani primocoronati filius, regnavitque annos VII. anno itaque 1242 aut ſequente ſepulcrum Mileſevi nactus eſt in ſacra æde aſcendentis Domini, quam opere magnifico exſtruxit, illuſtravitque, translato illuc ex urbe Ternova corpore Sancti Sabæ I. Pechiæ Archi Episcopi patrui ſui: ubi cultu præcipuo, miraculisque Sanctus idem tribus fere, ac medio ſæculo fulſit, dum denique a Turcis Belgradi ſacrilego rogo cremaretur. Jolincius ex ſuis manuſcriptis uxorem ei tribuit Joannis Aſani Bulgariæ Imperatoris filiam: de poſteris altum filet. Addicit vero victorias de Græcis Albanisque: & apertis fodinis metalliferis, immenſas provinciæ opes invectas ſcribit.

Regnum, & geſta Vladislavi: usque annum 1243. quo obiit.

Eo Rege translatæ feruntur reliquæ S. Sabæ I Mileſevum.

BULG. Manuſcriptum, quod mihi ad manum eſt, de victoriis æque, ac Metallurgis Serbliæ inductis, ne verbo meminit. Orbinus utrumque hoc ad *Oroſium* regem retulit, cui & ego adſtipulor. Quæ uni-

(A) Armorum inſigne Stephani Duſiani Serviæ Imperatoris vide ad calcem.

(B) Ex Manuſcriptis, quæ ille præ manibus habuit: corrigendus in eo quod Romanum Pontificem pro *Honorio*, *Onuphrium* legerit, ſcripſeritve.

universa manuscripta vestra concorditer affirmant de solemni translatione corporis Sancti Sabæ I. regnante Uladislavo: hæc nunc in medio relinquo, dum certiora, clarioraque de anno ejus emortuali aliunde affulgeant. Lubens autem intelligam, quæ de absumto flammis sacro corpore apud vos connotata sunt.

SERBL. De pernicioſiſſimo, ac ſacrilego hoc facinore, ſic manuſcripta noſtra ad verbum: *Moverunt anno 7103* (A) *Turcæ cum Perſarum plurimis, aliarumque gentium auxiliis adverſus Hungariam, occupatisque deditione duabus arcibus, ad byberna rediere cum Serdaro copiæ. Sinan Baſſa ad Danubium adhæſit cum exercitu hyemem exacturus. Atque tunc prodigiis, quæ per Sanctum Sabam patrabantur, doemon invidens, Regum quendam impulit, ut Serdarum ſic alloqueretur: En credunt jam Turcæ S. Sabæ, & cruce ſe ſignant, & baptizantur. Quibus intellectis Serdar furiis actus jubet Sancti corpus Belgradum advebi: rogoque impoſitum, flammis ſacrilegis abſumit, menſis aprilis die 27. feſto S. Simonis Martyris Chriſti cognati.* Hoc, ut morem gererem, quanquam aliena ab hoc, quod tractamus, ſæculo, per excurſum dixi. Nunc, quod reliquum eſt, in religionem *Radoslavi*, & *Vladilavi* veſtigemus.

Eædem a Turcis igne abſumtæ anno 1595.

BULG. De his regibus, ut nihil profani noſtri ſcriptores, ita in Eccleſiæ quoque hiſtoria nihil adnotatum comperi: ut autem credam utrumque piis Patrui Sabæ, ac patris Stephani inſtitiſſe veſtigiis, veſtra mihi in hanc mentem præeunt manuſcripta, cum Radoslavum ab Honorio Papa coronatum; Ladislavum vero Sancti Sabæ corpus ſolemni pompa Milesevum intuliſſe ajunt. Quæ, quanquam fortaſſe minus ſubſiſtant, ſenſum tamen majorum veſtrorum non obſcure produnt, oſtenduntque perſvaſum ipſis fuiſſe, hos quoque reges communi cum patre Stephano, ac Saba patruo religione vixiſſe, ſedique Apoſtolicæ perinde cohæſiſſe.

De religione Radoslavi & Vladislavi Regum.

SERBL. Uladislavum in throno ſequutus eſt *Stephanus*, tertius Stephani primocoronati filius. Eum manuſcripta noſtra variis donarunt nominibus: vocant enim nunc *Uroſium* I. alias *Stephanum*, & *Radoslavum*. Addunt & agnomina *Anepſi*, & *Hrapavi Kraly*, quod poſtremum ex Abavo nactum ferunt (B). Is ex *Helena*, Francorum Regis filia *Dragutinum*, & *Milutinum* genuit: a quorum priore poſt diuturnum regimen throno deturbatus, in arce Draſch Chelmenſis provinciæ vitam finiit, translatus ſubinde in Sopotæ templum ſanctiſſimæ Trinitatis: ubi in hodiernum quiescit. Hæc noſtri, nec plura.

III. Succedit Rex Stephanus Uroſius I.

Quid de illo hiſtoria domeſtica.

(A) Eſt annus vulgaris 1595. (B) Ritterus in Serblia illuſtrata, agnomen *Hrapavi*, non ex Abavo, ſed ex cute ſquammis citrinis perſimili ortum, deductumque putat.

BULG. Annos igitur imperii, & plura præclare gesta Stephani Urosii I. silentio vestri transmisere. Quare eadem supplenda venient ex Græcis, Latinisque scriptoribus, ac ipsis etiam Pontificum Romanorum literis, quos filiali prorsus pietate coluit ipse non minus, ac piissima ejus conjux Helena. Initium regni ejus sub annum 1243 statuo, finem cum anno 1291 conjungam. Quemadmodum autem vestra manuscripta, ita & scriptores alii variis eundem principem insigniverunt nominibus, quod non levem historiæ perturbationem intulit: nam hinc, & ex annorum neglectu factum, ut Orbinus *Crapalum regem* ab *Urosio* distinxerit, patremque *Urosii* constituerit. Hinc quoque factum, ut gesta unius translata sint ad alterum. Sed, ut has, similesque historiæ labes interim differam, adverto ab *Acropolita* principem, in quo versamur, corrupte *Rossum Urum* dici, quod recto ordine conversum non aliud, quam *Urosium* significat: in Pontificum Romanorum epistolis *Stephani* duntaxat venit nomine: *Pachimeres* collecto utroque in unum *Stephanum Uresim* nuncupat. Orbinus eundem *Nemanem* II, & *Crapalum* dixit (A), fertque fuisse principem exquisitæ pietatis, ac Deum timentem: Pristinæ, in conventu generali Rassiæ procerum, Regem proclamatum, ipsoque Dominicæ resurrectionis die solemni ritu a *Patriarcha* (B) consecratum, coronatumque, ac nomine præcipuo *Stephanum* compellatum, cujus exemplo, imitationeque Reges Serblorum deinceps omnes e domo Nemania prænomen *Stephani* gessere, adlecto in peculiarem regni patronum Divo *Stephano Proto Martyre*; quem regni tutelarem numis etiam expressere, sumto a Græcis exemplo (C): forma, & modulo prope æquali, quo Veneti Divum Marcum monetæ suæ imprimunt.

Quid alii scriptores?

Hoc Rege S. Stephanus Protomartyr in regni patronum ad sciscitur.

SERBL. Profer ejus formæ numum, si tibi ad manum est, atque, in cujus cimæliis asservetur? detege.

BULG. Doctissimus Muratorius (D) numum ejus generis Serviæ regis, typo expressit: visitur, ait, apud Comitem Joan. Bapt. Scalabrinum patricium Mutinensem, & apud civem Carnevalium numus argenteus ad formam Venetorum cusus. Ibi imago Sancti viri porrigentis vexillum regi parte una cum inscriptione: *Urosius Rex S. Stefan*: in parte postica Redemtoris nostri in cathedra sedentis effigies cum literis Græcis *IC. XC. Jesus. Christus.* Hæc Muratorius. At aberrat vir doctissimus, cum sic priora prosequitur: *Duo Urosii Serviæ Reges dominati sunt: uter ex bis designetur, incertum: virisimilius tamen est, numos referendum esse ad Urosium, cognomento Sanctum, vulgo Milutinum, qui diem*

Numus Regis ejusdem.

suum

(A) Errat vero in utroque: nam Neman II. fuit Rex *Simeon*, hujus avus, & *Hrapavus*, non *Crapalus* scribendus erat. (B) Patriarcharum nomen in Serviam serius invectum est, ut dixi Colloquio V. (C) vide numos *Michaelis Stratiotici* & *Isaci Angeli*. (D) Numus II. Regum Serviæ: quem vide ad calcem.

ſuum obiiſſe traditur anno Chriſti MCCCXXI. Nam non duos, ſed quatvor omnino Uroſios Serbliæ hiſtoria numerat: & vir ſanctus, qui Regi vexillum porrigit, eſt Divus protomartyr *Stephanus.* Numus autem verius ad Uroſium I, de quo agimus, eſt referendus. Nam hic eſt, a quo inter coronationis ſolemnia *Stephani* prænomen primum aſſumtum eſt, a quo mos ad ſucceſſores manavit, ut Stephani prænomine ſinguli uterentur (A), primusque Protomartyrem in regni patronum adoptavit.

SERBL. Præter coronationis ſolemnia an quid aliud de rege eodem in medium protulit Orbinus?

BULG. Affirmat, ab hoc Stephano magnam Bulgariæ partem Serbliæ dominio adjunctam, cum deſtituta Imperatore in mille factiones abiſſet. Ab hoc captum bello Syrmium, cum *Uriza* regali Hungarorum ſanguine mulier provinciæ præeſſet: ab hoc *Urizam* quoque captam in prælio nec niſi Ragaſæorum legatis Nicolao Prodanelli, & Marino Saracca mediatoribus, libertati reſtitutam. At hallucinatur graviſſime, cum *Stephanum Hrapavum* diſtinguit a *Stephano Uroſio*, hunc filium, illum patrem conſtituit, verbo: ex uno, atque eodem rege *Stephano Hrapovo Uroſio* duos nobis effingit, &, quæ unius, ejusdemque geſta erant, in duos dividit. Itaque, ut, quæ male diviſa ſunt ab Orbino, conjungamus in unum: ab hoc ajo Græcorum imperio non modicos tractus ereptos, & Albanenſes in fidem ſuſceptos, & *Joannem* Græcorum ducem, cum Zentam hoſtiliter populatur, ad Scutarium deprehenſum, acie profligatum, in captivitatem abductum, ſolaque Imperatoris gratia, quem proxima cognatione attingebat, dimiſſum. Ab hoc denique apertas eſſe auri, argenti, ac cæterorum metallorum, quibus Serblia affluit, fodinas, adductis e Germania metallurgis, quo quidem opere ampliſſimæ regno opes accreverunt. Ab hoc denique adlectam eſſe in thori ſociam Helenam Francicam, mulierem chriſtianiſſimam, natosque Dragutinum, & Milutinum filios. Quare corrigendus omnino Orbinus eſt, cum unum, atque eundem principem in duos dividit: & Dragutino, ac Milutino alios duos fratres adjungit *Stephanum*, nempe, & *Predſavum.*

Quid Orbinus de Rege eodem.

SERBL. Cum Orbinus, & latini, qui eum ſequuti ſunt in recenſendis per hæc tempora Serbliæ regibus, hallucinentur, & vel prætereant reges veros, vel ex uno duos efforment, ac res, quæ unius erant, in alterum transferant; explorandum jam nobis eſt, quæ ex antedictis capitibus ab Orbino productis, noſtro, in quo verſamur *Stephano Uroſio Hrapavo*, fide etiam aliorum Scriptorum confirmentur? &, quid ad extremum Eccleſiaſtica hiſtoria, ipſæque Romanorum Pontificum epiſtolæ

Indicatur error Orbini.

(A) Orbinus: quem tamen a Stephano non recte diſtinxit: idem enim Uroſius, & Stephanus fuit.

eidem adſcribant. Belli cum *Uriza* geſti in Syrmio nuspiam veſtigium in Hungariæ hiſtoriis reperias: nec facile erit aſſequi, quæ illa demum Heroina fuerit, quæ in campum exercitum educere, ſeque regi opponere auſa eſt. In obſcuro id manebit, niſi Raguſæi ex monumentis domeſticis lumen affundant, qui per legatos captivæ libertatem impetraſſe feruntur.

Ejusque obſcura explanantur.

BULG. Urizæ nomen ab Hungarica voce *Úr* (A) deductum opinor, & familiari Sclavorum terminatione in mulierem derivatum, non aliud, quam *Dominam* ſignificare videtur. Et apte mulieri conveniebat nomen, ſi regali Hungarorum, ut Orbinus ait, ſanguine orta fuit. At, quæ illa, cujus proprie nominis, quo nexu, & quem regem attigerit? ambiguum plane, nec facile evolvendum, cum nec belli geſti cauſa, nec annus, aut notæ aliæ, adjunctave, quibus quid definiatur, ab Orbino ſint prodita. Id exploratum eſt poſt Colomannum Belæ IV. fratrem complures regii ſanguinis principes *Ducali* titulo Sclavoniæ, ac etiam Boſnæ, Macſoviæque (B) præfuiſſe: Ducum autem conjuges, quin & reginarum nonnullas Dominas, Ducesque Syrmiæ ſe inſcripſiſſe, & Comitatus quosdam in peculio proprio habuiſſe (C).

SERBL. Perinde obſcurum, niſi fallor eſt, quis ille ad Scutarium profligatus, captusque *Joannes* Græcorum Dux fuerit? Du Fresnius *Joannem* Nothum *Patrarum ducem* intelligit: mihi vero propius videtur fuiſſe fratrem Imperatoris, quem Michael auguſtus ſub annum 1259. in occidentem miſerat. Hæc cum obſcura ſint ſcriptorum vitio, qui nec annos, nec nomina, ut oportuiſſet, definite circumſcripſerunt; cæteris fortaſſe ex Græcorum hiſtoriographis lumen uberius affulgebit, modo varia, quæ rex Uroſius ſubiit nomina, præ oculis gerantur.

Quid Acropolita de rege eodem.

BULG. Acropolita (D), qui Uroſium præpoſtero vocum ordine *Roſium Urum* ſcripſit, ad annum 1257. narrat fuiſſe Michaelis Bulgariæ Imperatoris ſocerum, cumque Michael a Theodoro Nicææ Imperatore bello vexaretur, partes mediatoris in ſe ſuſcepiſſe, & pacta pacis ſuo, ac generi nomine ſubſcripſiſſe, & juramento confirmaſſe. Verum, cum Michael ſtare pactis detrectaſſet, credidit Theodorus Serbliæ regem ſibi illuſiſſe, unde nova inter utrumque offenſio,

---

(A) *Ur*, Hungaris Dominum ſignificat. (B) Vide annales Hung. Cl. P. Georgii Pray. (C) Eundem ad annum 1262. p. 310. ubi refert literas *Mariæ* Belæ IV. conjugis ad PP. Ord. Prædic. in quarum titulo fors aptius leges *Syrmiæ duciſſa*, quam *Syriæ*, aut *Styriæ*: nam in *Syriam* nil jurium habuit: *Styriæ* vero juribus jam anno 1260. Hungari penitus deceſſerant. (D) Georg. M. Logotheta in chron.

ſio, quæ denique in bellum deſiit. Eo bello, cum Uroſius Michaeli Epyri principi arcto fœdere conjunctus eſſet, ditiones Theodori in occidente poſitas non ſegniter afflixit. Tunc ergo, quod Orbinus ajebat, evenit, ut complures Græcanici imperii urbes in ditionem Uroſii conceſſerint. Idem Acropolita ad annum 1258. perhibet quoque, quod, cum Michael Bulgarorum Imperator a Callimano conſobrino proditorie interfectus eſſet, & Callimanus quoque ipſe mox per rivalem ſublatus fuiſſet; Uroſium Bulgariam ingreſſum necem generi vindicaſſe, & viduam Imperatricem filiam ſuam Ternova ex urbe Bulgariæ principe ſecum abduxiſſe. Qua occaſione, cum intima Bulgariæ rege deſtitutæ, & in factiones plurimas ſciſſæ penetrarit rex Serviæ, facile, nulloque negotio ditiones amplas Bulgariæ detractas, ſuo ſubjungere dominio potuit, quemadmodum affirmavit Orbinus. Denique idem Acropolita author eſt, *Roſum Urum* Hungariæ regis generum fuiſſe, & quidem Belæ IV., ut ex hiſtoria Franco Byzantina diſcimus: cujus tamen in eo palmaris error eſt, ut conferenti Acropolitam conſtabit, quod ex *rege Raſciæ*, *Machoviæque*, qui Michaelis Bulgari ſocer, & Belæ Hungari gener erat, *Regem Ruſſiæ*, *Moſcoviæque* effinxit (A).

SERBL. In eundem errorem complures quoque Hungariæ ſcriptores prolapſos opinor, cum *Annam* Belæ IV. filiam *Radoslao* Ruſſiæ, Haliciæque regi collocatam ſuſpicantur: ignari ſcilicet, aut immemores, *Uroſium Serbliæ* regem, *Radoslai* quoque nomen geſſiſſe, quem Acropolita, ut ſæpe monui, *Roſum Urum* vocat, & generum Hungariæ, ſocerumque Bulgariæ regis fuiſſe tradit. Poſthæc ex Acropolita in luce poſita, exploranda jam veniunt, quæ Pachymeres de Uroſio prodidit.

BULG. Quem Acropolita perperam *Roſum Urum*, Pachymeres correctius *Stephanum Ureſim* nuncupavit: nec tamen ejus meminit ante annum 1273. Ad hunc vero annum narrat: *Michaelem Paleologum Imperatorem*, cum fama percepiſſet, primo genitum Uroſii Dragutinum, qui Hungariæ regis filiæ matrimonio junctus erat, tam male affecto eſſe corpore, ut regni faſces, qui ipſum ordine genituræ reſpiciebant, poſt patrem aditurus non crederetur; animum eo adjeciſſe, ut Uroſii ſecundo genito Milutino filiam ſuam in thorum copularet. In quem finem, & ſpe certa proximæ Milutini in regnum

Quid Pachymeres?

(A) Hiſt. Franco Byzant. commemorato bello, quod inter Michaelem regem Bulgariæ, & Theodorum Imperatorem exarſit, hæc verba ſubjicit: *ad extremum inter eos principes facta eſt pax per intermediationem regis Ruſſiæ, & Moſcoviæ ſocerum, Michaelis, & generum Belæ IV. regis Hungariæ.*

ſucceſſionis, legatos cum filia itineri verſus Serbliam commiſit. At cum ea, quæ de Dragutini invaletudine fama ſparſerat, exaggerata, & vana comperiſſet, ab incepto tractatu deſtitit, omnemque cogitationem de jungenda affinitate dimiſit, revocata ex itinere filia, legatisque. Narrat poſtea, ab eodem Imperatore ſub annum 1277. Conſtantinum Porphyrogenitum in occidentem adverſus Triballos (A) miſſum, qui Cotanizam ducem armorum celebrem, poſtquam ab auguſto defecit, ductorem ſibi adſciverant, ejusque auſpiciis graſſationes ad urbem uſque *Seres* proferebant. His Nicephorus Gregoras ſuperaddit ad annum 1283. Michaelem auguſtum a Noga Tartarorum Chano quatuor barbarorum millia ad coercendum inquietum Theſſaliæ principem *Joannem* advocaſſe imperii ſtipendiis militaturos. Prærepto autem morte Imperatore Michaele, Andronicum II. Imperii ſucceſſorem Scythica illa auxilia, addito ipſis duce Michaele Glaba magno Conſtaulo, in Serblos hoſtes infenſiſſimos, qui Romano imperio magnas ſæpe clades intulerant, immiſiſſe. Hæc ex Græcis ſcriptoribus annis ſuis illigata de geſtis per Serbliam regnante *Stephano Uroſio* cognomento *Hrapavo* ad noſtram notitiam pervenere: cujus operum poſtremum fuit Boſna Hungaris ademta: & infelix cum filio Dragutino prælium.

Quid Gregoras?

SERBL. Ex Eccleſiæ hiſtoria, ipſisque adeo Romanorum Pontificum epiſtolis, cum te allaturum nonnulla pollicitus fueris; quæ illa tandem ſint, audire geſtio.

BULG. Hoc rege Raynaldus in Eccleſiæ hiſtoria ad an. 1250. refert, complures provincias in ſinum Romanæ Eccleſiæ rediſſe. *Junxerant ſe*, inquit, *Romanæ Eccleſiæ, ſchiſmate diffracto, nonnullæ provinciæ: facem prætulit inter cæteros populis ſuis Albaniæ Epiſcopus, qui, nemini ſalutem patere extra Romanam Eccleſiam, agnovit. Quem Innocentius IV. benigne excipi juſſit, dataque Archi-Epiſcopo Antibarenſi provincia, imperavit, ut, ſi nulli Latino Epiſcopo antea fuiſſet obnoxius, illum tantum Sedi Apoſtolicæ pariturum decerneret* (B). Quis ille Albaniæ Epiſcopus fuerit, nondum comperi: Vadingus *Archi-Epiſcopi* titulo eundem afficit. Ex commiſſione Antibarenſi data, conjicio eundem in ditione Serbliæ regis fuiſſe, in qua & Antibarenſis ſedes fuit. *Nec ALBANIA modo*, proſequitur Raynaldus, *verum & UNAVIA, & PHILOT provinciæ, quæ latiſſime excurrunt, damnato Græco ſchiſmate, acceſſerunt: quo nuncio lætus Pontifex primario prædicatorum in Hungaria magiſtro onus impoſuit, ut in eas regiones ſocios mittat* (C). Verba

Quid Eccleſiæ hiſtoria?

(A) *Triballorum* nomine *Serbli* veniunt. (B) Ex L. 8. epiſt. Innocentii IV. n. 62. quæ incipit: *In Græciæ*. (C) Ex L. eodem ep. n. 61. Lugduni VI. Id. auguſti data anno 8., qui eſt Chriſti 1252.

ba epiſtolæ Pontificiæ ſunt: *quasdam amplas, & populoſas provincias PHILOT, ARBANIAM, & UNAVIAM prope Hungariam ſitas eſſe, percepimus* (A): *in quibus aliqui Epiſcopi, & plurimi ſacerdotes, & clerici ſub Græcorum dominio poſiti, habitant, qui ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſincera mente diligunt, & pro viribus libenter obſervant.* Hæc anno 1252. anno vero 1253. cum omnes circum regiones ob imminentem Tartarorum irruptionem trepidarent, encyclicas literas, quibus ad crucem induendam excitabat, deſtinavit idem Pontifex ad Polonos, Ruſſos, Pomeranos, Moravos, & *Sorbios* teſte Raynaldo. Nicolaus quoque III., cum anno 1278. ad componendas in Hungaria factiones adverſus Ladislaum Chunum regem commotas Philippum Firmanum Epiſcopum legatum deſtinaſſet, conceſſiſſetque privilegium geſtandi inſignia, quibus legati Apoſtolici in transmarinis partibus utuntur; extenſo mox legationis officio in *Ramam*, *Dalmatiam*, ac *Serviam* quoque, vetuit tamen in his regionibus eorundem inſignium uſum.

SERBL. Novi, quorſum hæc tu accumules: nempe, ut doceas *Stephano Uroſio* regnante ſedem Apoſtolicam curas ſuas in *Serbliam* uſque, & adjunctas partes porrexiſſe: quin & *Serblicam Eccleſiam* novis catholicorum coloniis per *Albaniam* auctam fuiſſe. Sed mallem jam literas ipſas Romanorum Pontificum ad Stephanum Uroſium datas, quas dudum pollicebaris, ex te audire.

BULG. Ad Stephanum Uroſium I., qui regnum ſub annum 1243 auſpicatus perduxit ad 1291. Pontificum aliorum, quam Nicolai IV. literas exhibere nequeo, ac ne has quidem omnes. Sed vel paucæ illæ, quas in promtu habeo, ad propoſitum noſtrum fortaſſe ſufficient. Nicolaus IV. teſte Vadingo, cum adhuc apud Sclavos, & Illyricos munere Provincialis miniſtri inter Fratres Minores fungeretur, familiaritatem quandam cum rege Serbliæ, domoque regia iniit. Ut ergo anno 1288. ad ſummum Pontificatum evectus eſt, ſicut ad *reginam Helenam*, ita procul dubio ad regem quoque conjugem *Stephanum Uroſium* ſuas exaravit, hortatus patrem perinde, ac matrem, ut pro pietate ſua, ac obſervantia erga Romanam Eccleſiam, filios quoque *Stephanum*, ac *Uroſium* (B) reges juniores ad unionem Eccleſiæ cum populo omni traducere ſatagerent. Nec reges ipſos juniores præteriit, quos ſcriptis peculiaribus literis ad unitatem paterno affectu invitavit. Ex his geminæ proſtant apud Raynaldum, una ad Helenam

IV. Nicolai IV. P. Epiſtolæ variæ ad Serviæ Principes de anno 1288.

(A) Ubi ſit *Arbania*, vulgo *Albania*, norunt omnes. *Chunaviam* Acropolita infra Dyrrachium ſtatuit: unde nec longe abfuiſſe *Philot* regionem, neceſſe eſt. (B) Erat *Stephanus*, cognomento *Dragutinus*: *Uroſius* vero *Milutinus*.

lenam, regum juniorum matrem: consimilis vero ad patrem desideratur. Exstat pariter altera ad *Urosium filium*, deest vero consimilis *ad filium Stephanum*, quam tamen Vadingus T. 2. produxit (A).

SERBL. Profer utrasque, quæ tibi ad manum sunt, nec mancas illas, aut acciſas: nil oberit, si etiam paulo longiores sint.

Ad Urosium Milutinum filium Helenæ, & Stephani Urosii I.

BULG. Literæ ad *Urosium* Helenæ filium sic habent (B). *Nicolaus - - &c. Viro magnifico Urosio Regi Sclavorum gratiam, per quam gloriam obtineat in futuro. Æterni patris immensa benignitas humani generis casum, quod primi hominis culpa corruit, ineffabili respiciens pietate, ac illum, quem diabolica prostraverat invidia suggestione dolosa, volens ex charitate nimia misericorditer reparare: Filium suum unigenitum consubstantialem sibi, de excelso solio ad infima mundi misit, qui præelectæ virginis utero sancti Spiritus cooperatione conceptus, & ex anima rationali, & carne humana verus homo factus, ac per hoc perfectus Deus, perfectus homo, unus Dominus Jesus Christus, una persona in utraque perfecta natura, cunctis visibilem se ostendit, & salutaribus homines institutis informans, vitamque ipsis indice perfectæ doctrinæ demonstrans, dignatus est post sanctæ conversationis exempla, & evangelicæ constitutionis eloquia, sub diræ necis supplicio mortem pati, ut de amaro mortis suæ calice temporalis, bauriret homo vitæ dulcedinem sempiternæ. Pro ipsius ergo generis humani redemtione Christus se hostiam exhibens, dicti generis humani hoste prostrato illud de opprobrio servitutis eripuit, ad gloriam libertatis supernæ illi patriæ ostium reserando: & deinde resurgens a mortuis, ac in cœlum ascendens spiritum sanctum sibi, patrique consubstantialem, ET AB UTROQUE PARITER PROCEDENTEM misit in Apostolos, per quos congregavit, univit, & roboravit Ecclesiam, cui beatum Petrum Apostolorum principem præfecit, ac Vicarium reliquit in terris, animarum curam committens eidem, ut earum saluti, pro qua suam humiliavit altitudinem, intenderet vigilanter, tradendo sibi claves regni cœlorum, per quas ipse, suique successores potestatem aperiendi ejusdem regni januam obtinerent. Unde nos, prædicti Vicarii, disponente Domino, licet immeriti successores effecti, super omnia, quæ nobis ex injuncto incumbunt officio, ad tuam, aliorumque salutem nostræ intentionis dirigimus aciem: ad hanc præcipue mentis nostræ destinamus affectum, circa ea diligenti studio, & studiosa diligentia vigilamus, ut deviantes in viam veritatis reducere, omnesque lucrum facere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia nemo pervenire valet ad viam veritatis ejusdem, nisi per fidem catholicam a Deo, & sanctis Apostolis traditam, quam sancta Romana Ecclesia*

(A) Incipit: *Stephano illustri regi Sclavorum.* (B) Ex L. 1. Nicolai IV. epist. curr. 32.

Eccleſia profitetur, & ſervat: Magnitudinem tuam monemus, depoſcimus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus pie conſiderans, quod una eſt fides, extra quam nullus omnino ſalvatur, & ſine qua Deo impoſſibile eſt placere: AD IPSIUS VENIAS FIDEI UNITATEM, EAMQUE FIDELITER TENEAS, ET OBSERVES. Nihilominus populum ditioni tuæ, Regis æterni poteſtate ſubjectum AD EANDEM UNITATEM REDUCAS, & in illius obſervatione, tuo exemplo laudabili, & piis cohortationibus ſtudeas conſervare, ita, quod ex hoc a patre luminum æterni conſequaris luminis claritatem. Cæterum, quia humana renitente natura, uno eodemque tempore diverſis locis adeſſe perſonaliter nequiremus; ne ullatenus negligentiæ relinquamur abſentes, ad eos viros providos, & diſcretos transmittimus vice noſtra, ipſorum miniſterio circa illos Apoſtolicæ ſervitutis debitum exolventes. Propter quod viros electos de Fratrum Minorum Ordine, viros utique pauperes in hoc mundo, in fide devotos, in lege Domini plenius eruditos, dilectos ſcilicet filios FRATRES MARINUM, ET CYPRIANUM latores præſentium ad te duximus deſtinandos: ut tu, tuusque populus ipſum Dei filium Jeſum Chriſtum, ſuamque glorioſam matrem, ac fidei chriſtianæ obſervationem, ipſorum Fratrum ſalutaribus traditionibus plenius agnoſcatis: Fides autem catholica hæc eſt: CREDIMUS IN SANCTAM TRINITATEM &c. (A).

SERBL. Legi eam Confeſſionem dudum antea: illam Clemens IV. Michaeli Palæologo Græcorum Imperatori propoſuit (B). Hanc Imperator complexus eſt: quæ quo noſtris quoque innoteſcat, juvabit eandem ad calcem referre. Nunc literas Nicolai IV. *Helenæ, Uroſii*, ac *Stephani* matri inſcriptas, exhibe.

BULG. Epiſtola ad *Helenam* his concinnata verbis erat (C): *Nicolaus - - chariſſimæ in Chriſto filiæ Elenæ Reginæ Sclavorum illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Gratias agimus omnium largitori gratiarum, quod, ſicut accepimus, & utique acceptamus ipſo menti tuæ timorem ſui nominis, & amorem miſericorditer inſpirante, ab eo, qui ſolus habet in regno hominum poteſtatem, dignitatis regalis gloriam recognoſcens, in Deum ſinceram habes fidem, ac ejus Eccleſiam Zelo pietatis catholicæ veneraris. Hanc igitur fidem vigere in tua progenie cupientes, magnificos viros STEPHANUM, ET UROSIUM ILLUSTRES REGES SCLAVORUM NATOS tuos per noſtras literas hortandos duximus, & monendos, ut pie conſiderantes, quod una eſt fides, extra quam nullus omnino ſalvatur, & ſine qua Deo impoſſibile eſt placere, AD IPSIUS VENIANT FIDEI UNITATEM* (paucisque interjectis de miſſis a ſe Fratribus minoribus,

Item ad Helenam Reginam matrem Stephani Dragutini, & Uroſii Milutini.

(A) Confeſſionis formulam vide ad calcem. (B) Propoſita Michaeli Imp. 1268.
(C) Ex L. 1. ep. 35.

bus, Marino, ac Cypriano). *Ideoque celſitudinem tuam rogamus, & hortamur attente in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus prædictos reges NATOS TUOS, UT DEVOTE REDEANT AD PRÆDICTÆ FIDEI UNITATEM, & humiliter ſuſcipiant noſtra, & prædictorum fratrum ſalutaria monita, ſedulis exhortationibus inducere non omittas, ipſosque in obſervantia, & perſeverantia fidei prælibatæ foveas, & confortes, ita, quod in tui ventris fructu lætari, & benedicta inter mulieres vocari a Domino mereariſ. Prædictos quoque Fratres habeas pro Divina, & noſtra reverentia impenſius commendatos: ſic eos favore benevolo proſequaris, quod tua propter hoc devotio dignis poſſit in Domino laudibus commendari.* Datum Reate VI. id. Auguſti anno I. (A).

Conſimilem ad patrem quoque datam fuiſſe, veriſimile eſt.

SERBL. Nicolaus, qui matrem tam ſolicite excitabat ad procurandam filiorum regum unitatem, procul dubio, ac multo magis patrem quoque regem officii commonefecit, atque, ut eodem ſtudia, conatusque conferret, admonuit, ſtimulosque addidit: niſi aut communi cum filiis ſchiſmate involutum, aut throno jam deturbatum fuiſſe putemus.

BULG. Neutrum iſtorum ſuſpicari licet: nam anno adhuc 1291 ſuperſtitem regnaſſe patrem, arcteque, ut decet catholicum principem, cum Eccleſia Romana conjunctum fuiſſe, docebit gemina Nicolai ad regem eundem epiſtola. Et ſane, ſi tanta Pontifici de filiis ad frugem revocandis cura fuit, major adhuc de patre juvenum regum futura erat, ſi is ſchiſmati illigatus fuiſſet.

SERBL. Abſtine argumentis, & profer epiſtolas: illæ præ quolibet ratiocinio conceptum animo ſcrupulum diſſipabunt.

BULG. Stephanus Uroſius I., poſt occupatum Boſnæ regnum, ut ditiones ſuas ab Hungaris, aliisve hoſtibus in tuto collocaret, protectionem ſedis Apoſtolicæ, ac Romanorum Pontificum imploravit. Juſtæ, piæque petitioni annuit Nicolaus IV. præmiſſoque, quod pietati Regis debebat, elogio, eum cum regno univerſo in patrocinium Divi Petri admiſit. En epiſtolam (B): *Chariſſimo in Chriſto filio Stephano Serviæ regi illuſtri. Quanto devotionis ſtudio ſacroſanctam Romanam Eccleſiam revereris: quanto propenſiori affectu conjungeris ad noſtra, & ipſius Eccleſiæ beneplacita proſequenda: tanto circa tuum, & regni tui ſtatum proſperum impoſterum conſervandum libentius Apoſtolici favoris præſidia apponimus, tuis providendo utilitatibus, & indemnitatibus præcavendo. Ut igitur noſtri manum auxilii tua Serenitas ſibi ſentiat in ſuis*

Nicol. IV. ad Stephanum Uroſium I. qua in clientelam Eccleſiæ recipitur anno 1291.

(A) Annus I. Nicolai IV. fuit 1288. quo utraque data fuit. (B) Ex L. 4. ep. Nicolai IV. ep. 18.

ſuis opportunitatibus favorabiliter adjutricem; perſonam tuam, & regnum tuum, cum civitatibus, caſtris, terris, villis, & bonis aliis, quæ in præſentiarum juſte, & rationabiliter poſſides, ſub beati Petri, noſtraque protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: ſtatuentes, ut ea omnia integra permaneant, & quieta, nec quisquam in iis te turbare præſumat, aut quomodolibet moleſtare. Nulli ergo &c. Datum apud urbem veterem Id. Martii anno IV. qui reſpondet Chriſti 1291.

SERBL. Quod vero argumentum fuit alterius Pontificiæ ad regem eundem epiſtolæ?

BULG. Cum rex Serviæ Stephanus, princeps vere catholicus, in Boſna recens ſceptro ſuo adjuncta, ſerpentem Patarenorum hæreſim radicitus evellere, delereque percuperet: oratorum opera flagitavit: ut cenſores fidei ad ſectæ nefandæ excidium per Boſnam conſtituerentur. Piiſſimæ petitioni annuit toto animo Pontifex, & in hanc ſententiam reſcripſit (A): *Nicolaus &c. chariſſimo in Chriſto filio Stephano Serviæ regi illuſtri. Quoniam inter cætera mentis noſtræ deſideria, illud inſidet potiſſimum cordi noſtro, ut fides catholica, quam tenet, profitetur, & docet ſancta Romana Eccleſia mater univerſorum fidelium, & magiſtra, votivum & Deo acceptum ſuſcipiat, eo propitio, noſtris temporibus incrementum: grandi nimirum exultatione perfundimur, cum ad noſtrum pervenire contingit auditum, quod mundi reges, & principes, Regis æterni, cujus negotium geritur principalius in hac parte, ſe beneplacitis coaptantes, ad amplificandum cultum fidei orthodoxæ, magnitudinis ſuæ colla ſubjiciunt, & aſcendentibus ex adverſo, virtute induti ex alto, promtæ ſolicitudinis ſtudio ſe opponunt. Sane cum tu fili chariſſime zelo fidei, ac devotionis accenſus, per dilectum filium Marinum Archidiaconum Antibarenſem tuæ celſitudinis nuncium Apoſtolatui noſtro duxeris humiliter ſupplicandum, quod cum in partibus Boſnæ tuæ ditioni ſubjectis ſint quamplurimi hæretica pravitate infecti, qui a ſemita veritatis averſi, falſitatis devium damnabiliter oberrantes, in æterni regis contemtum, animarum ſuarum evidens periculum, & ſcandalum fidelium, fidem catholicam depravare perniciosis, ſeu peſtiferis ſuis aſſertionibus multipliciter moliuntur: aliquas perſonas idoneas, regionis illius idiomatis gnaras, quorum converſatio, cum ſalutari eorum doctrina concordans, intuentibus normam honeſte vivendi tribuat, & exemplum præbeat puritatis, mittere dignaremur ad partes easdem: ut hujusmodi erroris eliminata caligine, miniſterio eorumdem habitatores illarum partium ad agnitionem veræ fidei, ſuperni luminis irradiante gratia, ſalubriter reducantur: tuum offerens conſilium, & auxilium ad errorem eundem de dictis partibus extirpandum.*

Altera ad eundem, qua expetiti Cenſores fidei pro Boſna decernuntur.

(A) Ex L. eodem ep. 23.

pandum. Nos licet immeriti Jesu Christi Regis æterni, humani generis Redemtoris, vices gerentes in terris, grandi desiderio singulorum salutem appetimus, & ad amplificandum cultum fidei catholicæ submotis quibusvis obstaculis, totis desideriis aspiramus: de hujusmodi tuo laudabili, & salutari proposito intra mentis nostræ præcordia exultantes multiformiter, & Regi Regum pridem ad gratiarum actiones supplices assurgentes: SUPPLICATIONI EX FERVORE MAGNÆ DEVOTIONIS, ET INTEGRITATE FIDEI PROCEDENTI, favorabiliter duximus annuendum: dilecto filio ministro ordinis Fratrum Minorum provinciæ Sclavoniæ, qui personarum sui ordinis plenam habet notitiam dantes per literas nostras (A) *in mandatis, ut authoritate nostra duos eligat ex eodem ordine Fratres ad prædicta idoneos, qui sint vita, & conversatione probati, literali scientia præditi, & regni illius idiomatis non ignari, quos ad memoratas partes dirigat pro eliminanda ex iisdem partibus hæretica pravitate, ac fide catholica inibi, divina cooperante gratia, amplianda. Magnificentiam itaque tuam rogamus, monemus, & in Jesu Christo nostræ salutis authore, cujus negotium geritur, attentius exhortamur, quatenus Fratres prædictos ad prosequutionem prædicti negotii, per dictum ministrum, authoritate nostra, ut præmittitur, eligendos, cum ad te pervenerint, intuitu Dei omnipotentis, & ob reverentiam sedis Apostolicæ, atque nostram, QUI TE VELUT BENEDICTIONIS FILIUM CHARISSIMUM SINCERA IN DOMINO PROSEQUIMUR CHARITATE: benigne, ut regiam decet celsitudinem, recipias, ipsosque recommendatos habeas, & in prosequutione præfati negotii favorem, consilium, & auxilium eisdem impendas: ut dextra magnitudinis tuæ freti dictum negotium ad Dei laudem, christianæ fidei exaltationem, & tui nominis honorem efficaciter, & salubriter perducere valeant ad effectum. Tuque a Retributore bonorum omnium, qui pro minimis grandia recompensat, post vitæ præsentis exitum, æternæ beatitudinis præmia perinde consequaris.* Datum apud urbem veterem X. Kal. Aprilis anno IV. Cui epistolæ Regestum sequentia subjicit: *solicitata est etiam Regina Helena, ut in excindendis Bosnæ hæresibus regia studia conjungeret, fideique censoribus studeret, quibus eam provinciam Nicolaus imponebat.*

SERBL. Sunt hæc absque dubio talia, quæ *Stephani Serviæ Regis* pietatem, arctissimamque cum sede Apostolica communionem extra omne dubium collocant. At num eadem ad *Stephanum Urosium I.* Helenæ Francicæ virum Dragutini Stephani, & Milutini Urosii patrem pertineant, anceps adhæreo. Dubii causas aperiam. Farlatus Nicolai IV. epistolas anni 1291., quas recensuisti, ad *Stephanum Dragutinum* Urosii I. filium transfert (B). Constat

(A) Ex eodem L. 4. ep. 25. (B) Farlatus Illyr. Sac. T. 4. a p. 54. ad 55.

Conſtat præterea ex ejusdem Pontificis anno 1288. datis ad Reges Sclavorum Stephanum, & Uroſium filios Helenæ, & Uroſii I. jam tunc eos regnaſſe, ditionibusque cum imperio præfuiſſe. Denique ſcrupulum & id movet, quod Rex Serviæ, *Stephanus* duntaxat, & non *ſimul Uroſius* appelletur.

V. Dictæ epiſtolæ anni 1291. non recte ad Stephanum Dragutinum transferuntur,

BULG. Titulus *Sclavorum Regis*, & ditiones, quas Stephanus, & Uroſius Helenæ filii jam anno 1288. imo & antea obtinebant, Farlatum, pluresque doctos in eum errorem induxerunt, ut patrem horum regum *Stephanum Uroſium I.* jam tunc regno, vitaque exceſſiſſe crederent. Sed latebat viros doctos, id in Serblorum moribus poſitum fuiſſe, ut pater filiis conjugio ligatis *Regium nomen*, cum provinciæ alicujus gubernatione deferret, quo vivo, inſpectanteque *patre ſupremo rege*, rudimenta quædam ſequuturi ſubinde regni, præludiaque ponerent. Apparebit hoc luculentius, cum ad *Stephani Dragutini* geſta deſcribenda accedemus (A). Farlato, ut videtur hac parte aberranti, oppono Raynaldum, qui, poſtquam Nicolai epiſtolam, *Gaudemus filia chariſſima* anno 1291. ad Helenam datam recitavit, continuo hæc ſubjungit: *complexus eſt reginam eandem multis Apoſtolicis beneficiis, atque una cum STEPHANO VIRO REGE in Apoſtolicæ ſedis clientelam accepit.* Diligenter nota, non dixit *filio*, ſed *viro rege*: moxque epiſtolam: *Quanto devotionis ſtudio* anni 1291. ſupra relatam recitat. Oppono deinde, & Aſſemanum (B), qui *Stephano Uroſio I.*, ac Helenæ conjugi communia ſtudia pro Bulgaris in ſinum Eccleſiæ revocandis, & Patarenis e Boſna profligandis tribuit, recenſetque Nicolai epiſtolas, quibus eosdem in clientelam Divi Petri, ac Sedis Apoſtolicæ recipit, & ad preces eorundem Petrum in urbe Sava Epiſcopum inſtituit: quæ omnia cum anno 1291. conjuncta ſunt. Nec te moretur, quod non compoſito nomine *Stephanus Uroſius*, ſed ſimplici, nudoque *Stephani* a Pontifice compelletur. Nam etiam Pachymeres, qui ad annum 1273. regem eundem compoſito primum nomine *Stephanum Ureſin*, poſtea uno tantum, ac ſimplici *Ureſin* dixit: quo eodem *Uroſii* nomine ſignatus legitur in tabulis pactorum Stephani V. Regis Hungariæ, cum Ottocaro Bohemo anno 1271. conſcriptis (C). At Orbinus, & Franco Byzantina hiſtoria ad annum 1258, eundem regem non niſi præcipuo *Stephani* nomine compellant, quem morem, & Roma tenuit.

Et vindicantur Stephano Uroſio I. Patri.

SERBL. Si, quod ajebas, Nicolai epiſtolæ anni 1291. directæ ſunt ad Stephanum Uroſium I., neceſſe erit, Regis ejusdem ætatem ſupra annos nonaginta producere; quod, neſcio, an omnibus

(A) Colloquio 7. (B) T. 5. P. 1. n. 20. (C) Tabularum partem repræſentabo Colloquio 7.

probabitur. Nam Eudociam matrem ejus jam anno 1200. repudiatam ad Alexium III. emigraſſe, nec unquam in gratiam, aut thorum Stephani primo coronati rediſſe, ſed aliis nuptam ſtatuimus.

BULG. Si ætas nonagenario major ſupra fidem tibi videatur, patere, ut hic a manuſcripto veſtro recedam, ac *Stephanum Uroſium I.* non ex Eudocia, ſed Veneta matre, nepte Henrici Danduli natum dicam, quam Stephanus primo coronatus ad annum 1217. ſecundo connubio ſibi copulavit: ita ætatis ejus anni non multum ſupra ſeptuagenarium excurrent, nec priorum Regum Radoslavi, & Vladislavi frater germanus erit: atque hoc fortaſſe eſt, quod *Stephanus Uroſius I.* in manuſcripto veſtro *ANEPSI* vocetur: quanquam enim *ANEPSIOS* proprie conſobrinos fratres ſignificet, transferi tamen a vobis potuit ad deſignandum Regum priorum fratrem *non uterinum*; hoc eſt: patre quidem eodem, at matre diverſa natum.

Qui verosimilius Radoslavi, & Vladislavi Regum non uterinus frater fuit.

SERBL. Aquieſco tuæ, Raynaldi, & Aſſemani ſententiæ: & *Stephanum Uroſium I.* ſeniorem regem anno adhuc 1291. ſumma authoritate Serviæ præfuiſſe agnoſco: eundem etiam totum, ac ex integro Eccleſiæ Romano Catholicæ adſcribo, quin & multis, ac magnis in eandem meritis clarum pronuncio. Is vero quando, & quo jure Boſnam occupaverit, audire ex te cupio: nec minus, quæ zelo illius, ac Helenæ, pro Bulgariæ reductione ad unitatem Eccleſiæ, tentata ſunt.

Et Rex Serviæ, Eccleſiæ Romanæ devotiſſimus.

BULG. Annales Hungariæ (A) anno 1286. occupatum a *Stephano Uroſio* Macsovienſem Ducatum ferunt: cum anno eodem aut paulopoſt Paulus Dalmatiæ, Chrobatiæque Banus Stepconis Bani filius a Ladislao Chuno Hungariæ rege provinciarum nundinatore prodigo, Boſnam numerato ære comparaſſet. At mihi veriſimilius videtur Ducatus Macsvæ partem unam jam dudum antea in *Stephani Uroſii* poteſtate fuiſſe (B), quam fors marito jure dotali Anna prima conjux Belæ IV. filia attulit: partem vero alteram Ducatus ejusdem cum tractu Syrmienſi ſancti Demetrii *Stephano Dragutino* ultro conceſſam fuiſſe a Ladislao Chuno dotis pariter nomine perhibet veſtra hiſtoria. Boſnam autem, non niſi poſt extinctum absque hærede maſculo Ladislaum Chunum anno 1290 armis, & virtute *Stephani Uroſii I.*, Serviæ coronæ adjunctam. Egeritne vero id Uroſius jure priſco, ac primævo, quod Serbli in Boſnam habuere, an novo, ſeu ſuo ſcilicet (C), ſeu

Anno 1290 Boſnam occupat.

(A) Cl. P. Georg. Pray P. I. p. 354. (B) Liquet ex ſupra dictis, ubi jam ad annum 1258. *Raſſiæ, & Macsoviæ* Rex ſcribitur. (C) Erat enim gener Belæ IV. cujus filiam Annam primo conjugio habuit: ex quo filia Michaeli Bulgaro nupta proceſſit.

ſeu Dragutini filii, incertum: utrumque ſane illi favebat, cum proximo affinitatis gradu Ladislaum Chunum Dragutinus attingeret. Acceptam porro in poteſtatem Boſnam, quo una cum cæteris ditionibus in tuto collocaret Stephanus Uroſius, univerſa protectioni Apoſtolicæ commendavit, utque in patrocinium Divi Petri, & Eccleſiæ ſuſciperetur, a Nicolao IV. impetravit: ipſe autem viciſſim zeli chriſtiani ſtudio laudabili, cenſores fidei adverſus hæreticam Patarenorum pravitatem Boſnæ invexit, ut antea ex Nicolai Papæ epiſtolis diximus.

SERBL. Adeptis recens ditionibus haud diu frui licuit regi optimo, cum anno 1291. arma in patrem commoverit Dragutinus, ingratus ſane filius, victumque prælio in Chulmiam ejecerit, ubi exauctoratus, vitam in arce Draſch non diu poſt finiit: translatus ſubinde a piiſſima conjuge Helena Sopotam in templum SS. Trinitatis, in quo hodieque, ut ſcriptor noſter memorat, quieſcit. Quare Luccario fidem non habeo, qui in prælio interfectum tradit: niſi id forte ſic accipiendum ſit, ut ex accepto vulnere in acie, poſtea in Draſch deceſſerit. Sed mittamus hæc minima, &, quæ ab Helena, ac Stephano Uroſio I. communibus, ut ajebas, ſtudiis pro concilianda Bulgarorum unione geſta ſunt, doce ex Pontificiis literis.

Anno 1291. a filio Stephano Dragutino throno dejicitur, quo & obiit, ſepulus in Sopotah.

BULG. Non alio hic opus eſt, quam, ut ipſas Nicolai IV. literas ſub oculos ponam. Datæ ad Helenam anno IV. X. Kal. Aprilis ſic habet (A): *Chariſſimæ in Chriſto filiæ Elenæ Reginæ Serviæ illuſtri. Gaudemus, filia chariſſima, quod, ſicut per dilectum filium Marinum Archi-Diaconum Antibarenſem tuæ celſitudinis nuncium læta mente ſuſcepimus, tu lumine fidei catholicæ divinitus illuſtrata, eam non ſolum obſervare devotis affectibus comprobaris, ſed alios etiam ad illius agnitionem, & ejus terminos propenſius dilatandos opem, & operam multæ ſolicitudinis ſtudio non deſinis exhibere. Propter quod in conſpectu Dei omnipotentis, cujus cauſam proſequeris, te nimium reddis acceptam, & attollis in gentibus multipliciter nomen tuum. Sane cum dictus Archidiaconus nobis ex parte tuæ celſitudinis duxerit ſupplicandum, ut magnifico principi GEORGIO IMPERATORI BULGARORUM ILLUSTRI, cum quo ſuper reductione ipſius ad devotionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ; ac fidei catholicæ unionem, proponis habere Colloquium hac æſtate; noſtras exhortatorias literas ſcribere dignaremur. Nos hujusmodi tuæ Serenitatis ſalubre propoſitum condignis laudum præconiis attollentes, eidem Imperatori, juxta præfatæ ſupplicationis oraculum, nec non & venerabili Fratri noſtro Archi-Epiſcopo Bulgarorum, qui, ut noſtris, ac tuis in hac parte deſideriis ſatisfiat, poteſt exiſtere plurimum fructuoſus, noſtras exhortatorias litteras, prout*

VI. Helenæ reginæ conatus pro Bulgarorum unione ex epiſtola Nicolai IV. de an. 1291.

(A) Ex L. 4 Nicolai IV. P. ep. 20.

prout expedire vidimus, duximus dirigendas. Celsitudinem itaque tuam, filia charissima, rogamus, & in Jesu Christi visceribus, paternis affectibus, sincerisque mentibus exhortamur, quatenus ad eum, qui potest facere mundum de immundo, quique montes, viros videlicet eminentes, de suæ dignitatis fastigio præsumentes, tangit, eorum cordibus sanctæ inspirationis gratiam misericorditer infundendo, & fumigant: Deo devotionis sacrificium offerendo, erigens oculos tuæ mentis, & in ipso ponens ancboram tuæ spei, negotium hujusmodi tam laudabile, tam salutare, ad Dei laudem, catholicæ fidei exaltationem, & tui nominis honorem viriliter prosequaris: ut quanto in horreum Dominicum uberiores bonorum operum manipulos in te, & aliis reportaveris, tanto a Retributore bonorum omnium, remunerari donis potioribus merearis. Datum apud urbem veterem X. Kal. Aprilis Anno IV. (A) Epistola ad Imperatorem Bulgarorum de dato eodem (B) incipit: *Magnifico principi Georgio Imperatori Bulgarorum illustri: gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Ad curam Dominici gregis ejus dispositione vocati, qui cœlestia, & terrena virtutis suæ magnitudine moderatur* &c. Ad Archi-Episcopum vero data (C) sic habet: *Nicolaus* &c. *Archi-Episcopo Bulgarorum gratiam in præsenti &c. Misericors & miserator Dominus &c.* in qua Archi-Episcopo in memoriam revocat, (si tamen is idem ipse sit) quod olim coram Michaele Palæologo Imperatore, & coram se in palatio Balchernarum professus fuerat vivæ vocis oraculo: *Se Papæ Romano immediate subesse* (D). Exhoratur proinde, ut hujusmodi piæ professioni insistat, optatissimam conjunctionem foveat, promoveatque. Sed hos præclaros Reginæ Helenæ conatus, & spes a Papa conceptas Dragutini Stephani in patrem seditio turbavit: irruptiones vero Tartaricæ in Bulgariam everterunt.

SERBL. Profer jam alteram quoque Nicolai epistolam, qua ad preces Helenæ Savæ, urbi Albaniæ, Episcopus conceditur.

Ejusdem zelus pro novo Episcopatu in urbe Albaniæ Sava.

BULG. *Sava* urbs Albaniæ bellorum injuria eversa, diu ruinis involuta hæserat: hanc postquam squallore detersо, in meliorem formam reduxit Helena, populoque augeri cepta est, intercessit apud Pontificem, ut in sedem Episcopalem proveheretur, ac Petrus nuper a loci clero electus suffragio Apostolico Episcopus confirmaretur. Precibus Reginæ, si nihil obstaret, annuit Pontifex, electum-

(A) Est annus 1291. (B) Ex L. Nicolai IV. ep. 21. (C) Ibidem ep. 22. (D) Qui Constantinopoli professus fuerat: *Se immediate Romano Papæ subesse*: erat Achridæ Bulgarorum Archi-Episcopus, qui tunc una cum *Achrida* imperio Michaelis Palæologi parebat: diversus proinde ab *Archi-Episcopo Bulgarorum Ternobi*, ad quem scribebat, quique in Bulgari Imp. dominio fuit.

electumque consecrari jussit datis ad Antibarensem Archi-Episcopum literis (A), quarum tenor est: *Nicolaus* &c. *Archi-Episcopo Antibarensi* &c. *Per tuas, & etiam charissimæ in Christo filiæ nostræ Elenæ Serviæ Reginæ illustris literas nuper nobis transmissas accepimus: quod in Albaniæ partibus juxta Sclavos quædam habetur civitas SAVA nomine, quæ jam longo temporis spatio destructioni succubuit, ejus incolis per diversa loca dispersis. Sed de novo in civitate prædicta complures viri catholici de incolarum ipsorum progenie, ut dicitur, existentes, & alii etiam diversarum partium convenere, moramque in illa continuam contrahunt, Episcopum cum instantia postulantes. Propter quod dictæ civitatis Clerici ad electionem procedentes Episcopi, quendam Presbyterum PETRUM nomine, virum utique catholicum, & fidelem in suum, & ejusdem civitatis elegerunt Episcopum, & pastorem, petendo a te, utpote metropolitano ipsorum humiliter, & instanter, ut electionem hujusmodi authoritate tibi tradita confirmares. Sed petitioni eorum annuere noluisti, nisi prius super his a nobis licentiam obtineres. QUARE TU, ET PRÆFATA REGINA nobis supplicastis humiliter, ut per hoc providere de solita benignitate dignarimur. Nos igitur ad augmentum catholicæ fidei solicitis studiis intendentes, & volentes, ut expedit, salubriter & mature procedere, ac tuis & ipsius Reginæ desideriis benigne annuere in hac parte, gerentes quoque de tuæ circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus; quatenus, si inquisita, de modo electionis, eligentium studiis, & electi meritis, diligentius veritate, dictam electionem canonicam, & de persona idonea inveneris celebratam, ipsam de consilio dilecti filii Prioris Prædicatorum, & Gvardiani minorum ordinum de Ragusio, authoritate nostra confirmari procures, ac ejusdem electo munus consecrationis impendas, faciens sibi a suis subditis obedientiam, & reverentiam debitam exhiberi. Alioquin electione prædicta rite cassata, eisdem Clericis de aliqua persona catholica idonea, & Apostolicæ sedi devota, quæ tanto congruat muneri, & bonori, hac vice authoritate prædicta de ipsorum tamen Prioris, & Gvardinai consilio providere non differas in Episcopum, & pastorem. Contradictores* &c. Datum apud urbem veterem 3. Idus Junias anno IV. (B).

SERBL. In utrisque his literis, cum nulla prorsus *Stephani Urosii* regis occurrat memoria, nescio, qua de causa utrumque hoc, ac cumprimis studia pro *Georgii Bulgarorum Imperatoris* unione ad zelum quoque Stephani Regis traxerit Assemanus. Ego ex silentio regii nominis suspicandi argumentum sumo, eum hoc jam tempore throno excidisse, regnante nihilominus adhuc Helena.

(A) L. 4. ep. 281. (B) Est annus 1291.

BULG. Vana, & inanis ſuſpicio. Nam eodem prorſus die, hoc eſt: X. Kal. Aprilis, Nicolai anno IV., quo ad *Helenam* de *Georgio* Bulgarorum Imperatore; ad *Stephanum* quoque de fidei *Cenſoribus* reſcripſit. Communia autem in utroque hoc negotio regis, & reginæ ſtudia interceſſiſſe perſvadet, communis utriusque, quo apud Nicolaum uſi ſunt internuncius *Marinus Archidiaconus*. Quare, ſi ſoli *Regi* de *Cenſoribus*, & *Reginæ* ſoli de *Bulgaro Imperatore* reſpondit, opinor id inde factum, quod Rex quoque, ac Regina diviſo invicem ſcribendi argumento Pontificem convenerint: legatum vero cauſam utramque, utriusque principis nomine promoviſſe. An autem ad III. idus Junius vitam, regnumque Stephanus Rex produxerit, me ſane latet. Hæc de Stephano Uroſio I. dicta ſufficiant, cæterum, ſive Uroſius I. Helenæ conjux, ſeu filius eorum Stephanus Dragutinus fuerit, ad quem Nicolaus IV. literas ſuas anno Pontificatus IV. Chriſti 1291 direxit, mea non magnopere intereſt. Regem Serbliæ fuiſſe, eumque devotiſſimum Romanæ Eccleſiæ clientem in confeſſo eſt, & extra omnem controverſiam.

Qui conatus, ſtudia, zelusque Regi quoque Stephano Uroſio I. communes fuere.

VII. Quid de Regina Helena MS. Servicum ejusque ſanctimonia.

SERBL. Poſt fata Stephani Uroſii I. regnaſſe adhuc Helenam conjugem teſtantur plurima, quæ impoſterum producemus (A). Nec throno deceſſiſſe putem prius, quam filios ad Eccleſiæ unionem perduxit. Ejus, ut perennis ad poſteros exſtet memoria, quæ de eadem noſtra prodidit hiſtoria, accipe (B). Erat, inquit, Helena Francorum regis filia: ex Stephano Uroſio I. genuit filios Dragutinum, & Milutinum Uroſium. A morte conjugis monaſticam profeſſa, in Gradaz cœnobio, quod ſuo ſumtu erexerat, piam vitam concluſit: &, poſtquam annis multis quieviſſet, reliquiæ ejus in diverſa loca ablatæ ſunt.

Quid Scriptores alii?

BULG. Plura ac clariora ex aliis de eadem Regina intellige. Jolincius Balduini Conſtantinopolitani Imperatoris (C). Ritterus S. Ludovici Franciæ Regis fuiſſe filiam affirmat (D). Eandem jam anno 1250. in thoro Stephani Uroſii I. vixiſſe, evincit ætas Stephani Dragutini primogeniti, qui jam anno 1271. Hungariæ regis gener ſcribitur (E). Marinus Barletius (F), Helenæ adſcribit inſtaurationem Antibaris, plurimorumque circum caſtellorum, ac urbium: cujus pietate magno numero Eccleſiæ, cœnobiaque per Serviam, ac Epyrum ſurrexerunt, aut meliorem induerunt faciem. Kyr

Helenæ

(A) Colloquio 7. (B) MS. Servicum. (C) Balduinus II. Conſtantinopoli imperavit ab anno 1229. ad 1261. (D) S. Ludovicus IX. Rex Franciæ ab anno 1226. ad 1270. (E) Ex tabulis pacificationis Stephani V. Hung. regis, & Ottocari Bohemiæ, quas Colloquio ſequenti referam. (F) L. 33. de geſtis Scanderbegi.

Helenæ memoriam conſervat, & urbs Catarus in ſuis privilegiis. Exquiſita autem devotio, & conſtantia in cultu religionis, & obſervantia ſedis Apoſtolicæ, zelus præterea propagandæ unionis cum eadem apud principes filios, Bulgarorum Imperatorem, populumque omnem, ſtudium denique ardens exſtirpandæ hæreſeos de Boſnæ finibus, dignis merita eſt celebrari elogiis. Matrimonio Milutini filii, cum Simonide Andronici II. filia, velut multis titulis illegitimo reſtitit acerrime, ut ſubinde ex Pachimere narrabo. Vixit, regnavitque Marito ſuperſtes, cujus funus ex Draſch Chulmiæ caſtro, in templum SS. Trinitatis in Sopoto transtulit. Regno cum filiis anno adhuc 1303. præfuiſſe teſtatur Raynaldus: quo ipſo, eandem Serviæ reginam, cum conſtanter indefeſſam amplificandæ orthodoxæ fidei navaret operam, Benedictus X. (A), in Apoſtolicam protectionem accepit, Bernardus in chronico Romanorum Pontificum anno adhuc 1308. regno præfuiſſe, teſtis eſt.

Erat ſedi Apoſtolicæ devotiſſima.

A Benedicto X. in protectionem Eccleſiæ ſuſcepta.

Regnabat adhuc an. 1308.

SERBL. In ſacris Auſtriacæ domus cimæliis exſtare hodieque inſigne Reginæ iſtius Helenæ monumentum, partem videlicet crucis Dominicæ notabilem, auro gemmis quatuor ornato incluſam: ex hac pro pio more domus auguſtæ particulam decerpi, obvolutamque ſerico, principibus recens natis poſt baptiſmi ſolemnia appendi: denique auro inciſum eſſe aliquid charactere noſtrate Cyrillico dudum inaudii: at, quid illud ſit, meam quidem effugit memoriam: id, ſi te non lateat, ac fors etiam in penu tua reconditum habeas, rem dignam præſtabis, ſi apographi publico copiam facias.

VIII. Exſtat ejus monumentum, Crucis Dominicæ pars notabilis.

BULG. Aurum in formam crucis ductum, introrſum lignum crucis dominicæ pari forma continet. Auro inciſus character Cyrillicus familiari tunc Serblis idiomate docet, cui Eccleſiæ ab Helena regina crux donata ſit: tum & pretium ſacri ligni, auri, gemmarumque diſtincte explicat: demum pro more tempore fulminantur maledicta in ſubducentes, non reſtituentes, alienantesve. Inſcriptio Cyrillica latino charactere reddita talis eſt:

Eadem deſcribitur.

Sei chestni Krst stvoren Kralizom Jelan mesbi Troizi u Sopotah. U niem pet komat chestnoga Dreava. Zelo ſve. I csetiri Kameni.

Ejusdem Crucis inſcriptio refertur.

A dano na Dreava dvea tiſusti Perper. A tretia tiſusta u Kameni, i u zlatea.

I kto hoste ſi Krst oddati od Svetie Troize Illiga silom uzeti. Da ta Bog ubie i Krste chestni.

A

(A) Benedictus X. L. 1. ep. 117.

A stecto csto veſmet od sego Krsta od Dreava, da je proklet od Boga, i da ga ubie Krst chestni.

Quæ pari ſimplicitate ſic reddo: *Hæc venerabilis crux data a Regina Helena Eccleſiæ Trinitatis in Sopotah. In ea quinque partes ligni venerabilis. Integrum totum*: & *quatuor gemmæ.*

Expoſita in lignum duo Perperorum millia, & *tertium mille in gemmas*, & *aurum.*

Et qui volet hanc crucem alienare a Sancta Trinitate, aut vitollere, eum Deus perimat, & *crux venerabilis*

Et, quì rapuerit hanc crucem Domini, eam Sanctæ Trinitati reſtituat. Si non reſtituerit, perimat eum Deus, & *crux iſta:*

Si quis demſerit de iſtius crucis ligno, ſit maledictus a Deo, & *perimat ipſum crux venerabilis.*

SERBL. Declara jam, quid Perperi monetæ nomine veniat? cur potius Helenæ Francicæ, quam alteri crucem hanc tribuas? Quo denique fato, cujusve munificentia in ſacros Auſtriæ Theſauros illatam exiſtimes?

Pretium eruitur.

BULG. Perperum explanavit Guntherus (A). Fuit, inquit, numus aureus Fertoni, ſeu quartæ parti marcæ unius æquivalens: auri vero puri marca valuit quadringentas ſeptuaginta quatuor libras. Ex quibus ſubducto rite calculo crucis univerſæ pretium facile cognoſcas. Nam hoc Guntheri computu ter mille Perpera appendunt auri puri marcas ſeptingentas quinquaginta quinque: hæ vero efficiunt trecenta quinquaginta quinque millia, & quingentas libras. Helenæ autem Francicæ id crucis monumentum adſcribo, quod nullam alteram ejus nominis Reginam invenio. Nam Helena e domo Bulgarica *Stephano Duſiano Imperatori* nupta, titulos, nomenque *Imperatricis* pari cum marito jure geſſit. Theſaurum autem hunc Eccleſiæ SS. Trinitatis in Sopotah tunc ab Helena noſtra oblatum exiſtimo, cum piiſſima conjux Regi, & marito Stephano Uroſio I. parentabat, & corpus ejus exanime ex Drasch arce eodem transtulit. Ad Auſtriacos perveniſſe ex Hungaria reor: Hungariæ vero ſacris clenodiis a Georgio Deſpota illatam anno 1439.; quo regno ejectus, apud Hungaros exul, auxilia adverſus Amuratis tyrannidem conquirebat.

Helenæ Francicæ vindicatur.

Utque in ſacra Auſtriæ cimælia devenerit, exponitur.

SERBL.

(A) Gunth. Hiſt. Hieroſolym. c. 8.

SERBL. Posuisti in luce Helenæ Francicæ, Serbliæ Reginæ præclare gesta, zelum pro Deo, ac religione: singularem in Romanam Ecclesiam devotionem, charitatem, & merita in regnum omne, verbo: exquisitam sanctitatem. Quam, quia nostra quoque manuscripta historia abunde testatam facit, cum lipsana ejus post complures a decessu annos in diversas Serbliæ partes translatas perhibet: cogor tibi jam fateri, omnes prope, quos calculo Ecclesiæ nostræ aris admovimus, & sanctos inter colimus, cum Romana, & Apostolica sede apprime conjunctos, eidem consentientes, devotosque exstitisse.

Sanctitatem ejus declarat reliquiarum translatio: quæ unionis Serblorum cum Latina Ecclesia testis est.

BULG. Accedo sano huic tuo judicio, atque, ut in eandem tecum mentem tui omnes conveniant, vehementer opto, Deumque patrem luminum exoro. Admiror autem magnopere, quod Helena, Regina piissima, a sanctitate conspicua, meritisque in Deum, Ecclesiam, regnumque vestrum pleniissima, nondum more solemni in sanctorum album illata sit, quam ipsa reliquiarum ejus in diversas partes translatio, communi regni suffragio a majoribus quondam vestris pro sancta cultam fuisse, liquido demonstrat.

COLLOQUIUM SEPTIMUM.

DE STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM REGIBUS STEPHANO DRAGUTINO, ET MILUTINO UROSIO II.

De Dragutino Stephano rege, ejusque initiis.

SERBL. Stephani Urosii I. filii fuere Stephanus Dragutinus, & Milutinus Urosius, hic junior, ille natu major (A). Fratres ipsis præterea nulli erant: nam ex duobus, quos adjungit Orbinus, *Stephanus* quidem cum Dragutino idem fuit: *Predslavum* autem jam antehac Stephano primo coronato filium vindicavimus. Dragutinus primogenitus, ut primum Hungariæ regis filiæ conjugio illigatus est, parte aliqua provinciæ, populique a patre donatus Regio titulo præfuit, & modo quodam in regni consortium admissus est. (B). Atque hoc illi fraudi fuit: cum enim fortitus esset regionem recens a Græcis captam, & longius a patris, matrisque consortio, ac disciplina agit, communi ditionis sibi creditæ malo, schismate nempe afflatus, ad mores, erroresque eorum descivit. Deviantem, ad sinum Ecclesiæ revocare aggressus est Nicolaus IV. datis literis hortatoriis anno 1288. Quæ an, & qualem effectum nactæ sint, post descripta cætera, quæ de hoc principe historici memoriæ prodiderunt, opportunius vestigabimus.

Quid de eo unum exemplar MS. Serblici?

SERBL. Georgius Despota in sua chronica ad annum 1269. hæc de eo ad nostram transmisit memoriam (C). Dragutinus, inquit, cum Catharinam Chun Láfzló Hungariæ regis (D) filiam in thori

(A) Pachymeres ad an. 1273. (B) elucet hoc ex tabulis pacis Stephani V. Hung. & Ottocari Bohem. regum confectis an. 1271. ubi Dragutinus compellatur *Steph. Serviæ rex junior*: item ex Nicolai IV. epist. data 1288., in qua idem *Stephanus Rex Sclavorum* inscribitur. (C) MS. Servicum. (D) Regnavit Ladislaus Chunus ab an. 1272 ad 90., quo a Cumanis cæsus est.

thori ſociam adlegiſſet; ſocer, præter dona ampliſſima, quæ in generum profudit, dotali inſuper nomine adjecit Syrmium, ac Ducatum Machvæ Savo, Drinoque fluviis, & Belgrado urbi ex adverſo objectum. His anguſtiis, cum ejus ambitio concludi non poſſet, abreptus regnandi libidine, acceptis a Socero Cumanorum, ac Hungarorum auxiliis, in paternas ditiones infeſtus irrupit, fugatoque patre, occupavit. Sic regnum adeptus; dum evoluto ſpatio temporis permodico, cum regni primoribus ad Serbliæ caſtrum *Jellak* iter facit, equo in furias, acto excuſſus, terræque alliſus, grave in pede vulnus accepit: cui, cum arte nulla, nullisque impendiis mederi poſſet, dimiſſo regno, & in fratrem Milutinum translato, cum Regina, & nonnullis fidelibus ad partes Syrmii in urbem *Dobrinze* ſeceſſit, & conſtructa illic, conſtitutaque Regia celebri, ac Eccleſia, retento Regis titulo, inde ad dies vitæ gubernavit poteſtate abſoluta *Syrmium*, *Matisfeldam*, *Smederovam*, *Branichevam*, *Kuchevam*, & *Niſſam cum Vidino*. Suſceptoque *Uladislao filio*, poſt exactos in Dobrinze ſeu Sonluk annos tres, & viginti, vitam finiit. Mortui corpus delatum eſt in Raſciam, ſepultumque in monaſterio *Giurgievi Stupove*. Fuere in Dobrinze vicinia urbes egregiæ *Kralyevze*, & *Petrovze* (A).

BULG. Exemplar manuſcriptum, quod præmanibus meis exſtitit, ſi pauca demas, tuo fere conſentit: ſic enim habet (B): Cum Dragutinus in conjugem accepiſſet Ladislai Hungariæ regis filiam, lætitiisque nuptialibus diffluunt, pater filio ceſſurum ſe regno vita comite eſt pollicitus. At cum poſt longum plurimorum annorum decurſum regno nondum decederet, filii ſpem eluderet, ac repetitas preces fruſtraretur, indignatus ille, accepto a ſocero, & fratre ſuo Ledianenſi rege (C) magno exercitu, armatus patrem adiit, & ne filium penitus exuiſſe putes, procumbens in genua ſupplex dixit: *age tandem, & promiſſum dudum regnum concede, tibique locum delige, in quo quiete, & pro dignitate degas.* Verum cum nec oſtentato armorum terrore patrem in vota flexiſſet, vim denique, & exercitum admovit, commiſſoque prælio victum, fugavit in Chulmiæ provinciam, ubi in caſtro Draſch vitam abſolvit. Arreptis in hunc modum regni habenis Dragutinus, cum aliquando ſub arce *Jellachem* animi cauſa eques agit, perterrito repente ſonipede ſella excuſus gravi lapſu manum dextram confregit, agnitaque continuo Dei vindicta, ut erat pro-

Quid altercum?

(A) *Kralyevze*, *Petrovze*, *Dobrinze*, *Sonluk*, ſunt pars dominii *S. Demetrii* ad familiam noſtram ſpectantis. In Sonluk & rudera viſuntur; & fruſta politi marmoris inde eruta, veſtigium Regiæ oſtentant. (B) MS. Servicum. (C) *Ledianorum* nomine, opinor, *Lithuanos* intelligi, quorum fortaſſe pars aliqua ſub fratris degebat regimine.

proſtratus, pœnitens exclamavit: *parce Domine, deliqui in patrem*: multam ergo, ſeveramque deinceps egit pœnitentiam, ac Dei amore inflammatus, cum laude gubernavit: religioſos viros dilexit, ſenes veneratus eſt, pauperibus opem tulit, veritatem ſequutus eſt, progreſſusque in Dabatz Syrmii cœnobium, habitum monachicum induit, ſumtoque *Theoctiſti* nomine, orationi, & jejunio deditus, pie vitam terminavit.

SERBL. Quid vero de rege eodem Orbinus? an ille his noſtrorum narrationibus conſentit?

Quid Scriptores alii?

BULG. Orbinus, qui Dragutinum a Stephano perperam ſejungit diverſumque facit, ait: Dragutinum, vi illata, patrem ſenio confectum throno demoviſſe, atque ad privatam adegiſſe conditionem: &, licet toto regni tempore magna ſapientia rempublicam moderaretur, aſſiduis tamen conſcientiæ agitatum ſtimulis, ut animo quietem procuraret, regnum malo omine arreptum in Milutinum fratrem reſignaſſe. Cujus cætera, quæ de Stephano narrat, ſi, ut oportet, Dragutino conjungantur, conſtabit eundem retinuiſſe ſibi, & regio deinceps titulo, ac more moderatum fuiſſe provinciam finibus Hungariæ, Savique fluminis cohærentem, *Machvam* ſcilicet, ac *Sanctum Demetrium* in Syrmio (A), qui terrarum tractus dehinc *Terra Regis Stephani* compellatus eſt. Is ad extremum pœnitens, in *Debari* cœnobio Monachum induit, & ante Milutinum vivis exceſſit, ſepulturæ mandatus in Syrmienſi ſancti Demetrii Baſilica. Nec multo aliter Ritterus (B): Dragutinus, inquit, diuturnum patris regimen peroſus, bello intentato patrem ad ducendam vitam privatam adegit; quem Luccarius, & alii a rebelli filio in prælio peremtum ferunt. Adeptus autem ſcelere regnum, magna prudentia, & æquitate moderatus eſt. Almiſanos Adriæ piratas ſola mandati ſeveritate a mari infeſtando coercuit, ac navigantibus tutum præſtitit. Cum tamen ob patratum crimen inceſſanter excruciaretur animo, & populo perinde, ac Deo exoſum ſe crederet, ſeceſſit *Trepziam*, regni gubernio matri commiſſo, unde complures devotas peregrinationes inſtituit, atque ad expiandum parricidii ſcelus, placandumque numen, piis operibus, vigiliis, jejuniisque corpus exercuit, ac poſtremo incredibili actus dolore, regno in fratrem Milutinum derivato, ipſe in cœnobio *Dabarz* monaſticam profeſſus, vitæ reſiduum in auſtera pœnitentia exegit. Hæc Orbinus, & Ritterus, a quibus, una ac veſtris manuſcriptis in re momenti maximi diſſidet Pachymeres ſcriptor coævus (C), cum Stephanum Dra-

guti-

(A) *Sanctus Demetrius* eſt civitas Syrmii Savo cohærens, vulgo Mitroviza dicta. (B) In Servia illuſtrata. (C) Pachym. in Andronico II. Imp. L. 3. c. 30.

gutinum, non ultro in fratrem transtuliſſe regnum, ſed ob vitium corporis, excluſum fuiſſe tradit: atque idcirco Milutinum metu Stephani perculſum, oblatus ab Andronico II. nuptias Eudociæ ſororis, præſcriptasque conditiones cæteras avide admiſiſſe: en verba: *Nam hunc*, nempe Milutinum, *ad iſtam conditionem avide arripiendam præter cætera hortabatur metus a fratre majore Stephano: cui, cum principatus Serbiæ, ut primogenito defuncti Cralis, deberetur, excluſus inde is haud juſta de cauſa fuit, quod nimirum naturali pedum vitio claudicaret.*

SERBL. Hæc tanta ſcriptorum inconſtantia criſi bona, ut video, eget: medere his illorum diſſidiis, & quæcunque inter has variantes narrationes minus probantur reſcinde, detrahe, erronea corrige, & veriora erue, ſubſtitueque.

BULG. Provinciam, quanquam duram amplector. Igitur: Dragutinum a Stephano diverſum non eſſe, & Stephani ab olim geſſiſſe nomen, fuiſſeque primogenitum Uroſii I pro certo teneo, tam ex fide hiſtoriæ veſtræ manuſcriptæ, quam ex græcis, latinisque (A). Ex pacis autem tabulis Stephani, & Ottocari regum anno 1271. conditis perſpicuum quoque eſt, Uroſio patre incolumi, anno eodem *junioris Regis Serviæ* titulos geſſiſſe: quem *Sclavorum Regem* Nicolaus IV. anno 1288. ſcripſit. At non Ladislai Chuni, ſed Stephani V. Hungariæ regis generum fuiſſe, teſtantur tabulæ pacificationis, quarum verba accipe (B). *Prædictæ ordinationi, & paci includi volumus, & includimus excellentes Dominos Philippum Francorum, & Carolum Siciliæ reges illuſtres, & Carolum juniorem primogenitum, ipſius regis Caroli generum noſtrum. Michaelem Angelum Palæologum Imperatorem Græcorum, Andronicum, juniorem Imperatorem Græcorum generum noſtrum. Boguslaum Cracoviæ, & Lodomeriæ: Boislavum majoris Poloniæ: Henricum Bavariæ inclytos Duces generos noſtros. Belam Ducem de Machow, & de Bosna fratrem noſtrum. Uroſium regem Serviæ: & STEPHANUM FILIUM EJUS, JUNIOREM REGEM SERVIÆ GENERUM NOSTRUM. Svetislaum Imperatorem Bulgarorum: & Leonem generum noſtrum Ruthenorum Ducem, & Mitislaum fratrem ejusdem, & Vazulem filium Vazulæ Duces Ruthenorum: alioſque fideles, fautores, & familiares noſtros*, &c. (C). Confirmat, imo evincit hoc ipſa tenera ætas Ladislai Chuni, in qua Stephano V. (parenti, anno poſt pacem cum Ottocaro celebratam ſequente 1272. in regnum ſucceſſit: prodidit hanc ipſe in epiſtola anno eodem ad Tragurienſes data, quos ut in fide confirmet, in hæc verba ſcripſit (D): *Sciatis enim,*

Quæ ea his verior ſunt?

Fuit gener Stephani V. Regis Hungariæ.

A) Citatus Pachymeres mſpt. Servicum. Tabulæ pacis, Nicolaus IV. (B) Tabulas pacis per extenſum Raynaldus recitat ad annum 1271. (C) De his tot *generis* Stephani V. R. Hung. conſule annales, & Pray P. 1. p. 331. (D) Lucius L. 10. c. 9. recenſet epiſtolam.

enim, quod quamvis simus ad præsens puerili in ætate, tamen Domino propitio habemus potestatem, nobis insurgentes potenter coercendi. Nullo igitur pacto, jam anno priore Dragutini socer esse potuit. Itaque, quæ Dragutino sub annum 1269. nuptui tradita erat, soror, non filia Ladislai fuit, quam, cum Luccarius *Elisabetham*, historici vestri *Catharinam* appellent, utroque fors nomine prædita fuit.

SERBL. Authoritate tabularum pacis, tum & Ladislai Chuni puerili ætate convictus, assentior non hunc, sed patrem hujus Stephanum V. Dragutini Stephani socerum fuisse, atque hac parte a manuscriptis nostris recedo. An vero idcirco inficiabimur & alterum, quod eadem diserte affirmant: Dragutinum a Ladislao Chuno Ducatu Machvæ, ac Syrmio donatum, ejusque auxiliis adjutum in bello, quod adversus patrem promovit.

BULG. An Ladislaus Chunus, fororis suæ Marito Dragutino Syrmium, ac Machvam dotis loco donaverit, non habeo, unde certo definiam. Sed nec est, cur historiæ vestræ, isthoc affirmanti, derogem. Id unum tribui mihi velim, Dragutinum in possessionem Machvæ non venisse superstite Elisabetha majore Regina, Ladislai matre; illam enim monumenta certissima ad annum 1280. Bosnæ, ac Machvæ Ducali nomine præfuisse, unaque comitatus Vereuze, Lippoa, Posegæ, ac Valcon in sua potestate habuisse testantur (A), quam, cum anno adhuc 1284. in vivis egisse compertum sit (B): ab obitu tantum ejus, ac fortasse non ante annum 1286. Machvæ, Syrmiique Dominium in Dragutinum translatum est (C). Quod alterum attinet, de auxiliis nempe a Ladislao ad patrem oppugnandum, Dragutino datis; id merito in dubium voco, & videtur ab historiarum fide abludere, cum parte una constet Ladislaum anno 1290. a Cumanis nece sublatum esse, parte vero altera exploratum sit, Stephanum Urosium, Dragutini patrem, a cæde Ladislai, Bosnam regno suo adjunxisse, & anno adhuc 1291. incolumem in solio sedisse, censores fidei Bosnæ invexisse, seque cum ditionibus in clientelam Ecclesiæ Romanæ contulisse, uti ex Nicolai IV. P. literis docuimus. Esse igitur id summum potuit, ut post occupatam a patre Bosnam, cum hac etiam provincia se excludi videret, irritatus, accitis, adjunctisque sibi Cumanorum, Lithuanorum, & Hungarorum auxiliis, sacrilega arma patri intulerit, solioque deturbatum in Chulmiam expulerit.

Syrmium, & Machvam dotis nomine nonobtinuit ante 1286.

Patrem regno deturbavit anno 1291., sed non auxilio Ladislai Chuni regis Hungariæ.

SERBL.

(A) Raynaldus ad annum 1280. (B) Historia Zagrabiensis Ecclesiæ in Timotheo Episcopo. (C) Cl. Pray P. 1. ad an. 1286. Tractatio posterior de Illyrico novo adjecta Du Fresnio ad an. 1288. p. 159.

SERBL. Adeptus ſcelere regnum Dragutinus, quot annorum ſpatio Serbliam ſupremo jure moderatus ſit? unde impulſus, ac, quibus pactis fratri juniori Milutino eadem ceſſerit? quot deinceps annis regionem *Terram Stephani regis*, de ſuo nomine dictam, tenuerit? quos, & qua matre filios genuerit? Rex, an monachus, & quo anno humanis exceſſerit? ac, quo demum loco ſepulturæ mandatus ſit? nunc veſtigemus.

BULG. Cum Dragutinus jam anno 1271. regni conſors eſſet, anno demum 1291. provecto Serbliam univerſam invaſit, & patri eripuit. Annis non multis molem regni totius authoritate ſumma ſuſtinuit: nam cum anno 1317. deceſſerit (A), & ex ſtatione Syrmienſi *Terram regis Stephani* regali poteſtate annos tres, ac viginti moderatus ſit (B), calculo rite ſubducto conſequitur, Dragutinum anno 1295. in Milutinum fratrem ſummum Serbliæ regni imperium transtuliſſe, ſeque in Syrmienſem Regiam recepiſſe. Atque, cum ex Pachymere (C) conſtet, Dragutinum jam anno 1273. naturali pedum vitio laboraſſe; facile ſubſcribo, ex lapſu ad Jellachem auctum, exaggeratumque malum fuiſſe, ſeu crure, ſeu brachio, ſeu utroque etiam confracto. His vero corporis malis, ac cumprimis conſcientia, & pœnitudine admiſſi in patrem ſceleris adductum, ultro regimine deceſſiſſe in urbe Dechema (D) pariter aſſentior: nec enim cum Dragutini indole, qui patrem ſolio proturbare auſus eſt, ſatis convenit, quod Pachymeres ſcribit (E) regno fuiſſe excluſum, licet primogenitus eſſet, quod naturali pedum vitio claudicaret; atque injuriam hanc animi inertia patienter tuliſſe, en verba: *Ac patienter ille quidem* (nempe Stephanus) *injuriam ferre videbatur, aſſignatæ ſibi portioni cuidam paternæ ditionis pacate imperitans, cæterum legitimos educans liberos, quibus totam olim ceſſuram Serbiam confidebat: filiis, ſi quos frater ejus* (Milutinus) *e non juſtis, quibus erat implicitus, nuptiis gigneret, haud valituris ob defectum natalium paternæ ſuccedere poteſtati.* Ultro igitur, volensque Serbliæ regnum Milutino ceſſit, atque ea lege pactoque, ut retento Regis nomine, tractui provinciarum Hungariæ confini, ipſe abſoluta poteſtate præeſſet, utque ab exceſſu Milutini fratris ad liberos ſuos imperium totius Serbliæ rediret (F). Quæ cum ita ſint, facile credo ſuſpecta, inviſaque fuiſſe Dragutino Milutini cum Andronico II. imperatore conſilia tractatusque nuptiales, deſignatos primum cum *Eudocia* auguſti ſorore, & hac renuente, ad finem perductos anno 1299. cum Simonide filia: atque idcirco ad faciendos militum delectus progreſſum, bellum in Milu-

II. Circa annum 1295. fratri regnum ceſſit.

Annos 23. rexit terram Stephani dictam.

Adverſatus eſt fratris connubio cum Simonide.

(A) Du Fresne. Ritterus. (B) Chron. mſcr. Georgii Deſpotæ. (C) Pachym. L. 5. c. 6. in Michaele Palæologo. (D) MS. Servicum, & Jolincius. (E) Pachym. in Andronico L. 3. c. 30. (F) Hiſtor. Franco Byzantina, L. 7.

lutinum toto animo designasse, nec nisi metu Imperatoris, ejusque auxiliorum, intra pacis limites substitisse, & ab aggressione sibi temperasse. audiamus de hoc Pachymerem (A): Is, postquam narrasset, Terteris filiam in medio *Bardario* flumine cum Simonide permutatam, peractamque a *Macario Achridensi* Archi-Episcopo solemnem novarum nuptiarum benedictionem (B), dixissetque Milutinum Thessalonicam magno splendore invectum, & illic ab augusto summis honoribus, donisque exquisitis cumulatum: hæc demum subdit: *Dimisit postea eum multis pecuniis donatum, quin & auxiliis ipsum prosequutus militaribus est, quibus se tueri a vi, & insidiis fratris Stephani posset. Nam Stephanus audiens germanum firmare res suas affinitate Imperatoris, suspicatus id, quod erat, ea præsidia contra se parari, & reputans deinde multo infirmiorem statum suum, & spes filiorum fore, ubi fœdere, ac nuptiis istis frater sibi Imperatoris opes adjunxisset: delectus habere, ac manum cogere cœperat, haud dubie irruptionem minans, nisi metu copiarum imperialium suppetias venientium coerceretur.*

Filios habuit Uladislaum, & Constantinum ex Hungara conjuge.

SERBL. Ex nunc recitatis geminis Pachymeris locis elucet, Stephano Dragutino non unicum filium, sed *filios thoro natos legitimo* fuisse: horum primogenitum *Uladislaum* nomine detexit nobis Georgius Despota (C), & Michas Madius coetaneus, qui & fata ejus paucis exequutus est. Alterius nomen me latet.

BULG. Eum fuisse *Constantinum*, ne dubita, quem Du Fresne & Ritterus *Uladislao* fratrem adjunxere: nam præter hos duos nullus legitimo thoro natus in tota Regum, quos nunc tractamus progenie, se offert. *Stephanus* enim, qui tertium inter sanguinis principes locum obtinet, Milutini filius nothus erat, quem is, teste Joanne XXII. (D), *conjugatus de soluta genuit.*

SERBL. At, manuscriptum Serblicum præter *Stephanum* nothum *Constantinum* quoque, legitimum, ut videtur, filium, Milutino adscribit (E), quem Jolincius cum *Neda* sorore, matre Simonide natum scribit.

BULG. Manuscripto vestro adversatur Gregoras (F), qui diserte testatur Milutinum ex pluribus, quas thoro superinduxit uxoribus, nullam marem sobolem generasse, id, quod etiam ex Pachymere supra re-

(A) Pachym. in Andron. II. L. 4. c. 5. (B) Hinc elucet, extremas Bardarii, seu Axii fluminis partes, ubi fere in Thermaicum sinum effluit, limitem regni Serbliæ fuisse: atque etiam diœcesim Achridanam eo usque pertinuisse. (C) Supra relatus. (D) In epistola, quam sequente Colloquio inducemus. (E) Verba MS. sunt: *genuit duos filios: Constantinum, ac Stephanum Uros III. dictum.* (F) Gregoras L. 6.

relato conſtat. Idem Gregoras Jolincium quoque confutat (A), cum narrat, præmaturo viri contubernio Simonidem violatam ſic eſſe, ut nulla ſpes prolis ex ea ſupereſſet. Nec falli eum opinor: nam, ſi Conſtantinum filium legitimum quacunque alia matre Milutinus habuiſſet, nunquam in eam mentem deſcenſura erat Imperatrix Irene, ut poſt compertam ſterilitatem filiæ ſuæ Simonidis, filios ipſa ſuos ex Andronico IIdo ſusceptos, in thronum Serblicum provehendos Milutino genero offerret. Quæ enim fuiſſet dementia, id velle efficere, id profuſis opibus contendere, ut pater, ſpreto, excluſoque filio legitimo, extraneos, ac ſolo affinitatis nexu junctos, regni ſucceſſores inſtituat? Erravit igitur Manuſcripti author, cum Milutino filium Conſtantinum attribuit, quem conſtat ex prima, legitimaque conjuge unicam filiam *Zarizam* genuiſſe (B), ex connubiis autem ſuperinductis marem nullum ſuscepiſſe. Orbini autem error multo adhuc patentior eſt, qui præter Conſtantinum Uladislaum quoque filium Milutino adſcripſit, & conjuges duas affingit Eliſabetham Hungaram, ex qua Uladislaus, & Theodoram Andronici II. filiam, ex qua natus ſit Conſtantinus. Uxores vero quatuor, quæ indubie Milutini fuere, in ejus filium nothum Stephanum, qui poſtea regnavit, transfert. Stat ergo fixum, firmumque, *Stephani Dragutini* liberos legitimos fuiſſe *Uladislaum*, ac *Conſtantinum*, & ambos matre una Stephani V. Hungariæ regis filia natos, cum nemo Scriptorum prodiderit Dragutinum ad vota altera transiſſe.

SERBL. Eundem, pro filiorum ſuorum juribus in Hungariam vindicandis, moviſſe aliquid apud Ladislaum Tranſylvaniæ Vajvodam ſocerum Uladislai filii, cumque nihil profeciſſet, expeditionem in Hungariam adornaſſe anno 1313. veriſimile prorſus eſt; nullo tamen operæ pretio (C). Quo vero anno eundem in Syrmio mors oppreſſerit, manuſcripta noſtra non adnotarunt: aliorum ſententia dubia & anceps eſt. Luccarius obitum ejus ad annum 1309. retulit: Michas Madius, author coævus cum anno 1307. conjunxit, & mox a deceſſu Dragutini Uladislaum a Milutino patruo in carcerem datum tradit.

Pro quorum juribus expeditionem Hungaricam inſcepit anno 1313.

BULG. Emortualem annum 1307. apud Micham Madium proſtare fatendum eſt: at, pro eodem reponendum eſſe 317. cenſet Du Fresnius ex conſequentibus evidens. Typi ergo, aut ſcribarum vitio errorem in calculum irrepſiſſe, & ipſe credo, ſcribendumque fuiſſe ſeptimum ac decimum, non vero ſeptimum: ſic enim anni tres ac viginti regni ejus in *terra Stephani*, quos hiſtoria veſtra Dragutino adſcribit, neutiquam prodirent, qui ad annum duntaxat 1317. evolvuntur: in hunc

Obiit anno 1317. ſuscepto monachi habitu: ſepultus in Giurgievi Stupove.

(A) Gregoras, L. 7. (B) Ex tractatu Milutini cum Carolo Valeſio, quem in Milutino producemus. (C) De qua expeditione ibidem ſermo recurret.

ergo cum Du Fresnio, & Rittero differendam censeo mortem Dragutini: quem sub extremum vitæ tempus monachalem induisse habitum, & *Theoctisti* nomen suscepisse lubens concedo: atque, ut Orbinus cum historia vestra concilietur; ajo cum Orbino depositum initio fuisse in æde Sancti Demetrii Syrmiensi ad Savum, subinde vero ad *Giurgievi Stupove* translatum vobiscum affirmo (A).

SERBL. Quod religionem Dragutini attinet, non fallar, opinor, si, quemadmodum ævo Nicolai IV. Pontificis, ita per reliquæ vitæ cursum divisum ab Ecclesia Romana perstitisse dicam. Certe de eo, filioque Uladislao, non aliud sensisse videtur anno 1309. Cardinalis Gentilis Legatus Apostolicus per Hungariam, ut infra dicemus.

BULG. Novi equidem per hæc tempora Serblos universe, Romæ, ac per Hungariam Schismatis invidia flagrasse, atque in hanc classem Reges ipsos cum filiis repositos. Verum famæ hujus sub annum 1308. exortæ mendacia nos paulo post in Milutino refellemus, & colloquio sequente *Uladislaum* æque, ac *Constantinum* a patre catholice educatos, ac priorem, Ladislai Transylvaniæ Vajvodæ filiæ Sacris Romanis innutritæ connubio junctum fuisse dicemus: quod utrumque mihi argumento est plus, quam probabili, Dragutinum quoque ad frugem, & unitatem Ecclesiæ rediisse, citra tamen ullos apparatus publicos. Reditus autem tempus, opinor, fuisse, cum atrocis in patrem facti dolore animum subeunte, jejuniis, peregrinationibus, piisque operibus Numen placare instituit, ac matrem catholicissimam mulierem regno universo vicaria potestate præfecit. Ea Dragutini in melius commutatio his gradibus processit. Nicolai IV. epistola ipsi inscripta, semen fidei catholicæ in animo ejus pene oppressum excitavit rursum: virorum Apostolicorum, quos Nicolaus Serbliæ immiserat, congressus frequentiores cum eodem in spem meliorem evolverunt: matris vero Helenæ, ac Hungaræ conjugis principum apprime catholicarum assidui hortatus, piaque monita, aspirante Numine ad plenam maturitatem, optatumque primævæ unionis fructum perduxerunt.

Post patrem dejectum, ac cessiss. Catholicis, probatur argumentis aliquot.

SERBL. Nunc Milutini res ordiamur: illum anno 1273. nulli adhuc illigatum, maturum tamen connubio fuisse, liquet ex Pachymere (B). Narrat is, Michaelem Palæologum augustum anno 1273. Milutino, licet secundo genito, quem fama ferebat, ob Stephani primogeniti morbum incurabilem, indubium regni successorem, Annam filiarum alteram in connubium destinasse, atque spe tali itineri cum legatis com-

III. De Milutino Urosio II. Rege.

(A) Paulus Jolincius in monasterio Resova, quod ipse honoribus S. *Georgii* struxit, sepultum tradit: quod fortasse idem est cum *Giurgievi Stupove*.

(B) Pachymeres L. 5. c. 6. in Michaele Palæologo Imperatore.

commisisse; sed cum legatorum aliqui, qui sponsam præcesserant, appulsi in Serbiam, ex vero comperissent, vana esse, & inania, quæ jactata fuerant de fracto crure, & desperata Stephani primogeniti valetudine, qui regis Panoniæ filiam in thoro habebat, deque Milutini proxima post patrem successione: Imperatorem ab incepto destitisse, & filiam æque, ac legatos ex itinere revocasse, depositio omni affinitatis ineundæ desiderio, cogitationeque. Frustratus hac augustarum nuptiarum spe Milutinus, paucum post tempus, primo, legitimoque conjugio sociavit sibi nobilem quandam, cujus nec nomen, nec patriam, nec conditionem detexit Pachymeres. Sed ex pactorum tabulis, quas anno 1308. cum Carolo Valesio Vadensi Comite confecit, palam est, Elisabetham fuisse nuncupatam, ex qua filiam unicam *Zarizam* progenuit. Pertæsus autem hujus thori, secundo, sed illegitimo conjugio Joannis in tractu occiduo Sebastocratoris filiam sibi copulavit: erat is, ut Gregoras explicat, Joannes Angelus Patrarum, & Blachiæ princeps: qua pari levitate brevi repudiata, tertiam thoro superinduxit Terteris Bulgariæ Imperatoris filiam, ex Asani sorore genitam, superstite nihilominus prima illa, solaque legitima conjuge Elisabetha.

Varium, & multiplex ejus connubium.

BULG. Quam Pachymeres primam numeravit conjugem (A), Gregoras silentio prætermisit, & primam ponit, quam Pachymeres secundam dixit: secundam autem fuisse, ait, fratriæ sororem Hungaram, quæ visendæ sororis Reginæ causa in Serbliam advenerat: hanc ille detracto velo monastico, nulla religionis reverentia, in sacrilegum thorum adegit; sed Triballorum Ecclesia huic consortio adversante, longo post tempore dimisit, ac in ejus locum Terteris Bulgariæ Imperatoris filiam Svetislai sororem numero tertiam induxit: e quarum tamen nulla liberos procreavit. Hæc de Milutino Gregoras ad annum 1298. quo evoluto Simonidem, Andronici II. filiolam, nondum sexennem, in vicem Terteris filiæ, sibi copulavit.

SERBL. Si Pachymeris, ac Gregoræ narrationibus simul deferamus, Simonidem quintam ordine conjugem Milutinus numeravit. In cujus connubii cogitationem quemadmodum devenerit, accipe ex Pachymere (B): *Crales*, inquit ille, nempe Milutinus, *etsi conjugem jam tertiam in contubernio habebat, expeditus tamen ad novas nuptias videri poterat; quoniam hoc ejus contubernium per Dei, & Ecclesiæ leges irritum judicabatur, scilicet, quod superstite prima legitima conjuge, posteriores nuptiæ irritæ fuissent. Tunc autem, cum Imperator Andronicus agitabat de Crale sibi affinitate jungendo, commodum accidit nunciari mortem mulieris, quæ Crali prima nupserat. Qua fama vera comperta, manifestum erat, illum solutum esse, & liberum ad novum connubium ineundum. Offert ergo Imperator illi sororem suam EUDOCIAM viduam, Joannis Comneni Lazarum regis, quæ opportune Trapezunte Constantinopolim*

(A) Nicephorus Gregoras L. 6. (B) Pachymeres in Andronico II. L. 3. c. 30.

lim advenerat. Duo autem præſcribebat Imperator, primum: ut Terteris filiam dimittat; dein, ut Cotanizam (A) dedat. Crales ad utrumque facile acceſſit. Nam præter cætera ad hoc connubium arripiendum impellebat ipſum metus a fratre majore Stephano (nempe Dragutino), *cui, cum principatus Serbiæ deberetur, excluſus* (B) *is inde haud juſta de cauſa fuerat, quod nimirum naturali quodam pedum vitio claudicaret. Ac patienter ille quidem homo natura iners injuriam ferre videbatur, aſſignatæ ſibi portioni cuidam paternæ ditionis pacate imperitans: cæterum legitimos educans liberos, quibus totam olim ceſſuram Serbiam confidebat; filiis, ſi quos frater ejus e non juſtis, quibus erat implicitus, nuptiis gigneret, haud valituris, ob defectum natalium paternæ ſuccedere poteſtati. Crales quoque reputans, pretioſam ſibi offerri occaſionem, juſti cum Imperatoris germana connubii, ex qua ſperaret prolem, nihil exceptionis habituram* (C), *quo minus regnum adiret, ad quod contra omnia obſtacula auguſti avunculi opibus adjuvaretur.* Sed Eudocia has Cralis nuptias toto animo averſante, deprecanteque: Imperator, qui amicitiam Cralis magnifaciebat, potentiamque verebatur, coactus demum eſt, Simonidem filiolam ſuam nondum ſexennem offerre: id, quod Crales multo propenſiore animo acceptavit. Quam cum Imperator anno 1299. Februario menſe Theſſalonicam adduxiſſet, benedictione nuptiali peracta, educandam Crali tradidit, dum apta foret thoro. Crales firmato cum Andronico fœdere, Theſſalonica puellam abduxit, cum jam, ut Gregoras ait, ipſe quadragenarius eſſet (D).

Poſtremum cum Simonide an. 1299.

BULG. Opponebat ſe Helena mater his filii Milutini nuptiis, atque etiam Patriarchæ Conſtantinopoleos Joanni XII. perſuaſerat, ut apud auguſtum authoritatem ſuam interponeret. Cauſæ adverſandi, ut multæ, ita graves fuere, puta: quod ſine perjurio Terteris filia dimitti a Milutino haud poſſet; quodque, ut Helena Cralis mater ſe pro certo ſcire affirmabat, id Milutini connubium juſtum, ac legale eſſet, & virguncula Simonis ſanciendo matrimonii contractui par non foret. Addebat, connubium iſthoc impediri per ſcelera Cralis, quæ paſſim fama circumferebat: nam & fratriam Stephani fratris uxorem, eandemque ſororem defunctæ Annæ Hungaræ primæ conjugis Andronici II.; erat enim utraque Stephani V. Hungariæ regis filia, incæſtuoſo adulterio polluiſſe ferebatur: & præterea germanam harum tertiam Sacramenti religione Deo dicatam, detracto monachico velo, non ſine enormi ſacrilegio, incœſtuque thoro ſuo copulaverat. Cauſas vero has, cum ex aliis, tum ex Cralis matre Helena cognoverat Patriarcha, quæ conſcia, ut ajebat, impedimentorum, inſuperabiliter obſtantium, novo huic

Cui ſe Helena mater oppoſuit.

Labes Milutini.

nati

(A) Cotaniza erat Dux armorum celebris, qui a Græcis ad Serblos deſciverat, & aſſiduis cladibus imperium affligebat. (B) Errorem hunc Pachymeris jam alias correximus: ſponte enim, & pactis initis Dragutinus regnum dimiſit. (C) Hinc elucet, Milutinum nullam ſobolem maſculam legitimam habuiſſe. (D) Imo quadragenario major, ut Du Freſne ait: cum jam anno 1273. connubio maturus fuerit.

nati ſui pellicatui via omni ſe opponebat; atque ne quid intentatum relinqueret, Patriarcham oratum acceſſerat, ut pro religionis ſtudio, authoritateque, qua in ſacris pollebat, quæ in hoc genere parabantur, vi ſumma disjiceret. Nihil horum conatuum, cauſarumque latebat Imperatorem: is tamen, ut pluris regni ſui commoda, quam legum ſanctitatem ducebat, decretis nuptiis inſiſtendum putavit: cumque Patriarcham diſvaſurum ſciret, conantem, captantemque colloquii occaſionem, vix conſpectu dignatus, omni loquendi opportunitate excluſit. Nuptiæ igitur cum Simonide anno 1299 coaluere (A).

SERBL. Hactenus Milutini nuptias, & vitia in publicum induximus. Noſtri cuncta hæc alto ſilentio preſſerunt: nec fere, niſi pia ejus, laudandaque opera in ſcripta retulerunt. Nam poſt indicatam Milutini regis inaugurationem Stephani fratris voto, ac opera peractam, qui eum, & Uroſium II dici voluit, continuo ſubdunt: *Expoſt cœpit ædificare templa multa, ac nominatim elegantiſſimam baſilicam ad fluvium Banyſco honoribus S. Stephani Proto-Martyris condidit: quam omnem introrſum auro ornavit, erecto ſibi illic ſepulcro. Eleemoſynas ſine exemplo maximas, quales nemo ante ipſum profudit. Et, quo tandem ejus miſericordia non pertigit? Juſtitia per gentes omnes inſonuit. Hieroſolymis, in monte Sinai, ac per omnia Græcorum, Sclaverumque regna, & inſulas Xenodochia & templa exſtruxit, ac voti religione ſe obſtrinxit ad erigenda Divino honori tot ſacra domicilia, quod regni annos numeraſſet. Quare, & Divinum numen imperium ejus in annos XLII produxit. Conſtitutis ergo eodem numero Eccleſiis, vitam beato fine terminavit: ſepultus in Eccleſia Proto-Martyris in Banyſco. Quo cum Agareni advenisſent, corpus ejus delatum eſt in Prisren: ea vero etiam urbe per Mahumetanos expugnata, Sophiam deportatum eſt* (B), *ubi hodieque quiescit.*

Quid de Milutino hiſtoria domeſtica?

BULG. Quæ hiſtoricus veſter de excitatis pietate Milutini ſacris ædibus memoriæ commendavit, cum ex fidis cænobiorum archivis tranſumta ſint, aſſenſum merentur. Is, ſi annos XLII regnavit, ut veſtri perhibent, neceſſe eſt, ut in partem curarum jam anno 1279 a patre vocatus fuerit; cum hinc tantum ſumto regni principio anni XLII evolvantur ad annum 1321, qui ei ſupremus fuit. Quæ porro ditio gubernio ejus a patre delata fuerit, nemo explicuit: *Litbuanici, Cumanicique* populi partem in ditione ejus fuiſſe, ex antedictis utcunque eruo: & cum jam anno 1273 maturus connubio, liber tamen fuerit, ut ex Pachimere prædiximus, ante annum 1276. primo illigatus fuit connubio: anno autem 1279 regio titulo a parte donatus provinciam Sclavorum gubernandam adivit.

(A) Pachimeres in Andronico II. L. 4. c. I. (B) *Sophia* eſt urbs Bulgariæ, veterum Sardica: ex qua ſerius in Syrmium translatus eſt, quieſcitque in cœnobii Jaſſak Eccleſia.

SERBL. In hac degentem Milutinum, cum a patris, matrisque disciplina deviaſſet, Nicolaus IV anno 1288 per literas ad reditum in ſinum Eccleſiæ Romanæ cohortatus eſt. Anno 1291 auxiliares copias Dragutino fratri adverſus patrem conjunxit. Anno 1295 cedente Dragutino regni habenas ſuscepit. Anno 1299 Simonidi eſt copulatus. Hæc ego ex ſparſim ante dictis de Milutino collegi: tu cætera, ſi quæ ſuppetunt, ſuperadde.

BULG. Sub annum 1300 circiter Raguſæos ob Laguſtam inſulam a patre olim ceſſam, bello appetiit, urbemque ipſam acri obſidione preſſit: & ternis cladibus rejectus Andronici II ſoceri officiis pacem compoſuit (A). Anno 1302. conſociatis cum Græcis viribus in Turcos depugnavit. Quo eodem a Paulo Chrobatorum Bano Bosnam invadente, maxima provinciæ parte ſpoliatus eſt (B). Anno 1304 Franciscum de Salomone Traviſini Epiſcopi fratrem militari cingulo donavit (C). Gregoras narrat (D), exortis ſub annum 1304. diſſidiis inter Andronicum & Irenem, auguſtam Theſſalonicam ſeceſſiſſe, cumque ibi ex frequenti cum filia Simonide conſvetudine certiſſime compereſſet ſpem nullam ſupereſſe ex thoro filiæ videndi hæredis, animum eo applicuiſſe, ut filiorum ſuorum aliquem favore Milutini ad thronum Serblicum proveheret: quem, ut demereretur, præter caliptras pretioſiſſimas Imperatoriis haud fere abſimiles, aliaque ampliſſima dona, immenſos in generum profudit theſauros. In quem finem primum Demetrium, deinde Theodorum in Serbliam transmiſit. Verum conatus iſti, conſiliaque Irenes in vanum ceciderunt ipſis Irenes filiis regni ſoli Serblici aſperitatem abhorrentibus. Hæc cum annis 1305, ſexto ac ſeptimo deſignantur, agunturque, ferunt Stephanum filium Milutini nothum Irenes, & Simonidis inſidias declinantem, ad Tartaros primum effugiſſe (E), unde domum revocatus cum patre in gratiam rediit, nec diu tamen perſtitit: nam Simonidis artibus factum denique ferunt, ut Milutinus Stephanum ſeditionis incuſatum, ne quid obturbare poſſet, viſus acie pelvi candente infirmata, Conſtantinopolim cuſtodiendum relagaverit (F), id, quod author coætaneus ad annum 1317 retuliſſe videtur. Anno 1308 ſoluta cum Andronico Irenidis inſtinctu amiticia, tabulas foederis cum Carolo Valeſio Imperii Orientalis jura proſequente erexit. Anno 1313 communibus cum Dragutino fratre ſtudiis copias in Hungariam immiſit, ac hoſtilem in modum populatus eſt pro vindicandis *Uladislai* Dragutini filii juribus: quem a morte Dragutini, quam in annum 1317 incidiſſe diximus, paternis pro-

(A) Orbinus. Gonzaga in annalibus Minorum provinciæ Ragus. (B) Jam enim hoc anno apud Lucium L 4. c 13. Mladinus Pauli filius Chrobatorum, & Boſnæ princeps legitur. (C) Buchelatus in Hiſt. Traviſina. (D) Gregoras L. 7. (E) ms. Servicum. (F) Michas Madius.

provinciis exuit, ac carcere mancipavit, Conſtantino throni ſucceſſore deſignato, Anno 1318. erupit Albanenſium in Milutinum Uroſium rebellio, quam pulcherrima catholicæ religionis defendendæ ſpecie honeſtabant: in quem finem fœdus armorum cum Philippo Tarentino principe, Mladino Bosnæ Bano, ac Carolo Roberto rege Hungariæ ſanxerant conciliante Joanne XXII. Papa, qui catholicos Principes in Uroſium, veluti capitalem Eccleſiæ hoſtem, & fidei catholicæ oppreſſorem excitabat. Anno 1220. debellatus Uroſius ad pacem expetendam adigitur, & regis Hungariæ Caroli juri ſupremo ſe ſubmittit (A). Anno 1221. Milutinus Uroſius humanis exceſſit (B). Qui a morte ſtatim communi cunctorum ſenſu pro Sancto eſt habitus (C). Sepultus in Eccleſia Suecanensi Sancti Stephani (D). Ex qua urbe ſubinde corpus translatum eſt Sophiam, ac in Eccleſia S. Marinæ depoſitum, quod ſua adhuc ætate integrum exſtitiſſe, nec ſemel oculis uſurpaſſe, pectorisque pilos inſpexiſſe teſtatur Luccarius: Ex qua Eccleſia ad extremum in Jaſſak traductum eſſe, ſcribit Ritterus (E): hodieque incorruptum, Sanctorum cultu, honoribusque affici.

Obitus Milutini ad an. 1321. ſepultura, & ſanctimonia.

SERBL. Recte Orbinus, Luccarius, Ritterus, viri honore, ac encomio omni digniſſimi, quod nullo partium ſtudio abducti veritati, ac Milutini Sanctimoniæ teſtimonium perhibuere. Apud nos ejus Sanctimonia, poſt plurimas etiam vitæ labes comperta prorſus eſt: has enim profuſis eleemoſynis, ſeveraque pœnitentia redemit, eluitque. Ajunt illum cum Simonide extremos vitæ annos monachali egiſſe habitu, ac diſciplina, totumque piis operibus deditum, ad ultimum anhelitum perſtitiſſe. Certe Eccleſia Serbliana Sanctorum albo eundem adſcripſit, & diem XXX. Octobris cultui ejus conſecravit. Neſcio, quis tibi jam de eo ſenſus? Hunc ſaltem Eccleſiæ Romanæ clientibus non appones. Certe a principio eidem conjunctum non fuiſſe, teſtis eſt epiſtola Nicolai IV. ad eundem Uroſium, & Helenam matrem anno 1288. exarata, quam dudum retuliſti (F): poſtremis autem regni, vitæque annis hoſtem etiam perniciosiſſimum Eccleſiæ Latinæ exſtitiſſe, rebellio Albanenſium, principum Catholicorum procuſum in ipſum fœdus, & complures Joannis XXII. Papæ literæ pleniſſime evincunt.

IV. Inquiritur in ejus religionem.

Anno 1288. conjunctus Eccleſiæ non erat. Nicolai IV. pro eo ſtudia.

BULG. Hunc etiam principem nihilominus in Eccleſiæ Romanæ filiorum numerum fidenter refero. Nam eo jam ſumma authoritate per Serbliam rerum potiente, Bonifacius VIII. anno 1298. fidei cen-

Bonifacii VIII. ſollicitudo pro Serblia hoc Rege.

(A) Joannes Villanus. (B) Michas Madius, & Gregoras L. 8. ad annum mundi 6829., qui vulgari noſtro 2321. reſpondet. (C) Orbinus, Luccarius. (D) Videtur eſſe eadem cum Eccleſia ad Banysko fl. (E) Jaſsak eſt cœnobium Syrmii. (F) Colloquio VI.

censores in Serviam, & Rasiam destinavit. Testantur hoc literæ, quas ad Fratrum Minorum Ministrum Provincialem exaravit: *Licet ex omnibus mundi partibus, quæ christiana religione censentur, teneamur ex officii debito exstirpare lethiferam pestem hæreticæ pravitatis, in partibus tamen* SERVIÆ, RASSIÆ, DALMATIÆ, *Croatiæ, Bosnæ, atque Istriæ provinciæ Sclavoniæ, imminet nobis hæc sollicitudo propensius: ubi eandem pestem propter malitiam temporis, quæ in detrimentum fidei catholicæ perversa germina germinavit, ex evidentia operis, & famæ notitia præsentissimus abundantius succrevisse. Cupientes igitur in dictis partibus, & in Archi-Episcopatu Duracensi, Antibarensi, Ragusino, Spalatensi, & Jadrensi, & Diœcesibus suis, per aliquos de Fratribus tui ordinis, partem super hoc nostræ sollicitudinis adimpleri: discretioni tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de consilio aliquorum Fratrum ejus Ordinis, eligas duos e Fratribus ipsius Ordinis tuæ administrationis, idoneos ad hujusmodi opus Dominicum exequendum, eisquo in virtute obedientiæ, districte Apostolica authoritate præcipere procures: ut Inquisitionis officium in locis prædictis contra hæreticos, credentes, fautores, defensores, & receptores eorum, juxta formam in aliis Apostolicis literis expressam, quæ Fratribus prælicti Ordinis Inquisitoribus hujusmodi pravitatis, in eisdem locis deputatis authoritate Apostolica, vel imposterum deputandis, non expressis aliquorum nominibus, super exequendo dictæ Inquisitionis officio destinantur, exequi studeas diligenter.* Datum Romæ ad S. Petrum III. Kal Maji anno IV., qui est salutis 1298.

SERBL. Commendat quidem hæc epistola Bonifacii Papæ zelum, quin & authoritatem ejus, ac jus sacrum in Serbliam, Rassiamque confirmat: nec invento Milutino fidei quæsitores provinciis Regis immissos utcunque ostendit. At Milutinum ipsum nondum Ecclesiæ Romanæ conjunctum evincit. Sed nec amplius quid probat Pontificis ejusdem altera, quam ad Nicolaum Ostiensem per Hungariam Legatum anno 1301. destinavit, & qua munus legationis ejus in *Serviam* quoque *Rasiam*, *Dalmatiam*, aliasque provincias extendit.

BULG. Sint hæc, ut tibi placuit, amplius quid forte senties de Benedicti Papæ X. literis Martino Antibarensi Archi-Episcopo inscriptis (A). Earum tenor est: *Benedictus* &c. *Venerabili Fratri Martino Antibarensi* &c. *Ad audientiam nostram pervenit, quod in Albania, Polato, Cunavia, Duracio, Cataro, Dulcinio, Svacio, Scodro, Drivasto, Antibaro, & quibusdam aliis locis, sub dominio Andronici Imperatoris Græcorum, ac Orosii Regis Serviæ, & fratris ejus S.* (B), *nec non charissimæ in*

Item Benedicti X.

(A) Ex L. 1. ep. 149. (B) Litera initialis *S.* denotat *Stephanum* Milutini Urosii fratrem, qui eo tum *Terram Stephani regis* dictam, gubernabat.

in Christo filiæ Elenæ matris eorum Reginæ Serviæ illustris, positis: temporis nequam faciente malitia adeo in Prælatis, & Clericis, Religiosis quoque personis, & aliis, propter diversa, & enormia - - criminum, quæ committuntur ab ipsis, Ecclesiæ, religionis est deformata honestas, quod decora mater Ecclesia, quam sibi speciosus forma præ filiis hominum in sponsam dignanter elegit, non habentem maculam, neque rugam; facta est ibi per prævaricationem decalogi, & transgressionem Evangelicæ legis, & fidei catholicæ, nimium indecora. Prætermissis etenim Sanctorum Patrum institutionibus sacris, & Canonum veneranda censura, in collationibus sacrorum ordinum, & beneficiorum, nulla servatur distinctio temporum, & ætatum. Nam si Simoniaca labes apud promoventes pro promovendis, vel laicalis potentia interveniat, datur hoc petentibus indistincte. Nonnulli vero ad Prælationes pariter, ac alia beneficia Ecclesiastica, eorundem adhuc personis viventibus, se illicite promoveri procurant. Hujusmodi Prælationibus, Personalibus, seu Beneficiis tam enormiter aquisitis damnabiliter incubantes, detestandis potius inserviendo ritibus super iis, in quibus norma servanda est Apostolicæ dignitatis, quam approbatis æquitate Canonica moribus adhærendo. Laici insuper uxorati suis uxoribus viventibus de facto superinducentes alias, eis temere præsumunt, se nefario contubernio commiscere. Alii in probibitis consanguinitatis, & affinitatum gradibus illicite matrimonia contrahunt. Alii etiam ex ipsis, dum excessus in Ecclesias, & alia loca religiosa, eorumque personas ab eis multiformiter, & irreverenter commissi impune pertranseunt, facilius ad graviores reatus, vel similes prolabuntur, nunc incendiorum, & disfractionum dispendia, nunc direptionum, & invasionum diversos, & sacrilegos ausus in personas, & loca prædicta committere, & alia quam plura in Ecclesiasticæ libertatis depressionem, & ordinis clericalis despectum inferre gravamina præsumendo. Et cum per hujusmodi, & aliorum quam plurium excessuum præsumtionem, pestiferæ Ecclesiæ, religiosæ, seculariesve personæ, tanquam lepræ respersæ contagio factæ sint, per excommunicationis sententias diversas, quas pro iis excessibus in millibus frequenter incurrere dignoscuntur, a gremio Ecclesiæ alienæ, tanquam parvuli, & imbecilles in fide, non habentes, qui panem frangant eis doctrinæ cœlestis, vel gravia vulnera curet ipsorum, in via deficiunt, suisque incuratis vulneribus pereunt, sauciati in prædictis sententiis, & irregularitatibus, absolutionis, & dispensationis beneficio non obtento, decedendo: præsertim, cum propter interstitia magna locorum, & viarum, alios aliis etiam incommodis paupertatis, & senii probibentibus, pro suæ reconciliationis, & dispensationis Apostolicæ gratia, suorumque medela vulnerum, ad gremium nequeunt maternæ recurrere pietatis. Quia igitur ex imposito nobis Apostolatus officio, sollicitudine quadam urgemur, ut inter cætera, quæ circa Dominici gregis curam nostræ vigilantiæ imminent in Divini Numinis cultu, religionis christianæ augmenta, & lucra quæramus potissime animarum: attendentes, quod secundum veritatis Evangelicæ dogma, sanis minime opus est medico, sed male habentibus: de tua circumspectione confisi, Fraternitati tuæ præsentium authoritate committimus, ut hac vice corrigas, emendes, & reformes hæc omnia in regno, & lo-

sis prælictis, &c. Quem ad extremum inſtruit authoritate, qua cenſuris policitims ſolvat, riteque expiet. Datum XIV. Kal. Decembris, anno I., qui eſt 1303.

SERBL. Præter ſolicitudinem, ac curam paſtoralem in *Serbliam*, *Raſſiamque* velut propriam, conſuetamque zeli Romanorum Pontificum arenam, produnt hæc inſuper corruptum, afflictum, triſtemque regni noſtri ſtatum. At ſolius Helenæ Reginæ matris conjunctionem cum Sede Romana *dilectæ filiæ* titulus, quo afficitur, confirmat: quam etiam anno proximo in Apoſtolicam clientelam ſuscepit Papa. Non eadem Milutini Uroſii, ac Stephani Regum conditio fuit, nec idem Pontificis de eisdem ſenſus: imo Uroſius, ob illegales, quibus innexus fuit nuptias, tacito nomine perſtrictus videtur, reprehenſaque ſunt, quæ per Serbliam ejus oſcitantia invaluerant vitia, exceſſusque: ut adeo vix ullum hinc ejus conjunctionis argumentum duci poſſit.

BULG. Fuerit dubia adhuc, ac vacillans Uroſii Milutini cum Romana Sede conjunctio, communioque. At & is demum monitis Pontificum, piæ matris hortatibus, & Divino ceſſit inſtinctui, animumque tandem ad profitendam cum Romana Eccleſia unionem applicuit. Teſtis mihi in hanc rem eſt Benedicti ejusdem epiſtola (A), quam ad Milutinum anno ſequente 1304. perſcripſit: *Magnifico principi Uroſio, Regi Serviæ ad unitatem matris Eccleſiæ ſolicite properare. Romana mater Eccleſia ſalutem quærens jugiter filiorum, dolet ab intimis, cum eorum quempiam conſpicit a ſuo gremio deviare, ipſosque ſtudet ad viam reducere veritatis. Gaudemus quidem in Domino, quod ſicut fide dignorum relatione didicimus, & alias evidentibus dicitur apparere argumentis: licet tu hactenus, ac Barones, & populus regni tui, ab ipſius Eccleſiæ obedientia recedentes, via lucis dimiſſa, diu per ſemitam ambulaveritis tenebrarum* (B): *nunc tamen Tu inſpiratione Divina ad iter aſpiras redire ſalutis, ejusdem videlicet Eccleſiæ unitatem. Ex quo nos hujusmodi pium tuum propoſitum Tibi divinitus inſpiratum, in Domino commendantes, ac referentes exinde laudes, & gratias Creatori: ſperantes quoque, quod iidem Barones, & populus tuo exemplo laudabili, relictis tenebris, viam veritatis agnoſcent: Magnificentiam tuam rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus inſpirationem hujusmodi recognoſcens ab illo, qui omnes ſalvare cupit, & neminem vult perire, ad unitatem properare ſtudeas, absque damnoſæ moræ diſpendio, fidei orthodoxæ, per quam mortis æternæ vitatur interitus, & ad felicitatis perpetuæ gloriam pervenitur, ſpem plenam, & fiduciam habiturus, quod Te in fidei conſtantia, & ejusdem Eccleſiæ obedientia perſiſtente, Apoſtolica Sedes Te, tanquam filium prædilectum, ſinceræ dilectionis brachiis amplectetur, atque ſtudiis efficacibus, ac promtis operibus proſequetur, quando tui ho-*

V. Milutinus Uroſius II. Catholicæ religioni animum applicat, Pontifice Benedicto X. an. 1304.

(A) Benedicti X. ep. 127. anno 1304. (B) Prælatorum fides nondum ſuſpecta fuiſſe videtur.

honoris, & commodi conſpicere viderit incrementum. Datum Laterani x. Kal. Januarii, anno I. Qui de pio Milutini propoſito Benedictum edocuit, idem procul dubio de veterana jam Stephani cum Eccleſia concordia eundem certiorem reddidit, ut adeo hac parte cura Pontifex optimus levatus ſit. Inchoatum cum Milutino optatæ unionis negotium Benedicti Papæ mors properata intercepit, & vacans ad annum usque 1305. Sedes, quo Clemens V. in Galliis degens die 5. Junii eſt electus, longius diſtulit. Cujus, cum Romam ex Francia adventus fruſtra expectaretur, anno demum 1308. Rex Milutinus *Marcum Lukani*, & *Triphonem Michaelis* in Franciam deſtinavit ad præſtandam Summo Eccleſiæ capiti obedientiam filialem, & fidei ſuæ unitatem teſtandam, expoſcendosque viros doctrina, ac pietate conſpicuos, qui ſubditos populos fide catholica inſtruant plenius, informentque animos: & demum Regi vexillum S. Petri a Sede Apoſtolica efflagitent, quod adverſum Turcos, chriſtiani nominis hoſtes, qui Anatoliam jam pene oppreſſerant, neque a finibus Thraciæ rapinas abſtinebant, efferret (A).

Clementi V. per legatos obedientiam defert: vexillum, & alia expetit per literas.

SERBL. Adiviſſe Uroſii Milutini legatos ad Clementem ſalutandum, eique Regis nomine, tanquam Eccleſiæ capiti, delata obedientia expoſuiſſe zelum, deſideriumque, quo tenebatur uniendi cum Eccleſia Romana regni univerſi; & alia præterea legationis capita depromſiſſe invenio. Sed Scriptores Latini cavillantur hanc Regis legationem ad Papam, nec ſincero fidei, & unionis affectu, ſed ſimulato hæc acta eſſe pronunciant, metuque belli, quod Carolus Valeſius, Catharinæ Conſtantinopolitanæ maritus, Venetis jam fœdere junctus moliebatur adverſus Imperatorem Andronicum II., quodque Clemens ardentiſſimis ſtudiis promotum ibat, excluſo jam fidelium communione Andronico, & cruce adverſus ipſum indicta.

Ea legatio non recte ſugillatur velut ſimulata, aut metu extorta.

BULG. Et id quidem Scriptores illi ex effectu metiuntur, ac præſumtione quadam, ſuſpicioneque potius, quam certis argumentis adducti. Nos legationem eandem meliore fundamento, non metui Regis, ſed Divino inſtinctui, qui inde a Benedicti X. temporibus Regis animum urgebat, adſcribimus. Ut enim non ignoraverit Rex Uroſius, quæ a Carolo Valeſio prenſabantur, pro Conſtantinopoli vindicanda, fœdera, &, quæ a Pontifice adverſus Andronicum procuſa ſunt fulmina; non potuit tamen fœderatorum iſtorum metus, quantus fingitur, fuiſſe: nam & probe noverat, non ſe, ſed Andronici imperium iis fœderibus appeti: & conjunctæ etiam Pontificis, ac Venetorum cum Carolo vires, minores erant vel ſolis Regiis; nec ignorabat Rex ob

(A) Paulus Jolincius ex MS. affirmat, Milutinum ſæpe Andronico copias auxiliares adverſus Turcos in Anatoliam ſubmiſiſſe ſub ductu Novaki Græco ſtreki.

ob occupatam a Venetis jam menſe Januario Ferrariam juris Pontificii urbem, inter Clementem, ac Venetorum rempublicam diſſidia gliſcere, ni, occuratur in bellum apertum eruptura: certus demum erat, Carolum Valeſium, imperii orientalis deſiderio, avidiorem eſſe fœderis ſecum conſtituendi, quam, ut opus ſibi foret, neſcio, quibus circuitionibus uti, & legatione ad Papam, obedientiæ delatione, ac ſimulatione religionis ſacrilega, Caroli amicitiam quærere, & aucupari.

VI. Legatio, & fœdus Uroſii cum Carolo Valeſio.

SERBL. Et vero experti id ſunt legati Uroſii, poſtquam defuncti officio apud Clementem, ad Abbatiam Lyſenſem prope Melunum ſitam ad Carolum tranſiere. Ibi enim poſt mutuæ ſalutationis officia, celeritate incredibili tractatum fœderis ſolemnem cum Carolo die 27. Maji concluſere. In iis tabulis Carolus inſcripſiſſe ſe primum fertur *Imperatorem*: Uroſius vero, ut ſemper alias *Rex Dalmatiæ, Croatiæ, Dioclïæ, Serviæ, Raſſiæ, ac totius maritimæ* adſcriptus legitur. Tractatui teſtes adfuere Ludovicus Franciæ Comes d'Eureux, ejus frater d'Herpin, d'Erquery, & Joannes de Grez, Cancellario magiſtro Guilielmo de Perche. Convenit autem, ut ad recuperandum Conſtantinopoleos imperium, Rex Carolo, ſuo cum exercitu, ſuisque ſtipendiis aſſiſtat, atque, ſi Carolus in perſona bello adeſſet, in perſona pariter Uroſius adeſſe teneatur, niſi legitima excuſet cauſa. Regi autem viciſſim pollicetur Carolus, ſe viribus omnibus adverſus quosvis inimicos militaturum, uno duntaxat Philippo, Tarenti principe, excepto, qui partem aliquam Albaniæ Uroſii ſtatibus confinem tenebat. Cedit adhæc Uroſio Imperator certos urbium, ditionumque tractus, quos ille Orientis imperio detraxerat, ac poſſeſſione pacifica obtinebat. Ex tractatu eodem conſtat, legatos Regis, Carolo, pro filio obtuliſſe filiam unicam Uroſii, Zarizam dictam, quam is de conjuge Eliſabetha ſuſceperat, & pollicitos quoque fuiſſe Regem, deſerta Græcorum religione, obedientiæ Romani Pontificis, quam jam profeſſus eſſet, adhæſurum: nuptiarum oblationem nec abnuit, nec acceptavit Carolus, ſed promiſit duntaxat, miſſurum ſe ad Regem legatos cum poteſtate tractandi de matrimonii oblati conditionibus, concludendique; ſic tamen, ut non ſuccedente etiam conjugio, tractatus fœderis nihilominus in ſuo robore ſubſiſtat. His in hunc modum terminatis, Carolus continuo legatos ſuos Magiſtrum Petrum cognomento *divitem* Subdecanum de *Carnotes*, & Joannem de *Montliu*, Canonicum de *Gaſtinois*, Uroſii legatis adjunctos, in Serviam dimiſit. Quo cum proſpere appuliſſent, Rex tractatum cum Carolo conditum, ratum habuit, ſubſcripſitque die XV. Junii, anno 1308. (A). Nulla tunc mentio oblatæ, meditatæque affinitatis injecta, aut ſcripto comprehenſa, ſuſpicionem mihi injicit, de

Caroli legatio ad Milutinum Uroſium.

Za-

(A) Recueil des Chartes p. 62. Hiſt. Franco-Byzantina, L. 7.

Zariza præmatura morte erepta. Fœdus autem, quod Urosius adversus socerum Andronicum quæsivit, pepigitque cum Carolo, adscribo non alteri, quam Irenes socrus artibus, ac impulsui, quæ divisa a thoro Andronici Imperatoris per ea tempora degebat Thessalonicæ, & acerba odia cum marito, teste Gregora (A), exercebat.

BULG. Sub idem fere tempus, quo Franci, aderant etiam Legati Pontificii, Aegidius Patriarcha Gradensis cum viris religiosis ex ordine SS. Dominici, & Franciſci, qui literas Clementis V. Regi obtulere (B). *Magnifico viro Urosio, Regi Rasiæ Illustri, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, qui, ubi vult, spirans, sic noviſſime his diebus oculos tuæ mentis aperuit radio novæ lucis, ut excussa inde tenebrarum caligine, IN VOTIS HABEAS SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ matri fidelium, & magistræ IN FIDEI VERITATE, & UNITATE CONJUNGI. Multum quippe teneris Deo princeps clariſſime, qui sic Te oculo pietatis suæ respiciens, AD COGNITIONEM, & CLARITATEM VERÆ FIDEI CLEMENTER ADDUXIT: ex quo magnitudo tua promovebitur ad salutem, & solium tuum stabili vallabitur firmitate. Multum etiam lætari debet mater Ecclesia, & nos profecto multiplici alacritate perfundimur, quod diebus nostris tam nobilis ovis, tantusque populus ad ovile reducatur Dominicum, SCHISMATE, ALIISQUE PULSIS ERRORIBUS, Christi corporis, quod Ecclesia est, membrum efficiantur, & vivant. Sane, Sereniſſime Princeps! TU PRIDEM SANCTI SPIRITUS GRATIA ILLUSTRATUS, viros providos, & discretos MARCUM LUKANI, & TRIPHONEM MICHAELIS magnificentiæ tuæ nuncios CUM LITERIS REGIIS ad nostram præsentiam destinasti, QUI HUJUSMODI TUI PROPOSITI LAUDABILE DESIDERIUM coram nobis, & Fratribus nostris prudenter, & fideliter exponentes, a nobis inter alia ſupplici-*

Legatio Clementis V. ad Urosium II. & responsoria.

ter postularunt: UT TE TANQUAM DEVOTUM FILIUM AD GREMIUM DICTÆ ECCLESIÆ, & SUB PROTECTIONEM IPSIUS BENIGNE RECIPERE DIGNAREMUR: Tibique aliquot viros idoneos Apostolicæ Sedis nuncios mitteremus, per quos Tu, & illi de regno tuo in fide catholica, & via mandatorum Domini possitis salubriter informari. Unde nos, qui Christi Vicarius, & Petri Apostolorum Principis effecti, disponente Domino, licet immeriti Successores, ad ea præcipue nostræ curæ prorogamus affectum, ac diligenti studio, & studiosa diligentia seduli vigilamus, ut errantes ad viam veritatis adducere, omnesque lucri facere Deo, sua nobis gratia suffragante, possimus: HABITA

Qui petiit recipi in filium, & gremium, ac protectionem Ecclesiæ.

(A) Gregoras L. 7. (B) Ex L. 3. epist. Clementis V. n. 21. data Pictavi Kal. Aprilis, anno III., qui est Christi 1308.

SUPER HIS, QUÆ IIDEM TUI POSTULARUNT NUNCII, CUM PRÆDICTIS FRATRIBUS NOSTRIS DISCUSSIONE SOLEMNI, de ipſorum conſilio pie decrevimus, hujusmodi votis tuis libenter annuere, ipſasque petitiones tuas, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter exaudire, ſi quod ore profers, corde credis, & quod corde credis, opere compleas evidenter. Tibi nihilominus tenore præſentium declarantes, quod Tibi, ac cæteris ſub tua ditione degentibus faciendum incumbit, ut ad ſinum ejusdem Eccleſiæ ſano fretus conſilio venias reverenter. Quæ, ſi inſpirante Domino feceris, ipſa Eccleſia mater piiſſima Filio redeunti ſinum largiſſimæ pietatis aperiens, in tuos læta properabit amplexus. Fides autem Catholica, quam Te, Clerum, ac populum regni tui profiteri, & a nobis recipi, & acceptari volumus, hæc eſt: CREDIMUS IN SANCTAM TRINITATEM, PATREM, FILIUM, & SPIRITUM SANCTUM, & reliqua usque ad verba: *QUAM IN QUIBUSCUNQUE ALIIS SEMPER SALVA* (A).

Imperata fidei Confeſſio.

SERBL. Eſt ea fidei Catholicæ confeſſio, quam Clemens IV. olim expoſuit, atque ad Michaelem Palæologum, Orientis Imperatorem, transmiſerat: &, quam ipſam Nicolaus quoque IV. huic eidem Uroſio dudum antea (B) propoſuerat. Subſtititne vero in ea ſola Pontifex, aut ultro etiam progreſſus eſt?

BULG Profeſſioni fidei alia inſuper quædam ſubnexuit, & a Rege impleri voluit, quæ tu ipſis Pontificiis verbis accipe: Quæ vero, proſequitur Clemens V., *circa reditum tuum ad unionem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Schisma eminus profugandum exigimus, inferius denotantur: Inprimis, quod Symbolum Nicæni Concilii: CREDO IN UNUM DEUM, in Eccleſiis regni tui, & terrarum tibi ſubjectarum cantetur publice, dum miſſarum ſolemnia celebrantur; & ſic etiam doceatur populus: ET IN SPIRITUM SANCTUM DOMINUM, & VIVIFICANTEM, QUI EX PATRE, & FILIO PROCEDIT. Et quod Tu, Prælati, Clerus, Calogeri, & populus dicti regni tui profiteamini, Romanum Pontificem eſſe Chriſti Vicarium, & beati Petri Apoſtoli ſucceſſorem: eumque habere poteſtatem ligandi, & ſolvendi, quam idem Apoſtolus noſcitur habuiſſe. Ac ipſam etiam Romanam Eccleſiam ſuper omnes obtinere Primatum, ac etiam Principatum. Quodque Tu pro Te, & populo tuo obedientiam, & reverentiam eidem promittas Eccleſiæ, ac Prælati ejusdem ipſa curent omni Schismate primitus abjurato. Et, quod Archi-Epiſcopus, Epiſcopi, Abbates, & Archimandritæ regni tui per electionem canonicam eligantur, ſive etiam poſtulentur: ita, quod inferiores Prælati ſuarum electionum confirmationes a Superioribus ſuis recipiant: Epiſcopi vero a Metropolitanis ſuis confirmationem,*

Poſtulata ulteriora Clementis.

&

(A) Vide plenum contextum Profeſſionis ejusdem ad finem. (B) Hoc eſt, anno 1288. ut præcedente colloquio dictum eſt.

& consecrationem: METROPOLITANI autem HÆC, & PALLIUM, in quo Pontificalis plenitudo designatur officii: sine præjudicio Constantinopolitanæ Sedis, & Patriarcharum, qui erunt ibidem, gratiam, & communicationem Apostolicæ Sedis habentium, si forsan regnum tuum, vel aliqua ejus pars de Patriarchatu dictæ Sedis Constantinopolitanæ existat, suscipiant ab Apostolica Sede prædicta: Regali potestate, & qualibet alia Laicali, nihil sibi in his quomodolibet vindicante. Latinorum Ecclesias in regno tuo positas, per Te, vel alium occupatas, dimittas libere, & ab aliis facias continuo dimitti. Latinos in honore habeas, & præcipue Sacerdotes. Eorum a Te, & hominibus regni tui non declinentur Missæ, neque Sacrificia, sed pro loco, & tempore cum omni reverentia audiantur. Verum, ut tantæ salutis opus, ac tanti boni felix auspicium, optatum faciente Domino sortiatur effectum, ecce venerabilem Fratrem nostrum Aegidium, Patriarcham Gradensem, & dilectos filios Lapum Prædicatorum, & Artanisium minorum Fratrum, ordinum Procuratores in Romana Curia generales, latores præsentium, viros utique vita, & religione conspicuos, honestate decoros, Sacræ Scripturæ scientia præditos, ac nobis, & dictis Fratribus nostris acceptos, pro his exequendis, ad tuam magnificentiam, tanquam salutis, & pacis angelos, juxta tuæ petitionis instantiam, destinamus, quorum salutaribus eruditionibus, favente illo, in cujus manu Regum corda existunt, ipsum Dominum Jesum Christum perfecte cognoscas, & suum glorioſum nomen, catholicæ fidei observatione, colere non postpones: ac status tuus supra firmam petram Ecclesiæ Apostolicæ solidatus, spiritualibus, & temporalibus proficiet incrementis. Tuque demum coronam perennis gloriæ consequeris. Rogamus itaque Serenitatem tuam Regiam, monemus, & hortamur, attente per aspersionem pretiosissimi sanguinis Jesu Christi obsecrantes, quatenus de Tua, Tuique populi salute cogitans, præfatos nostros Nuncios, propter hoc ad tuam Excellentiam accedentes, ob reverentiam Apostolicæ Sedis, & nostram, benigne recipias, & honorificentia debita, ac condigna pertractes: ac sic attente præbeas ipsorum salutaribus monitis aures tuas; ut verba, quæ ex parte tua prædicti tui retulerunt nuncii, per exhibitionem operis compleantur, & spes, quam de tua laudabili intentione concepimus, fructus nobis, & ipsi Ecclesiæ adferat concupitos: Tuque præter Divinæ retributionis præmium, nostram, & dictæ Sedis gratiam uberius consequi merearis. Datum Pictavi Kal. Aprilis, Anno III.

SERBL. Ne, quæ legationi conjuncta sunt, disjungamus, si quæ insuper alia mandata, decretave sunt arbitrio Pontificis, tuto huc infer singula, ut uno sub conspectu versentur omnia.

BULG. Commisit aliis literis Clemens V. legatis (A), provinciam recipiendi Regis in gremium Romanæ Ecclesiæ; & post perfecta, expletaque omnia, eundem in protectionem Apostolicam suscipi, &

(A) Uti narratur in regestis Vaticanis Rom. Pontificum.

& ſacro vexillo donari juſſit, quo in expeditionibus adverſus infideles, athleta Chriſti uteretur. Indulſit demum, ut usque ad ulteriorem ſedis Apoſtolicæ diſpoſitionem legati permitterent in Miſſarum ſolemniis Dominicum corpus in pane fermentato confici: epiſtolæ verba ſunt: *Diſcretioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad præſentiam dicti Regis vos perſonaliter conferentes, & habentes præ oculis ſolum Deum, ipſum regem, & perſonas alias ſupradictas ad unitatem veræ fidei, & communionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſalutaribus inducatis monitis, & inductos, ut præmittitur, recipiatis eosdem. Quodſi, annuente Deo, TAM CIRCA CATHOLICAM FIDEM, QUAM CIRCA PRAEMISSA ALIA, quæ fieri volumus per regem ipſum, & alios, de quibus ſupra ſit mentio, veraciter compleantur; authoritate noſtra REGEM EUNDEM, ET REGNUM SUB PROTECTIONE DICTAE SEDIS APOSTOLICAE RECIPIATIS, ET NOSTRA, ET VEXILLUM ab eo ex devotione petitum contra infideles illarum partium, ſine alterius præjudicio, usque ad beneplacitum Apoſtolicæ ſedis tradatis eidem. Ipſo Rege, & aliis de dicto regno, qui propter ſchisma, & non recognoſcendo Primatum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, excommunicationis vinculo ſunt ligati primitus abſolutis* (et interjectis nonnullis, quibus, aliis Rasciorum petitis annuiturum ſe pollicetur, cum certiora de iis exploraverit) ſubdit: *Quod autem in fermentato pane, per ſacerdotes non latinos regni prædicti rite ordinatos, in Miſſarum ſolemniis corpus conficiatur Dominicum, quousque aliud per Apoſtolicam ſedem ordinatum fuerit; cum præmiſſa perfecta exſtiterint; &, quod idem Rex intereſſe poſſit miſſis hujusmodi, toleramus.*

Inſtructio Legatorum, & reſponſa ad alia Regis petita.

SERBL. Hæc tot, tantaque Regis Uroſii, ac Clementis Papæ molimina, quem denique exitum ſortita ſunt? quam vereor, ne res ex voto non ceſſerit.

VII Legatio Caroli rata: Clementis irrita anno 1308.

BULG. Foederis tabulas, tractatumque cum legatis Caroli Uroſius Rex die XV Julii abſolvit, ratum habuit, ſubſcripſitque. At Pontificii legati cum honore quidem, ac reverentia ab Uroſio accepti pertractatique, optato tamen ſucceſſu fruſtrati, fine haud obtento, Serblia exceſſerunt.

Inquiritur in cauſam fruſtratæ legationis Pontificiæ.

SERBL. Sincero affectu optaſſe, quæſiviſſeque Uroſium ſolemnem cum Eccleſia Romana unionem, ex allatis a te antea rationum momentis perſvaſus ſum. Nescio vero, quid novæ cauſæ occurrerit, quidve impedimenti ſe objecerit: quin Regem inter, ac Romanam ſedem unio ritu, ac more ſolemni denique coalesceret? Vereor ne varias quisque cauſas ex ingenio ſuo commentus ſit, parum Regi, regnoque honoris allaturas, & finiſtrum eventum alius ad metum, nescio quem, alii ad diſſipatum, quod imminebat periculum, verbo, cuncti ad ſimulationem ſacrilegam traxerint.

BULG.

BULG. Bernardus, poſtquam retulit Uroſium legatos Apoſtolicos magna reverentia proſequutum, author eſt, pia vota in opus non perduxiſſe, ne matrem, fratremque in ſe commoveret: en verba: *Anno* inquit, *MCCCVIII mittuntur nuncii, & legati a Papa Frater Aegydius de ordine Prædicatorum Patriarcha Gradenſis, & Procuratores ordinum Fratrum Prædicatorum, & Minorum ad Regem Rasciæ, qui prius ad Papam ſuos nuncios deſtinarat, immuens, quod volebat fidei, & obedientiæ Romanæ Eccleſiæ ſe ſubmittere, & ſubeſſe, & regnum ſuum pertrahere ad hoc ipſum. Fueruntque præfati nuncii Papæ recepti a Rege debito cum honore. Finis tamen intentus nullus fuit, aut modicus ſubſequutus: quia ipſe Matris ſuæ, & Fratris metu retractus, penitus nihil egit.* Gratiæ viro hiſtorico, qui nobis hoc adhuc anno, & Matrem Helenam, & fratrem Stephanum in vivis exhibet; ſed cauſam, in quam ſiniſtrum legationis ſucceſſum transfert, probare nequeo: illam nec apte, nec fundamento idoneo excogitatam a Bernardo, notiſſima *Matris Reginæ Helenæ* pietas, ac zelus pro Romana Eccleſia, me tacente ſatis convellunt.

Ea non recte repetitur e metu Matris fratrisque.

SERBL. Aliam, ac fortaſſe firmiorem obtrudit nobis Ptolomæus Lucenſis (A) ita in Clemente diherens: *Miſit nuncios ad Regem Rasciæ, qui ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ promiſerat ſe venturum, quia Veneti cum Carolo ſine terra (B) concordaverant imperium accipere Conſtantinopolitanum: videns ergo tractatus non procedere, Papales nuncios vacuos remiſit.*

Sed nec a depulſo belli periculo.

BULG. Atqui nec hæc cauſa locum habet: nam eodem prope temporis articulo, quo tractatum Francicum ratum habuit, adfuere & legati Pontificii: nondum ergo noſſe potuit, tractatus in vanum abituros. Quid, quod & metus foederatorum Uroſio non recte aſſingitur, qui probe noverat, iis foederibus non ſe, ſuaque, ſed Andronici imperium in prædam deſignari: qui & Carolum ſine terra, & Venetos potentia longe præcellebat, & prius, quam legatos ad Papam deſtinaſſet, optime ſciebat Venetos ob Ferrariæ inuaſionem, quæ menſe Januario evenit, indignationem Pontificis incurriſſe. Erat præterea Regi perſpectum, Carolum Valeſium, cupiditate Conſtantinopoleos abreptum, avidiorem, pronioremque ad foedus ſecum pangendum; quam, ut neceſſe habuerit, nescio, quibus ambagibus uti antea, fidem, & obedientiam Eccleſiæ ſimulare, & gratiam Pontificis fictione ſacri-

(A) Hiſt. Eccleſ. L. 24. c. 39 (B) Sic dictus: quia cum eſſet filius, frater, Patruelis, & Pater Regum Franciæ, ac tempore aliquo haberetur certus regni hæres: ad hæc imperium Germanicum decreto Bonifacii VIII: Aragoniam donatione Martini IV. orientis imperium jure uxorio ipſius foret, horum tamen omnium nihil poſſedit.

lega, pudendaque mercari. Cæterum ſincerum, obſirmatumque Uroſii animum ad concordiam cum Eccleſia Romana conſtabiliendam, id etiam palam demonſtrat, quod, concluſo jam per legatos foedere, metu proinde omni, ſi quis unquam fuit, periculoque penitus diſſipato, ultro, volensque, arctiore affinitatis vinculo Carolo jungi deſideraverit, profeſſusque ſit, ſe Eccleſiæ Romanæ unionem complecti.

SERBL. Dilucide, &, ut ajunt, ad oculum demonſtraſti, nec metu inductum fuiſſe Uroſium ad quærendam fidei concordiam, ſpondendamque ſummo Pontifici obedientiam: nec, quia belli metus diſſipatus fuerat, legatos clementis, rebus imperfectis a ſe dimiſiſſe. Quænam igitur vera, germanaque cauſa fuit, quod ceptum tanto animi ardore grande illud ſolemnis unionis negotium, tanta ſit nihilominus celeritate interruptum, aut verius abruptum?

Detegitur vera cauſa, obquam ſolemnis unio non coaluit.

BULG. Ut paucis, candore, ac libertate, qua uti ſoleo, mentem tibi meam aperiam, nimia viſa erant Pontificis poſtulata, & limitem, modumque anteceſſorum prætergreſſa. Imperabantur multa præter fidem; &, quæ principis catholici officio non neceſſario incumbunt: diſciplina vetus, cujus gens veſtra tenaciſſima eſt, innovabatur. Habebat præ manibus Uroſius fidei formulam, olim a Clemente IV. Michaeli Palæologo præſcriptam, atque a Nicolao IV. anno 1288. ad ſe transmiſſam. Ad hanc fidei confeſſionem, velut plenam, perfectamque Catholici principis regulam, animum comparaverat, adjeceratque Rex poſt longam meditationem. Hic, ſi ſubſtitiſſet Pontifex cum principe initiante, in ſalvo futura erant omnia, & progreſſu temporum, fide confirmata, validasque jam radices agente, res quoque diſciplinæ pronius transformari poterant. At Clemens in ipſo ſtatim ingreſſu, complura ad integritatem fidei Catholicæ minus facientia, & duriora quædam, a moribus, aut etiam uſu receptis canonibus aliena præſcribebat, & quædam etiam, quæ jus regium limitare viſa ſunt. Paulo durius, & ab Eccleſiarum diuturna conſvetudine alienum videbatur, ſymbolum cum additione *Filioque* in Eccleſiis decantare: diſplicebat quoque, ut electiones Prælatorum ſolæ, ac ubique locum obtineant, nulla etiam Regali poteſtate in his ſibi quidquam vendicante: cum enim in vicinis, remotisque regnis Catholicorum, nominationem, collationemque Regum obtinere, atque in morem abiiſſe videret, credebat eo decreto Regiis ſuis juribus Patronatus vim afferri. Arduum quoque videbatur, & abhorrens a canonibus, ut conſecrationem Metropolitani Romæ quærerent, quam Vigilius Papa, & poſt eum Nicolaus I. Epiſcoporum concilio detulerunt, Pallii duntaxat jure ſibi reſervato (A). Acerba eti-

(A) Vide novellam 131 Juſtiniani I, Auguſti Coll. II. relatam: ubi id *definitum a ſumme Papa Vigilio* affirmat. Item Nicolai I. Reſponſa ad Michaelem Bul-

etiam visa est *tolerantia mera* panis fermentati in Missæ sacrificio, quem tot retro sæculorum usus consecravit: & acerbior adhuc ad arbitrium, placitumque Pontificum reservata ejusdem abrogatio. Denique offendit quoque Regis animum dilatus petitionibus per legatos factis assensus Pontificius, & vexilli sacri parca nimium, restrictaque manu indulta traditio. Hæc ergo, nec aliud quid, solemni unioni tunc impedimentum grave sane, ac multiplex objecere.

SERBL. At, quem tu in hanc sententiam testem profers? scriptores cæteri ad simulationem, & metum omnia retulere.

BULG. Nec testis fortasse, qui idem mecum senserit, deesset, si per infinita historiæ Ecclesiasticæ volumina discurrere mihi vacaret, aut operæ pretium videretur. Sed quod in aperto est; teste eget nullo: & causa mali successus non recte ad dissipatum periculi metum, & simulationem tracta est, quam multo certius nimia Clementis, & minus opportuna postulata ultro ingerunt. A quibus Papæ imperatis, quamquam non fidei unitatem, integritatemve, sed disciplinam potius, quæ in Ecclesiis varia esse solet, respicientibus, cum nec Legati Apostolici vel latum ungvem decederent; nec Rex ad subscribendum tot novis, &, ut videbatur, acerbis conditionibus adduci posset, censeretque debito, officioque Catholici principis a se ex æquo satisfactum, admissa, susceptaque fidei confessione, & cunctis, quæ ad dogma pertinebant, receptis, delata præterea sanctæ sedi, ac Pontifici, tanquam summo Ecclesiæ capiti obedientia in consessu ampliſſimo, conspectuque Purpuratorum Patrum; regno insuper Divi Petri, sanctæque sedis protectioni submisso, commendatoque; opinione citius solutus est cum legatis congressus, rebusque ad exitum, quem Papa optaverat, haud perductis, legati cum honore, quo decuit, dimissi sunt. Ex hoc igitur tempore Urosium Catholicis principibus fidenter adscribo, nec quid aliud præter solemnitates publicas unioni ejus cum sede Apostolica defuisse censeo. Quæ nisi ita sint, proh! quot, quantosque principes, quibus jurium, privilegiorum, aut consvetudinum cum Romana sede frequentia intercesserunt, interceduntque dissidia, ac controversiæ, catholicorum ex albo eademus.

Quo non obstante Urosius Catholicis adscribendus est.

SERBL.

Bulgariæ regem: qui c. 73 ait de Archi-Episcopo: *propter longitudinem itineris non jam huc consecrandus, qui electius est, veniat, sed hunc Episcopi, qui a defuncto Archi-Episcopo consecrati sunt, simul congregati constituant: sane interim in throno non sedentem, & præter corpus Christi non consecrantem, prius, quam pallium a sede Romana percipiat: sicut Galliarum, Germaniæ Archi-Episcopi &c.*

SERBL. At Romani Pontifices, abrupto posthac omni literarum commercio, Urosium regem, fratrem regem Stephanum, & filium hujus Uladislaum, Rasciosque universim omnes, in Schismaticorum numero habuerunt. Audi, quid Clementis V. legatus per Hungariam, Cardinalis Gentilis egerit (A). Is anno proxime secuto 1309. Ladislaum Transylvaniæ Vajvodam speciali anathemate feriit; primum ob detentam Hungariæ coronam, quam Carolo regi parabat imponere: deinde, quod filiam suam *Uladislao, Stephani regis filio*, connubio junxerit, quem ipse, nec auditum, nec convictum, fidenter *Schismaticum* pronunciavit. Nec satis, Posonii etiam in celebrata ad annum eundem Synodo, hoc in Serblianos invidiosum sane statutum condidit (B): *Ut nullus suæ legationi subjectus præsumat de cætero, hæretico Patareno, Gazaro Schismatico, vel alteri fidei christianæ contrario, maxime Ruthenis, BULGARIS, RASCIIS, Lithuanisve in errore manentibus, (qui, sicut fide dignorum testimonia præstantur, in diminutionem catholicæ fidei, opprobrium Jesu Christi, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est veræ fidei fundamentum, non solum Sacri Baptismi reiterant Sacramentum, verum etiam catholicæ Ecclesiæ salutifera Sacramenta damnabiliter contemnentes, habent despectui; fidei veritatem, in qua fidelibus datur salus, abnegant, & eis diversis modis, ac variis injuriam irrogare conantur) filiam, neptem, consanguineam suam connubio tradere, vel eas iis modis aliquo copulare.* Statuti causam hanc reddit: *quia constat, eas potius perverti, quam viros adducere ad fidem.* Ad extremum agentes oppositum, excommunicationis fulmine configit, & privat Ecclesiastica sepultura. Posonii, IV. Idus Novembris anno 1309. Sed, ut Gentilis Cardinalis in nonnullis recte egerit, in eo sane deceptus est, quod paucorum fanaticorum errores, & injurias in Sacramenta Latinorum, genti universæ adscripsit; quodque Transylvaniæ Vajvodam ob filiam nuptui traditam Uladislao, Stephani regis filio, fidelium communione excluserit. Sed hæc fortassis ille eo direxit, ut aspersо nota Schismatis Uladislao, ex Stephani V. Hungariæ regis filia nato, jura ejus, qualiacunque in Hungariam, fundamento religionis subverteret, & Carolo omni ex parte planiorem ad coronam Hungariæ viam sterneret.

VIII. Acta Gentilis legati in Serblos.

BULG. Nec multo mitior fuit Clemens ipse. Nam cum anno 1313. turbata rursum Hungaria per Matthæum Trenchinienſem, *Urosius*, ac *Stephanus* Reges fratres, ut recte clarissimus Annalium Hungariæ Scriptor conjecit (C), adjunctis sibi etiam paganorum auxiliis, Hungariam infestam haberent; lamentis Hungarorum bellis domesticis exhaustorum excitatus Pontifex, propositis indulgentiarum præmiis, fideles universos ad arma corripienda, & rei catholicæ defensionem exhor-

Item Clementis tabito Serblorum nomine.

(A) Chronicon Turoczii. (B) Concilia Hungariæ P. Caroli Péterffi. (C) P. Georgii Pray. T. 2. p. 11.

hortatus est anno Pontificatus IX. Kal. Febr. per literas: *cum, sicut ex parte* (A). Hucusque Clementis V. indignatio processit.

SERBL. At Joannis XXII., qui Clementi anno 1316. Successor datus est, iræ ultro provectæ sunt. Is enim perinde, ac antecessor, non æque de Urosio Rege informatus, ventilantibusque hanc ejus Schismatis famam Albaniæ cumprimis proceribus, seditionem eorum anno 1317. meditatam, coalitamque adversus legitimum Regem Urosium non modo non reprehendit, coercuitque, verum fovit etiam, atque promovit, velut in juratum Ecclesiæ hostem, qualem Albanitæ descripserant. Quæ Procerum molimina ubi tandem in apertum prorupere; Joannes, fidei tuendæ zelo abreptus, excitatis *Philippo Tarentino* principe, *Mladino Bosnæ* Bano, & *Carolo Hungarorum* Rege, colligatisque & invicem, & cum Albanitis, gravissimo bello *Urosium* involvit.

IX. Albanitæ obrepunt Joanni XXII.

BULG. Albanitæ, ut dudum prænotavimus, zelo sui Archi-Episcopi sub annum 1250. ad sinum, unionemque Romanæ Ecclesiæ maxima sui parte accesserant, Stephano Urosio I. ac Helena Francica piissima conjuge regnantibus, ac procul dubio pium operam navantibus. Et constanter hactenus in fide Romanæ Ecclesiæ, ac Regum Serbliæ obedientia perstiterant; sed anno 1317. compures ex regni Albaniæ, Rassiæque Baronibus, servitutem perosi, & rempublicam, nescio, quam novam meditati, clanculum armorum societatem coivere. Deliberatum erat, Milutini Urosii potestati Regiæ, seditionesque subducere, novamque rempublicam condere. Sed vires adhuc deerant, quibus grande opus ad scopum meditatum perducerent. Has, ut augeant, lamentabilibus literis oppressam in Serblia religionem catholicam Pontifici optimo describunt, odia regis Urosii in Latinos, eorumque Sacra ad sævitiem, & tyrannidem usque atris coloribus expingunt: propositum suum de jugo excutiendo, rumpendaque plena periculi cum Rege consuetudine aperiunt, consilia conferunt, auxilia, opemque efflagitant, verbo: Pontificem zeli plenum occupant, circumveniunt; pulcherrimaque catholicæ religionis ab oppressione defendendæ specie illusum in partes pertrahunt, adducuntque, ut suffragio etiam suo probaret eorum propositum, & ad clam habenda, aptoque tempore perducenda consilia impelleret, auxiliaque opportuna ex se, & catholicis principibus polliceretur, atque etiam procuraret.

Et prætextu religionis, seditionem in Regem Urosium moliuntur.

SERBL. Nescio, an vanæ prorsus fuerint Albanensium, & plurium Rasciæ procerum querelæ de sævitie Urosii Milutini, quas ad Summum Pontificem retulere. Quis enim molliorem fuisse credat in subjectos, qui in propriam progeniem, stirpemque desæviit. Exemplo sit *Stephanus* naturalis Urosii filius, quem Patris immitis animus

Sævities Urosio objecta.

(A) Raynaldus ad annum 1314.

patria primum expulit, atque, ut asylum apud Tartaros quæreret, adegit: reductumque spe meliore, ad extremum visu orbavit, & cum tenellis duobus filiolis in custodiam arctam Andronico II. socero tradidit. Et postquam frater, Stephanus rex, humanis excessit anno 1317. innoxium, & nihil tale metuentem, meritumve filium ejus *Uladislaum* interceptum, immitis sane patruus, in carcerem compegit, se superstite non egressurum (A).

Defenditur ab hac nota.

BULG. Non odio religionis hæc acta esse, in aperto est. Intestinorum motuum periculum seu verum, seu confictum, indeque metus exortus, utriusque principis infortunium acceleravit. Sed neque ex Urosii ingenio hæc processere: artibus, ac instinctu Simonidis, & seditionis accusatum, & fatum id subiisse Stephanum nothum defendunt complures, & in his Michas Madius scriptor coævus. Uladislaum, aut Reginæ ejusdem, aut Procerum, qui omnia jam regebant, suspiciones, cavillationesque oppressere, utque Constantino, cui plures favebant, thronus, successioque securior pararetur. Itaque a probro, & nota crudelitatis omnis eximunt scriptores Urosium, qui, curis humanis prope depositis, se totum Sanctitatis studio, piisque operibus devoverat. Ex his Orbinus, iis Urosii regis mores adumbravit coloribus, ut a quavis duriore indole, asperitateque alieniſſimum fuisse evincat: quare a placidissimo suo ingenio, comtisque moribus *Milutini* nomen sortitum prodit: addit deinde urbes Latinorum, Latinosque in deliciis, ac pretio habuisse; eorumque negotiatores protexisse, fovisse, blandissimeque pertractasse: incorruptam fuisse ejus justitiam, & sub extremos vitæ annos totum pietatis, ac misericordiæ operibus, placandoque Numini intentum vixisse. Quæ omnia, uti & *Sancti* nomen, quod populi universi calculo a morte statim promeruit; non eum fuisse *Urosium regem*, quem Albanitæ proceres invidiosissime in Curia Romana traduxerunt, plene comprobant, vindicantque ab omni in Romano-Catholicos odio, Sacrorum Latinorum contemtu, persecutionibus, ac tyrannide.

SERBL. Sed Pontifices Romani, cum uni tantum parti aurem præbent, humana & ipsi passi, circumventi a seditiosis, ac calumniatoribus, gravem denique in Regem optimum motum, fœdusque, abducti zelo immaturo religionis, conflarunt, promoveruntque. Profer jam, si tibi ad manum sunt secretas Joannis XXII. epistolas: eæ nos plura docebunt.

Acta Joannis XXII. in Urosium.

BULG. Ex secretis prior (B) sic habet: *Joannes* &c. *dilectis filiis, nobilibus viris Guilielmo Blenisie, Proto-Sebasto: Guilielmo Comiti, Paulo Ma-*

(A) MS. Servicum, Michas Madius, Orbinus, & alii. (B) Ex Secretis ordine 57. de Anno III. salutis 1318.

Materango, cæterisque Baronibus regni Albaniæ. Ex fide dignæ informationis assertione non absque paternæ compassionis affectu percepimus, quod vos sub gravi tyrannide illius regis perfidi Rasciæ nedum Schismatici, & religionis christianæ totaliter inimici, quin etiam omni humanitatis destituti fœdere, & ultra ferarum sevitiem efferato animo sævientis (A)*: ex cujusdam necessitatis indicto propter temporis corrupti malitiam inviti convivitis, firmo concepto proposito illius declinandi perfidiam quamprimum opportunitas arridebit, ne ab ipsius convictu mores perfidos contrahatis: tanquam viri catholici, & in orthodoxæ fidei veritate fundati, & Spiritu inspirati Dominico, dum favebit aura felicior, educturi libenter in publicum, quod ad tempus dissimulare cogimini, quodque latet de sinceritate vestræ fidei, & devetionis introrsum. Porro filii de tam laudando vestro proposito gratulamur, quod nimirum acceptum habemus in germine, & profecto fiet acceptius, dum suo tempore ad fructum pervenerit consummatum. Perstate igitur, & spiritum nolitis exstinguere, & tam laudandum vestrum in hac parte conceptum, quam celerius tute, ac opportune poteritis, in partum viriliter producere studeatis. Nec vos ipsius Schismatici malignitas terreat, non quævis turbatio in partem alteram claudicare compellat: sed spe sub Omnipotentis fiducia, de nostra, & Romanæ matris Ecclesiæ, quæ caput est omnium fidelium, & magistra, & quæ de filiorum salute lætatur, favorabili persecutione concepta, ipsius spei fortitudine roborati, ac confortati, in virtutis Divinæ potentia robur spiritus assumatis: &, quod nunc sub dissimulatione vos transire expedit, suo loco, ac tempore nullatenus omittatis implere: beatam spem, ac magni Dei, & Apostolicæ Sedis auxilium, quod vobis, ut speramus, aderit de propinquo, fiducialiter expectantes*, &c. Albanos confirmat in fide, spe auxilio. Quibus subjungit, eos tam egregio facinore summam apud Deum, hominesque gloriam adepturos: & quid porro facto opus sit, ex *Circensi Episcopo* audituros. Datum Avenione XV. Kal. Julii, anno III., qui est salutis 1318. Nec satis, aliis præterea literis (B) excitavit ad constantiam in fide Mentulum Musacium, Comitem Cliffaniæ; Andream Musacium, regni Albaniæ Mareschallum: & Theodorum Musacium, Proto-Sebastum: atque in suscepto consilio depellendi impii Rasciæ regis jugum, tuendæque fidei catholicæ proposito confirmavit. Denique epistola 573. Bladislaum Canonicum Diocliæ, & maritimæ Albaniæ Comitem, virum catholicum ad premenda alto pectore egregia illa consilia, cumque affulgebit occasio, explicanda, perducendaque, est adhortatus. Animum deinceps applicuit ad conjungendos fœdere Albanitis vicinos principes catholicos.

SERBL. Placet mihi, quod hæc Romanæ Curiæ clandestina molimina, quamquam ab Apostolica institutione alieniſſima, qui *discolis*

(A) En iniquissimam, qua Joannes circumventus est, Regis descriptionem.
(B) Exstant ex sub numero 571.

lis etiam præpoſitis ſubditos eſſe, & obedire juſſit, in publicum protuliſti: profunda hæc diſſimulatione transmiſiſſet Latinus Romæ aſſecla.

BULG. Falleris: nam Latini primi, ex abditis Archivi Vaticani tenebris eruerunt, ac in publicum emiſerunt hæc omnia: & candore, quo veridicos Scriptores decet, ne præpoſterum quidem zelum, & abuſus ſuorum antiſtitum nos voluerunt celare. Qui ultro addunt: his Pontificiis exhortationibus, & ſpe auxiliorum fretos Albaniæ proceres anno denique 1319. in Milutinum Uroſium inſurrexiſſe, lætumque eo nuncio Pontificem, miris laudum præconiis conſtantiam in fide extuliſſe: *Inducti*, inquiebat (A), *fortitudine curaſtis opportunitate captata conſurgere, ac jugo ſuæ tyrannidis, & iniqua converſatione Uroſii Raſciæ regis Schismatici abjecta, in libertatem, & confeſſionem fidei proſilire: laudabiliter educentes in publicum, quod, quandoque latuerat de ſinceritate veſtræ fidei, ac devotionis introrſum: & ad indicium plenius devotionis veſtræ laudabilis, de Romana Eccleſia matre veſtra, quæ caput eſt omnium fidelium, & magiſtra, & quæ de filiorum ſalute lætatur, ſi tali ſinceritate confisi eam fidenter in veſtrum auxilium advocaſtis*, &c. Quibus ſuperaddit: fideles omnes ingenti perfuſos lætitia, cum ipſos ſervitutis Schismaticæ jugum a cervicibus depuliſſe acceperunt: neque illis opera defuturos *Philippum Tarentinum* principem, *Mladinum Boſſinenſem* Banum, & *Carolum Hungariæ* regem, qui fœdus armorum in Uroſium inierunt.

Et catholicorum Principum fœdus in Uroſium procudit.

SERBL. Et intuliſſe hos principes acre bellum Uroſio anno 1320., quin & inſignem victoriam reportaſſe Carolum, occupata magna parte Macedoniæ mediterreneæ, ex literis Caroli ad Joannem Papam, & hujus ad Fridericum Imperatorem datis Avenione (B) diſcimus: en epiſtolam: *Chariſſimo in Chriſto filio Friderico regi Romanorum electo. Firmam gerit de celſitudine tua mens noſtra fiduciam* - - & poſt plura ſubdit: *Sane chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Hungariæ illuſtris jucunda, & grata relatio noſtro Apoſtolatui patefecit: quod dudum ipſe ſub ſpe cœleſtis auxilii, cujus eſt, athletarum ſuorum dirigere, & roborare proceſſus; contra Schismaticos, & orthodoxæ fidei inimicos in potenti manu, & exercitu copioſo procedens, ſuperna ſibi favente potentiæ dextera, de dictis Schismaticis feliciter triumphavit, ita, quod regnum Macedoniæ, ſicut nota evidentia facti in illis partibus notum reddidit, de manibus illorum ereptum, ſuæ ſubdidit ditioni. Qui tanquam princeps catholicus & tam genere, quam magnanimitate præclarus, ad debellandum dictos Schismaticos, & infideles usque ad partes maritimas ſpem robuſti cordis ſtrenuitate protendens ad id invigilat, ſuasque vires catholicas roborat, atque conflat, ut in exercitu gravi, & dextera extenta aliorum catholicorum principum fultus auxilio, procedere valeat*

X. Carolus rex Hungariæ victor de Uroſio.

ad

(A) Epiſtola 572. (B) VI. nonas Julii, anno Pontificatus IV., qui eſt Chriſti 1320. ex L. 4. ep. comm. 977.

ab dictorum Schismaticorum, & infidelium reſiduum conterendum, &c. Hinc Fridericum excitat, invitatque ad vires, auxiliaque jungenda. Conſimilibus literis ſtimulavit quoque ad armorum ſocietatem Uladislaum Loktekum Poloniæ regem, Luipoldum Auſtriæ, & Henricum Carinthiæ Duces, aliosque Principes. Verum nec ab aliis, nec a Friderico, cui pro imperio cum Ludovico Bavaro contentiones erant, ſubſidii quidquam obtentum eſt. Deſperatis ergo auxiliis, an nihilominus Carolus bellum auſpicato ceptum proſecutus ſit, aut continuo ad pacis tractatus deſcenderit, ſilent Scriptores. Pace glorioſa eam expeditionem terminatam eſſe, perhibet Joannes Villanus (A) de Carolo in hæc verba ſcribens: *In eas adegit Oroſium anguſtias, ut denique impetrata, compoſitaque pace, in Carolo Supremum Dominum agnoſcere coactus ſit, & ejurato Schismate, Romanam religionem amplecti.*

Reſtituta pax inter Carolum, & Uroſium II. Ex pactis pacis profitetur fidem catholicam Uroſius.

BULG. Si ita plane fuit, ut Villanus ſcripſit, facilem in eam poſtremam conditionem habuit Uroſium Carolus. Is enim jam dudum antea, non vi aliqua humana, ſed Deo inſpirante impulſus, & fidei Romanæ dogmata complexus fuerat, & Sedi Apoſtolicæ obedientiam, quam, & in quibus debebat, ultro detulerat. Et poſt fruſtratam etiam legationem ſolemnem Aegidii Patriarchæ Gradenſis, Fratrem Gregorium de Cataro, quem a Pontifice anno eodem 1308. impetraverat ad regiorum negotiorum procurationem, & uberiorem in rebus fidei, & ſalutis inſtructionem (B), ut veriſimile eſt, retinuit: nec, niſi calumniatorum oppreſſus mendaciis, a Pontificibus circumventis, pro Schismatico, & hoſte Eccleſiæ eſt proclamatus: hac vero nova, promtaque ſubjectione, obtrectatorum calumnias plene diluit.

Uroſius Rex catholicus.

SERBL. Ut apud noſtrates in confeſſo eſt, *Milutinum Uroſium* ſub extremos vitæ annos totum Deo conjunctum, vitam ſanctiſſimam duxiſſe; ita ſane regni, fortunarum, ac vitæ ipſius jacturam ſubiturus erat, quam, ut Sacris Romanis, dogmatisque animum addiceret, eaque profiteretur, niſi dudum, longaque meditatione exploraſſet vera, ſancta, ſalubria, probaſſetque. Quem igitur decernis primum communionis ejus annum cum Sede Apoſtolica.

BULG. Ex Benedicti X. literis ſupra recitatis perſpicuum eſt, jam anno 1303. cum Eccleſia Romana Uroſium regem ſenſiſſe, nec defuiſſe aliud, quam ſolemnem unionis publicæ cerimoniam. Græ-

Ex quo tempore?

(A) L. 9. c. 17. Hiſt. Franco-Byzant. L. 7. (B) Apud Vadingum ad annum 1308. incipit: *Cum magnificus vir Uroſius, Rex Raſsiæ illuſtris, ut regnet in cœlis, in votis habeat S. R. E. matri fidelium, & magiſtræ in fidei veritate, ac unitate conjungi, cupiatque, ſicut aſſerit, Fratrum tui ordinis uti conſortio, eorumque conſiliis, & inſtructionibus . . informari* &c.

corum autem judicio, Principem eundem jam anno 1298. Romano-Catholicarum partium exſtitiſſe, non obſcure colligo ex Pachymere (A), ubi cauſam exponit, cur Imperator Andronicus II. in negotio connubii Simonidis cum Uroſio, Patriarcham nec conſulendum, nec audiendum putaverit. Ea vero duplex fuit: *tum, quod ſcilicet ſciret diſſuaſurum: tum, quia exiſtimabat minus neceſſarium cum præſidibus Eccleſiæ convenire DE REBUS HUJUS CRALIS, DYNASTÆ VIDELICET RITUS A GRÆCO PEREGRINI: Quem ideo, licet contingeret fieri generum Imperatoris, in ſacris officiis memoraturi nominatim Eccleſiaſtici non forent. Ex quo erat conſequens, ſi forte vel ea ille commiſiſſet, vel impoſterum committeret, ob quæ mereretur feriri anathemate; nullam ſibi inde fore erubeſcendi occaſionem e conjuncti hominis ignominia ob prætereundam tunc ipſius in Sacris mentionem.* Milutinum Uroſium, aliosque ante, & poſt ipſum Nemanidas Serviæ reges, Ritum Græcum in Sacris ſecutos fuiſſe eſt certiſſimum, & plus, quam compertum: attamen *Ritus a Græco peregrini fuiſſe* a Pachymere dicitur, *nec in ſacris Græcorum officiis ab Eccleſiaſticis, quanquam gener, memorandus*: Cur vero ita? non aliam opinor ob cauſam, quam quod fidei, obedientiæque communionem cum Romana Eccleſia jam tunc fovere crederetur, & præſeferret; quam Conſtantinopolis obſtinate defugiebat poſt Michaelis Palæologi obitum, & propterea, ſicut Pontificem Romanum, ita quosvis ei conjunctos dyptichis excluſerat.

IX. Res cæteræ Uroſii IIdi.

SERBL. Milutinus Uroſius Rex, cui *Præcelſi & Macedonici* cognomentum adhæſit (B), cum Simonidem ad Irenes matris exequias profectam, & longiores moras Conſtantinopoli apud patrem trahentem, nonniſi facta belli comminatione, anno circiter 1317. recepiſſet (C): Expoſt duo Cumanorum millia, quæ eidem auxilio ſubmiſerat, cum condicto tempore non redderentur, iterum intentatis belli minis extorquere neceſſe habuit (D). Atque, cum ſub idem tempus inter Andronicum II. & Andronicum III. hujus nepotem diſſidia palam erupiſſent, bellumque ſpectarent, a ſocero varie, ut diximus, offenſus, facile ad nepotis blande invitantis partes animum inclinavit anno 1321. (E). Quo eodem in finem vergente, quanquam multis antea ſceleribus notatus, in fama Sanctitatis obiit (F). Quem ſubinde Eccleſia Serbliana in cœtum Sanctorum retulit, atque ritu ſolemni ad diem XXX. Octobris colit. Quæ cum ita ſint, habemus rurſus in Milutino Uroſio II. Regem ſuffragio totius Serblianæ Eccleſiæ, & complu-

Obitus exeunte anno 1321.

Et Sanctimonia Latinorum quoque teſtimonio firmata.

(A) Pachym. in Andr. L. 4. c. 1. (B) Paulus Jolincius. (C) Nicephorus Gregoras, L. 8. (D) Cantacuzenus, L. 1. c. 7. (E) Idem. (F) Michas Madius coævus in Hiſt. c. 16. menſe Novembri anni 1321. extinctum tradit: Gregoras, L. 8.

plurium Latinorum Scriptorum calculo *Sanctum* (A), quem, quia tu monumentis certiſſimis, multiplici ratione, atque etiam authoritate, catholicis principibus, fidem, ac obedientiam Eccleſiæ Romanæ profeſſis, valide vindicaſti: hoc eſt, quod animo meo diu obverſabitur.

COLLO-

(A) Luccarius, Orbinus, Ritterus Sanctimoniam teſtantur.

COLLOQUIUM OCTAVUM.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM, REGIBUS ULADISLAO, CONSTANTINO, ET STEPHANO COECO, UROSIO III.

I. Milutini Urosii II. proles.

SERBL. Milutino Urosio II. duas fuisse filias, & filium unum nothum, extra controversiam est. Ex his *Zarizam* prima, legitimaque conjuge Elisabetha natam testatur tractatus fœderis cum Carolo Valesio conditus: sed hanc, destinatis a patre nuptiis cum filio Caroli, mors præripuisse videtur. Alteram filiarum *Nedam* indicat Michas Madius coævus (A), & Nicephorus Gregoras (B), nuptam Michaeli, qui subinde ad Bulgariæ imperium provectus est. Unanimis autem Scriptorum consensus, & Joannis XXII. literæ *Stephanum nothum* Milutino adscribunt, *quem ipse*, ut Pontifex loquitur, *conjugatus de soluta genuit*: qua vero matre, & quo anno postea disquiremus. Manuscripta Servica addunt ei fratrem *Constantinum*: atque inter hos bellum pro corona gestum affirmat Jolincius, quæ denique, victo, & in carcerem detruso Constantino, obvenit Stephano.

Stephanus filius nothus.

II. Dragutini filii, Uladislaus, & Constantinus.

BULG. At Scriptores alii (C) Constantinum rectius Uladislao fratrem adjungunt, & Dragutino ambos filios adscribunt, atque inter hos pro corona bellum exarsisse testantur: quorum sententiæ & ego accessi (D), tum ob Michæ Madii coævi authoritatem, tum, quod ex Gregoræ, ac Pachymeris narrationibus certo constet; ex tot, quas habuit uxoribus, Milutino filium fuisse nullum, cum interim Dragutinus *liberos suos thoro legitimo natos*, velut justos regni hæredes educaret.

SERBL. Vindicatis plurimorum Scriptorum suffragio, Dragutino filiis *Uladislao*, & *Constantino*: ad fata utriusque principis describenda accedamus.

BULG.

(A) Michas Madius, 12. (B) Gregoras, L. 9. (C) Michas Madius, Luccarius, Hist. Franco-Byzant. Du Fresne. (D) Colloquio VII.

BULG. Uladislaus, cum primogenitus esset, præ Constantino fratre jus ad Serviæ coronam obtinebat. Idem, cum ex matre Elisabetha Stephani V. Hungariæ regis filia natus esset; post Andream III. & hujus filiam Elisabetham Venceslao Bohemo nuptam, ordine sanguinis proximum in Hungariam jus fovere videbatur, propiusque, quam Carolus Robertus; cum iste, nepos ex Maria Stephani V. filia; Uladislaus, filius ex Elisabetha Mariæ sorore esset. Quam ob rem non solius Serblici, sed Hungarici quoque regni successor a patre, ac matre destinabatur. Cujus jura, ut viribus etiam fulcirent, vicini, ac potentissimi Transylvaniæ Vajvodæ Ladislai filiam thoro filii Uladislai copularunt (A). Verum, cum post extinctam in Andrea III. sobolem masculam Regum veterum, hinc Hungari totum electioni liberæ, inde Romani Pontifices, ut antea filio Mariæ Carolo Martello contra Andream ipsum, ita postea nepoti Carolo Roberto contra omnes æmulos deferri vellent, quin & suffragia Hungarorum maxima jam parte in eundem inclinassent, jura illa, qualiacunque Uladislao nihil proderant, nisi vi, ac armis fulcirentur: præcipue, postquam nota Schismatis Serbliæ principibus, ob frustratam legationem Pontificiam anno 1308. Romæ inusta, Hungariam omnem pervagata est, & ipse Uladislai socer, in quo spes figi poterat, anno 1310. in partes Caroli pertractus est. Quare pro iis parte saltem aliqua vindicandis, a Milutino, & Dragutino fratribus in Hungariam expeditio adornata est (B): verum confirmatis jam magnopere Caroli Roberti partibus, nullo operæ pretio abrupta est: quæ denique mors Dragutini, & intercepti, ac carcere mancipati a Milutino patruo Uladislai calamitas, statusque miserrimus anno 1317. penitus prostravit.

Nexus Uladislai cum Hungariæ regibus.

Bellum in Hungaros pro Uladislao susceptum.

Uladislaus in carcerem detruditur.

SERBL. Quid Milutinum impulerit, ut Uladislaum, cui principio studuerat, carcere damnaret, nemo exacte prodidit. Creditur uxoriis Simonidis artibus perfectum, ut specie meditatæ seditionis Uladislaus carcere, Stephanus nothus oculis mulctaretur, & Constantinopolim in custodiam missus sit: revera autem, ut æmulis submotis, ac spe dejectis, Constantino pacata successio, thronusque pararetur. At res aliter, quam destinabatur, evenit: nam, cum non parva pars procerum, iniqua Uladislai fata miserti, injuriam principi illatam ægre ferrent, eductum e custodia, Regem Serbliæ acclamant, & Constantino jam pene clavum imperii tenenti, opponunt. Certatum igitur est a principibus fratribus, utroque diadema, & Regis nomen armata manu sibi extorquente. Atque, ut nulla sunt acriora prælia, quam eorum, qui in eandem regni spem sunt geniti, non armis modo, sed odiis

Constantinus regno destinatur.

III. Uladislaus Rex acclamatur post Milutinum.

(A) Chron. Turozy, P. 2. c. 89. Bonfin. Dec. 2. L. 9. (B) Annales Hung. Cl. P. Georgii Pray expeditionem Serviorum ad annum eundem innuunt.

quoque certatum est: illo jure primogenituræ, hoc Regis patrui judicio, decretoque subnixo. Inter hos principum conflictus, proceres quoque cum populo in partes sciſſi, mutuis aliquamdiu cædibus, incendiisque Serbliam fœdarunt, dum denique Uladislaus Constantinum arduo, multique sanguinis prœlio debellatum intercepit. Quem, cum immanitate inaudita patibulo suffixum, mox in partes etiam dissecuisset; crudelissimo hoc fratris principis supplicio, ita universorum procerum, populique animos abs se submovit, ut evocato Constantinopoli Stephano notho Milutini filio, eligerent omnes cœco potius, nothoque, quam tantæ crudelitatis principi se regendos submittere. Ergo deserto Uladislao, universi prope Stephano aggregati, mitem principem in solium provehunt, vitium natalium virtute compensaturum. Et crevit in immensum gaudium, postquam compertum est, Stephanum, quem cœcum crediderant, visu etiam pollere.

Bellum inter utrumque, & cædes Constantini.

IV. Defectio Procerum ab Uladislao ad Stephanum Milutini filium.

BULG. Hac generali procerum, populique defectione consternatus Uladislaus, fuga in Syrmium cum paucis se eripuit. Unde, cum frustra cognati regis Caroli auxilia, opemque implorat, perexigua militum stipatus manu in Machvam se ejecit, ex qua provincia novis auctus copiis parabat fortunam prælio decretorio experiri. Verum viribus nondum collectis, a Stephano rege occupatus, victus, interceptusque, in carcerem, ex quo ad thronum proruperat, retrusus vitam misere absolvit anno 1322. (A). De ejus religione tacentibus universis Scriptoribus, nec ego certum aliquid, exploratumque, de quo dubitari non possit, nunc adferam. Si ex matre Hungara Stephani V. filia, si ex ipsa conjuge Ladislai Transylvani nata, si denique ex regno Hungariæ catholicorum tantum principum Sede, cui a parentibus destinabatur, & quo ipse aspirabat, æstimatio, judiciumque ferendum sit, non alienum a placitis Ecclesiæ Romanæ fuisse oportet, sicut & patrem, fratremque; nisi obtrectatorum calumniis, aut per hos circumventis aures præbeamus. Orbinus & aliud nobis præbet indicium, cum singularem Raguſæorum fautorum perhibet, e quorum Senatoria nobilitate Matthæus Zrieva, Joannes Pozza, & Vitus Bobali aulam Regis frequentarunt, familiares, fidissimique ejus in bellis fraternis socii, & adjutores. Nec aliter de *Constantini* religione sentio, quem Paulus Jolincius (B) testatur Romanæ Ecclesiæ dogmata, & obedientiam Sedi Apostolicæ in ritu avito Græcanico professum, exemplo Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris: qui rectius dixisse potuit Constantinum hac parte vestigiis fratris, patrui, parentis, ac majorum suorum institisse, quos nos, Græca sacra cum doctrina Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, nexu, ac fœdere pulcherrimo consociasse docuimus.

Uladislaus bello captus a Stephano.

V. Exitus Uladislai, & religio verisimilius catholica.

Constantinus Græci Ritus Catholicus.

SERBL.

(A) Orbinus, Du Fresne. (B) Brevis introductio ad Hist. Servicam ex MS.

SERBL. Hiſtoria noſtra manuſcripta nec *Uladislaum*, nec *Conſtantinum* in Regum ordine poſuit: alto præterea ſilentio bella domeſtica, & fœdam Conſtantini cædem involvit: illud fortaſſe ob brevitatem regiminis: iſthoc, ne tantæ crudelitatis memoria ad poſteros tranſiret, aut in exemplum traheretur. A Milutino ergo continuo tranſitum facit ad *Stephanum* cœcum *Uroſium III.* dictum, vulgo Dechanenſem: ad quem & nos ordo narrationis deduxit. Hunc Milutinus *ligatus de ſoluta genuit* (A). Annum natalem indicat Gregoras (B): Si enim anno 1326. quo Mariam Palæologam, Joannis Cæſaris filiam duxit, quinquagenarium egit; nativitas ejus concurrit cum anno 1276. Jolincius (C) matrem ei dat Andreæ III. Hungariæ Regis filiam, uxorem vero primam Smilzæ Bulgarorum Imperatoris natam, matrem Dusmani, & Stephani Duſiani (D): multas, gravesque patris perſecutiones ſubiit (E), ad Tartaros primum elapſus, mox reductus, & patri reconciliatus: ad extremum Simonidis inſtinctu oculorum acie privatus, Conſtantinopolim cum filiis in cuſtodiam transmiſſus (F) circa annum 1317, ubi Dusmanus primogenitus deceſſit. Anno 1322. inde evocatus, devicto Uladislao, thronum aſcendit, inauguratus per Nicodemum Archi-Epiſcopum teſte Jolincio. Inter coronationis ſolemnia, in patris populo chari memoriam, nomen *Uroſii* ſuscepit.

VI. De Rege Stephano cæco Uroſio III. ejus prima conjuge, proli-bus, & variis fatis.

BULG. Occurrunt hic nonnulla, quæ merito in dubium vocem: ac primum quidem, quod de matre Uroſii III. aſſeritur. Nam conſtat (G), Andream multo ſerius, nec ante annum 1286. in Hungariam appuliſſe, atque anno eodem cum Clara Euphemia, Alberti II. Goritiæ Comitis filia nuptias celebraſſe (H), ut adeo ſocer Milutini, & Stephani Uroſii III. avus maternus Andreas III. eſſe non potuerit. Quare, cum teſte Gregora (I) Milutinus nec ex Patrarum Blachiæ Ducis filia, nec ex Hungara Fratriæ ſorore, Stephani V. filia altera; ſed nec ex Bulgara Terteris nata Suetislai ſorore, nec ex Simonide ſobolem procreaverit; incertum prorſus manet, qua matre *Stephanus*, de quo agimus, ejusque ſoror *Neda* ſint exorti. Sed nec a Nicodemo inauguratum putem, cum id muneris Pechienſium Archi-Epiſcoporum fuerit, nullusque hujus nominis in ſerie, & catalogo eorum apud me occurrat. Id certius eſt, inter coronationis ſolemnia *Uroſii* nomen ſuscepiſſe, cui & *cæci* cognomentum adhæſit. At, an cœcus penitus, atque ex toto oculis orbatus fuerit, aut viſus acie leviter duntaxat perſtricta,

Ejus mater non erat Andreæ III. Hung. regis filia.

Nec per Nicodemum Rex inauguratus eſt.

(A) Epiſt. Joannis XXII. Papæ. (B) Gregoras. L. 8. (C) Brevis introductio. (D) Orbinus, & Du Fresne ſororem Suetislai, uxorem Uroſii II. parentis, per errorem filio Uroſio III. tribuunt. (E) MS. Servicum. (F) Michas Madius. (G) Annales clariſſ. P. Georgii Pray (H) Comitis Rudolphi Coronini Tentamen genealog. chron. (I) Gregoras L. 6.

ſtricta, hebetataque, cœcum potius ad tempus ſimulaverit, video inter Scriptores controverti. Orbinus prudenti conſilio cœcitatem ſimulaſſe tradit. Id ſane certum, quod Michas Madius coævus memoriæ prodidit: Stephanum nothum conſpirationis accuſatum, viſus acie pelvi ardente infirmata, Conſtantinopolim relegatum.

VII. Vera fuit ejus cœcitas, ſed prodigio depulſa.

SERBL. Sed chronicon noſtrum, quod & præ manibus tuis eſt, de vera, plenaque Stephani cœcitate, divinitus, & prodigio depulſa, hæc refert: *Fuit*, inquit, *a patre cœcatus in urbe Scopia, & in exilium Conſtantinopolim miſſus: cumque in Ovcſepolye æde Divo Nicolao ſacra nocturnæ vigiliæ adeſſet, apparuit ei divus Nicolaus, ac dixit: NOLI TIMERE, STEPHANE! OCULI TUI IN MANU MEA SUNT. Manſit poſthæc in urbe Stephanus annis multis, monuitque Imperatorem, ne hæreticos toleraret Conſtantinopoli. Cumque rurſus aliquando Stephanus in æde ſacra nocturnis vigiliis vacaret, & vita Sancti Nicolai legeretur: Secundo viſendum ſe ipſi Sanctus præbuit, viſumque reſtituit. Stephanus de recepto viſu adhuc dubius velum, quo oculi tegebantur, detraxit, & cum clare intueretur omnem Eccleſiam, dictis Deo, & Sancto laudibus, rurſum ſe velo contexit, clam prodigium habiturus, dum Deo aliud placuiſſet. Poſt patris deceſſum regnaturus, oculos prodigio receptos aperuit, ſeque divo Nicolao devovens in Occidentem progreſſus ad fluvium Biſtriza, non longe a pago Dechan Eccleſiam honoribus aſcendentis Domini miro ornatu fulgentem exſtruxit, atque ad latus ejusdem baſilicæ dextrum, Templum divo Nicolao ſoſpitatori Sacrum poſuit.*

BULG. Tam luculento beneficio divo Nicolao Thaumaturgo obſtrictus Stephanus in perpetuæ gratitudinis monumentum, Barii quoque in Apulia, ubi Sancti exuviæ magno concurſu coluntur, altare argenteum in eccleſia Sancti ejusdem opere inſigni conſtituit, cujus Regiæ pietatis memoria Orbini adhuc ætate proſtabat, & ſequens viſebatur inſcriptio: *Anno Domini MCCCXIX. menſe Junii Indictione VI. Uroſius Rex Raſſiæ, & Dioclitæ, Albaniæ, Bulgariæ, ac totius maritimæ de Culfo Adriæ usque ad flumen Danubii magni, præſens opus Altaris iconam magnam argenteam, lampades, & candelabra magna de argento fieri fecit ad honorem Dei, & beatiſſimi Nicolai ejus hærede adſtante de Catera filio Deſislavi fideli, & experto a prædicto Rege deputato. Et nos Rugerius de Invilia Proto-Magiſter, & Robertus de Barulo magiſter in omnibus præfatis opus de prædicto menſe Junio incepimus, & per totum menſem Martium anni ſequentis Chriſto favente complevimus.* Sed ex Indictione VI. annorum numerus corrigendus venit: & MCCCXXIII., cum quo ea Indictio concurrit, eſt ſubſtituendus (A), cum alioquin conſtet exeunte anno MCCCXXI. Uroſium Milutinum exſtinctum, nec ante Sæculi ejusdem

Ejus pietas in S. Nicolaum Barenſem.

(A) Pagius in Critica.

dem annum viceſimum ſecundum Stephanum Uroſium III. regnum auſpicatum eſſe.

SERBL. Sunt, qui ex anno MCCCXIX. quem inſcriptio præfert, monumentum hoc Milutino Uroſio II. tribuant, atque Indictionem potius emendandam velint. Verum præter Ind. VI. quæ pro Uroſio III. militat manifeſte; eidem potius monumentum hoc vindicat ſingulare, & prodigii plenum beneficium, quo viſum a D. Nicolao Thaumaturgo recepit. Ex inſigni hoc dono Romano-Catholicorum Eccleſiæ oblato, advertunt quidam Stephanum Uroſium a Religione Romana alienum haud fuiſſe, nec a cultu ejus Sacrorum abhorruiſſe.

Altare Barenſe vindicatur Stephano regi.

BULG. At Latinis ad hæc dubia religionis ſigna recurrere non eſt opus. Propenſi ejus in Eccleſiam Romanam animi, imo & acceſſionis ad eandem multo certius teſtimonium præbet ipſa Stephani Uroſii III. epiſtola ad Philippum principem Tarentinum anno 1323. exarata: cujus licet apographum ad manum nobis non ſit, argumentum tamen totum literæ Joannis XXII. Papæ ad preces Tarentini principis Uroſio ſcriptæ reſervarunt. Expetebat literis ſuis Uroſius in thori ſociam principis Tarentini filiam, atque ad recuperandam Conſtantinopolim, cujus hæres conjux Tarentini erat, auxilia, ac operam offerebat. Detexit præterea animi propoſitum ſe, ſuosque Romanæ Eccleſiæ conjungendi: in quem finem nuncios Apoſtolicos deſiderabat ad pleniorem ſuorum inſtructionem, & ſuam fidei confeſſionem excipiendam. Ad extremum legitimationis diploma a Sede Apoſtolica exorabat.

VIII. Expetit connubium Blancæ Philippi Tarentini filiæ, & unionem cum Romana Eccleſia.

SERBL. Ob diſſidia, quæ Milutinum, & Romanos Pontifices commiſerant, & Papa Joanne ſedente in apertum bellum erupperant, quo Serblia non leviter ſuccuſſa eſt, nondum placatum Pontificis animum credebat Uroſius: mediatore igitur Philippo Tarentino principe, cujus filiam in ſponſam depoſcebat, in negotio quoque religionis, uti placuit apud eundem Pontificem, juvat rem omnem ex ipſius Pontificis ad Philippum, & Uroſium literis cognoſcere.

Philippus agit per literas, & Legatos cum Joanne XXII. Pont.

BULG. Philippo Principi de propoſito connubio in hæc verba reſcripſit (A): *Valde gratum, & placitum gerimus, ſi alias de tua voluntate proceſſerit, matrimonium memoratum: dum tamen, prout ex ipſorum nunciorum tuorum narratione lætanter accepimus, præfatus Rex cum Clero, Nobilibus, & populo regni ſui, ſchismatica pravitate deterſa rubigine, ſolidetur, ut CUPERE DICITUR in firma petra catholicæ fidei, & integretur orthodoxæ matris Eccleſiæ unitati, aliaque compleat, quæ tuæ ma-*

Reſponſum Joannis XXII. ad Princ. Tarentinum.

(A) Tom. 3. Secret. Joannis XXII. p. 266.

gnitudini pro faciliore aquisitione Constantinopolitani imperii obtulit, sicut habet assertio nunciorum præfatorum. Ad Urosium vero Regem sequentes transmisit (A). *Joannes &c. Magnifico viro Urosio, Regi Serviæ illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Nuper dilectus filius, nobilis vir, Philippus Princeps Tarentinus, claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ filius, per gratos literarum suarum affatus, & specialem nuncium nostro Apostolatui reseravit: quod Deo Patre luminum ad veræ religionis zelum prius præparante tuæ mentis affectum, eidem Principi per literas, & nuncios exposuisti: quod dilectæ in Christo filiæ, nobili mulieri -- Natæ ipsius conjugi desideras: ET QUOD ABJURATA, ET DIMISSA ERRORIS SCHISMATICI VETUSTATE, CUM CLERO, ET NOBILIBUS, TOTOQUE POPULO REGNI SERVIÆ, SACROSANCTÆ ECCLESIÆ CATHOLICÆ CORPORI REDINTEGRARI, ET AD UNITATEM VERÆ FIDEI ORTHODOXÆ REDUCI, ET RELIGIONEM EJUSDEM FIDEI, VERAMQUE DOCTRINAM PATRIS, FILII, ET SPIRITUS SANCTI, quam tenet, docet, & prædicat Sancta Romana Universalis Ecclesia, DEVOTIS, ET PIIS MENTIBUS PROFITERI, AC INCONCUSSE, ET INVIOLABILITER DESIDERAS CUSTODIRE: UT SUB PASTORE APOSTOLICO, CUI PASTOR ILLE COELESTIS IN PERSONA BEATI PETRI, APOSTOLORUM PRINCIPIS PASCENDAS OVES, POST SUAM RESURRECTIONEM COMMISIT, non extra, sed intra ovile Dominicum doctrinis salubribus imbuaris. Ab eodem Principe per literas, & nuncios deposcendo, ut per suæ intercessionis instantiam obtineret, ad tuam præsentiam a nobis Apocrisiarios destinari in veritate catholicæ fidei eruditos, qui, velut pacis angeli Te, dictosque Clerum, Nobiles, & populum salutari doctrina ejusdem fidei informarent. Ob! quam gratum nostris id occurrit affectibus, quam acceptum cum gaudio exultationis ingentis, quod tam nobilis ovis a caula Dominicæ pascuæ segregata cum Clero, & populo dicti regni Apostolici pastoris directa vehiculo ad ovile Dominicum, & unitatem ejusdem Ecclesiæ revebatur. Hoc est enim, quod totis visceribus, quod etiam in ipsis Missarum solemnibus a Domino petimus incessanter, ut videlicet Sacrosanctam Ecclesiam, unicam sponsam suam cum toto orbe terrarum adunare dignetur: ut eadem Ecclesia servans in membris suis omnibus unitatem, per fœcunditatis augmentum in multitudine latius extendatur, & Dominica luce perfusa per orbem totum radios suos protendat; ut iidem radii serventur in corpore, rami ejus ab arbore non cædantur, nec ipsius rivi præcidantur a fonte: ut sic ejusdem Ecclesiæ unitate integraliter conservata, unum sit corpus ejus, nullam membrorum suorum patiens sectionem: una origo, & una mater fœcunditatis successibus copiosa, quæ fideles Deo servet, & filios regno, quos generavit, assignet. Ecce igitur devotione tua hujuscemodi patefacta, commota sunt viscera paternæ pietatis in filios, & velut perfusi ingentibus gaudiis super drachma perdita reinventa, & pro errantibus ad gregem Dominicum*

Ejusdem Papæ literæ, & legatio ad Urosium R.

Propositum Urosii, & Confessio catholica hinc elucet.

Legatosque petitos esse.

cum

(A) Tom. 3. epist. Joannis XXII. p. 263.

cum reducendis, veri, piique paſtoris officium exequi cupientes, libenter annuimus poſtulatis, ac juxta vota tua nobis expoſita venerabilem fratrem noſtrum Bertrandum Archi-Epiſcopum Brunduſinum, & Magiſtrum Bernardum de Parma Canonicum Adverſanum, & Joannem Dominici ordinis fratrum Prædicatorum fratrum Conventus Narbonenſis Lectorem, tanquam pacis Angelos, & pacificos Chriſti diſcipulos, non gaudentes in vanitate verborum, neque ſapientiæ Dei mundanam ſapientiam præferentes, viros utique in lege Domini plenius eruditos ad tuam præſentiam deſtinamus, ut ipſi in ſolido fidei litore conſiſtentes, Te, Clerum, Nobiles, ac populum dicti regni velut de naufragio erutos tuto ſinu recipiant, & tanquam tabula de tranquilli ſali fluctibus in portum veræ ſalutis adducant. Et quia fidei primum eſt, & ſolidum fundamentum, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; profeſſionem fidei, quam tenemus, quam a Te, Clero, Nobilibus, & populo dicti regni exigimus, ut eandem Tu, & ipſi profiteri, & ſervare, ſi ad noſtram, & ejusdem Eccleſiæ, ut deſideramus, unitatem redire velitis, vobis verbis explicitis, & apertis tenore præſentium explicamus. CREDIMUS IN SANCTAM TRINITATEM, (A) &c. Qua confeſſione fidei interjecta, proſequitur Joannes XXII. epiſtolam: *Ideoque Excellentiam Tuam monemus, & rogamus attente, ac in Domino Jeſu Chriſto per aſperſionem pretioſi ſui Sanguinis obſecramus, quatenus diligenter attendens, quantum tibi creſcat ad meritum, quantum ſuccedat ad gloriam, ſi una cum omnibus dicti regni ad unitatem ejusdem Eccleſiæ, & caulam Dominicam reducaris, ſic ſtudeas habilitare materiam, ſic tuam, tuorumque mentem diſponere, quod ad requiſitionem nunciorum, quos præſentialiter mittimus, Te, ac prædictis Clero, Nobilibus, ac populo præſcriptum humiliter ſuſcipientibus, & profitentibus fidei veritatem, regnum prædictum in ejusdem fidei ſolido fundamento fundetur, Tuque merito chariſſimus, & acceptione intimus efficiaris Eccleſiæ filius, & inter alios catholicæ Eccleſiæ Principes læteris, & gaudeas nomine chriſtiano, regnumque prædictum in firma petra Apoſtolicæ Eccleſiæ ſolidatum contra omnes temporum turbines, & incurſus infidelium nationum, inconvulſam recipiat indeficientis roboris firmitatem. Caterum gratum gerimus plurimum, & acceptum, & ex tunc ad id noſtrum exhibemus aſſenſum, quod, poſtquam ejusdem profeſſionem fidei, & recognitionem Primatus Romanæ Eccleſiæ juxta formam contentam præſentibus, duxeritis faciendas, inter Te, & prædictam natam ejusdem Principis, legitimum matrimonium contrahatur: ex quo profecto Tibi, & filiis tuis, quos auctore Deo ex copula ſic honorabilis thori ſuſcipies, fortitudo, ſecuritas, atque robur contra quoscunque impugnantes inimicos pro præſentibus temporibus, & futuris proveniet: multorumque Regum, & Principum propter hujusmodi parentelam in te, tuisque poſteris famoſa, & potenti vallabitur*

IX. Deſtinantur legati Pontificii ad Uroſium.

Præſcripta fidei confeſſio.

Conſenſus Pontificis in nuptias.

(A) Eſt fidei confeſſio olim a Clemente IV. Michaeli Palæologo præſcripta, & a Nicolao IV. Regi Milutino patri Stephani transmiſſa.

bitur firmitate. Datum Avenione II. Idus Junii anno VII., qui eſt Chriſti 1323.

SERBL. At plura fortaſſe, & duriora quædam, ſecreta Legatorum inſtructione complexus eſt. Id, quidquid fuerit, audire geſtio.

BULG. Inſtructionis traditæ nunciis argumentum fuit (A). Hortabatur ad ſtrenue navandam operam, & poſt deſcriptam fidei formulam, adjecit: *diſcretioni veſtræ committimus præſentium tenore, quatenus ad partes illas vos absque tarditate moræ perſonaliter conferentes, ac ſecundum datam vobis a Deo prudentiam procedentes, Regem, Clerum, Nobiles, & populum memoratos ad ejusdem fidei orthodoxæ profeſſionem, & acceptandum, vel recipiendum ipſius Eccleſiæ Primatum juxta præſcriptam formam idoneis ſecuritatibus, & cautelis adhibitis, admittatis: ita, quod ſi Divina gratia Regis, Cleri, Nobilium, & populi prædictorum mentis aciem illuſtrabit, idem Rex, ac Prælati, Clerus, Nobiles, ac populus dicti regni in parlamento publico congregati eandem fidei veritatem, & Primatum Eccleſiæ juxta præſcriptam ſeriem plene, ac ſeriose lectam, & expoſitam fideliter explicite, & aperte, hoc modo recognoſcant, & profiteantur præſtito juramento.* Sequitur jam formula juramenti: *Ego Uroſius Rex Serviæ ſuprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita: veram Sanctam Catholicam, & orthodoxam fidem eſſe cognoſco: eam accepto, ac corde, & ore profiteor, ipſamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat Sacro-Sancta Romana Eccleſia: me immobiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum promitto. Primatum quoque ipſius Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam ſponte veniens, fateor, recognoſco, accepto, & ſponte ſuscipio, & me omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejusdem Eccleſiæ Romanæ Primatum, & ipſorum recognitionem, acceptionem, ſuſceptionem, obſervantiam, ac perſeverantiam ſervaturum, præſtito corporali juramento promitto, & confirmo. SIC ME DEUS ADJUVET HÆC SANCTA DEI EVANGELIA. Huic autem Scripto de mea recognitione, acceptione, ſuſceptione, profeſſione, promiſſione, & juramenti præſtatione ſponte mea facto, lecto, & perlecto ſponte ſubſcripſi, & ſigillum apponi feci.* Poſt quæ, ſic ultro inſtructionem proſequitur Pontifex. *Porro a Prælatis & alia exigetis, videlicet: ut manualem, vobis recipientibus nomine ejusdem Romanæ Eccleſiæ obedientiam, & reverentiam exhibeant, & ſe ab illa nullo unquam tempore receſſuros, præſtito juramento, promittant: & nihilominus in eorum promiſſione veniat, quod nec contra ſuam profeſſionem aliquid publice prædicare, aut occulte ſuadere præſumant. De hujuscemodi autem profeſſionibus fiant publica inſtrumenta, multiplicanda in varia omnino*

Inſtructio Legatorum.

Præſcripta juramenti formula.

Quid ultra Prælatis impoſitum?

(A) Ex T. 3. Joan. XXII. Pont. p. 264.

no ſimilia, ut aliqua penes vos retinere, nonnulla poſſitis deponere, & alia per diverſos nuncios propter inopinatos caſuum fortuitorum eventus ad Sedem ipſam, ut in ejus conſerventur archivio, cum cautela, & diligentia omnimoda remittatis, &c. Datum Avenione XI. Kal. Junii, anno VII. Inſtruit ad extremum Joannes Papa Legatos authoritate, *Oroſium Regem* impuro thoro procreatum, natalium dignitate donandi, ornandique. Verba Pontificis ſunt: *Diſcretioni veſtræ præſentium tenore committimus, quatenus cum dicto Rege, quem, ſicut accepimus, quondam Oroſius Serviæ Rex, Pater ejus CONJUGATUS GENUIT DE SOLUTA: hujusmodi non obſtante defectu libere ad quemlibet honorem, ſeu dignitatem Serenitati Regiæ congruentem, & quoslibet actus legitimos admittatur, & quod Filii ſui legitimi ſibi in Dominio, & honore ſuccedant, authoritate Apoſtolica, qua in hac parte vos fungi volumus, & de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, diſpenſetis.* Datum, ut ſupra (A).

Legitimatio Uroſii Legatis commiſſa.

SERBL. Ex his Pontificis literis, inſtructionibusque, intelligo Joannem XXII. ab exigendis duris illis, & ad fidem, & unionem minus pertinentibus conditionibus, quas Clemens V. anno MCCCVIII. Milutino præſcripſerat, quæque tunc ſolemnem unionis negotiationem interruperant, deſtitiſſe. Nec aliud jam, quam fidei profeſſionem a Clemente IV. olim Michaeli Palæologo præſcriptam, & a Nicolao IV. ad Milutinum Stephani Uroſii patrem transmiſſam, ac jusjurandum de ſincera ejusdem obſervantia, & pari Primatus Romani confeſſione poſtulaſſe. Sic vero facilitata, & proniore ad unionem per Papam conſtrata via, quem Regis Uroſii, Pontificisque conſilia, & Legatorum ſolicita ſtudia exitum ſortita ſunt? An per regnum univerſum in generali conventu ſolemnis illa fidei, obedientiæque confeſſio ſuscepta? an nuptiæ ipſæ inter Regem, & Blancham Tarentini Principis filiam coaluerint? ex Scriptorum fide lubens cognoſcam.

X. Indagatur in Legationis ſucceſſum.

BULG. Nec publicum ejusmodi profeſſionis fidei, & Primatus inſtrumentum, quale Papa præſcripſerat, in manus meas venit hactenus: nec Scriptorem, qui optatum Legationis ſucceſſum notaverit, affirmetve, legi, vidive. Ex hoc autem Scriptorum ſilentio, in re momenti maximi conjicio: communem illam, univerſalem, publicam, ac ſolemnem in Regni conventu unionem haud coaluiſſe. Nec Proceres proinde omnes, nec Clerum, populumque univerſum Eccleſiæ Romanæ acceſſiſſe. Quid, ſi libelli ſubſcripti, ſignatique ſingulorum nominibus, quos imperabat Pontifex, hic rurſus exoptatæ unioni moram injecerint? & quemadmodum olim Hadriani II. Papæ, ac Baſilii I. temporibus, libelli conſimiles, novitate ſua motus immanes Con-

Regnum univerſum acceſſiſſe non videtur ad ſolemnem unionem.

Et cur non?

(A) Anno Pontificatus VII. qui eſt ſalutis 1323.

ſtantinopoli exciverunt (A), ita tunc iidem & in Serbliæ, velut res nova, ac inſolens, minimeque neceſſaria, detrectati ſint? de nuptiis poſtea.

SERBL. Magna Serbliæ parte ad hunc modum in ſuo veteri inſtituto obfirmata, nec Regis, Legatorumque Apoſtolicorum hortatibus cedente: eſtne, qui de Regis ad unionem acceſſione nos certos, ſecurosque faciat? quid, ſi vel ſimulata tantum fuit Regis petitio? vel animum ejus infregerint, atque ab unione amplectenda removerint ſeditionum domeſticarum pericula, metusque?

Regis, multorumque acceſſio videtur certa.

BULG. Poſtquam Joannes Papa præter fidei, ac Primatus confeſſionem, & Sacramentum de obſervantia utriusque ſcripto confignatum, nec aliud quid a Rege exegit; tacentibus licet Scriptoribus, apud me extra omne dubium eſt Regis, imo & magnæ Serblorum partis ad unionem acceſſio. Perſuadet hoc mihi Stephani Uroſii Regis ad Philippum Tarentinum epiſtola, legatioque maturo conſilio adornata, qua promtum, paratumque animum ad Schisma rumpendum teſtatus eſt: expetiti a Sede Apoſtolica nuncii, & denique explorata, quam vos conſtanter defenditis, Regis ejusdem inſignis Sanctimonia, ab omni ſcelere remotiſſima.

SERBL. Stephani Uroſii Regis ſanctitudo tot nobis prodigiis teſtata eſt, ut ne a Latini quidem ritus Serblianis, in dubium vocandam metuam. Quid vero tu ex ea, & literis ad Principem Tarentinum datis, conficis, aut paras conficere? enucleatius ediſſere.

XI. Argumentum validum pro Regis unione ſolemni.

BULG. Cum ſanctitas Stephani Uroſii adeo explorata ſit, ut nulli dubio locus ſuperſit, conficio: Regem ſanctum ſincere deſideraſſe, expetiviſſeque unionem cum Romana Eccleſia, quæ in fidei concordia, obedientiaque ſita eſt: & quemadmodum deſideravit, expetivitque, ita procul dubio Eccleſiæ ejusdem dogmata, & Primatum complexum, profeſſumque fuiſſe. Argumentum ſic inſtruo: Sancti, Deoque conjuncti extrema ſubire eligunt potius, quam a fide vera vel ficte decedant, & falſam vel per ſimulationem optent: nec poſſunt ſanctitate integra, velle abjurare, niſi quam falſam, errantemque cognoverunt; nec deſiderare, aut velle profiteri, niſi quam veram, & ſalvificam exploraverint, certiſſimeque perviderint. Ab amplectenda autem, profitendaque fide ſalvifica, atque ad mortem usque retinenda, nullis incommodis, adverſis, periculis, metuque dimoveri ſe ſinunt, paratique ſunt potius cum adverſis omnibus conflictari, ſceptri, coronæ, vitæque ipſius jacturam pati, quam a vera fide vel latum unguem diſce-

(A) Vide authorem vitæ Hadriani P. II.

diſcedere, aut erroneæ ſe adjungere. At Stephanus Uroſius Rex ſanctitate inclytus, moribus incorruptus, deſideravit, expetivitque abjurato, ac damnato Schismate, ad unitatem veræ, ac orthodoxæ fidei admitti, doctrinam, ac dogmata, quæ Romana tradit Eccleſia, quæque in literis Pontificiis ad Milutinum patrem ſuum olim datis diſerte, explicateque continebantur, ac ſibi apprime perſpecta erant, profiteri, ac inviolabiliter cuſtodire, & ſub paſtore Romano Pontifice ſucceſſore Divi Petri, cui Dominus univerſas oves paſcendas commiſit, vitam degere, atque hoc ſolo, præcipuoque fine Apoſtolicos nuncios ultro expetivit. Agnovit ergo hanc unice veram, ac ſalvificam ab hac profitenda nullo metu coerceri, nullisque periculis dimoveri potuit, debuitque: hanc proinde toto animo complexus, & profeſſus eſt: hanc in ſubditis regni ſui propagare eniſus eſt: certus coronæ, ac vitæ ipſius damnum ſubire, quam ab eadem deflectere. Sic ego de Sancto Rege veſtro ſentio, nec vos ſine injuria ſentire decet aliter. Vera, & incorrupta ſanctimonia in re religionis nec ſimulationem admittit, nec metu vincitur. Spes autem, quam idem Rex ſanctus, ſapiensque de univerſa Serblia ad unitatem fidei, & filialis erga Sedem Apoſtolicam obſequii revocanda conceperat; argumento mihi eſt, & plurimorum animos jam antea ſecum conſentientes habuiſſe, & complures adhuc pio hoc ſancti Regis exemplo in ſequelam pertractos eſſe. Sententiam hanc meam de Regis Uroſii, majorisque Serbliæ partis ad unionem acceſſu confirmat hinc tranquillus Serbliæ a domeſticis ſeditionibus ſtatus, inde ſecuritas a Latinorum Principum invaſione, quæ hoc Rege viguit: quorum ſane juſtas iras, ac arma in ſe provocaturus erat, ſi quam expetiit, ludibrio habuiſſet unionem, ac Legatos, re nulla perfecta, vacuos a ſe dimiſiſſet.

Ejusdem confirmatio.

SERBL. Poſtquam & hunc ſanctum Regem valido rationum pondere Romanæ vindicaſti Eccleſiæ, cognoſcere magnopere cupio, quid de Regis ejusdem ſanctimonia ſentiant partium noſtrarum Romani ritus homines, ac vicini cumprimis eorum Prælati. Scopia, urbs Serbliæ illuſtris, Vardaro flumine veterum Axio alluitur, atque ab arce, quæ adito colli inſidet, muro, ac foſſa ſimplici munita, defenditur, & Sena circiter domorum millia numerat. Illic Ritus Græcanicus geminas parochias obtinet, Romano-Catholicorum nonniſi quinque, aut ſex domus cenſentur: Habent nihilominus Archi-Epiſcopum, qui Scopienſis titulum gerit: is caret ſuffraganeo, parochias vero permodico populi numero definitas tenet *Scopiæ*, *Prisrendi*, *Zoganyi*, *Jagnievi*, *Giakovæ*, *Pechiæ*, *Zumbi*, & ſupra *Pechiam* in *Rugovo*, ubi Patres Divi Franciſci degunt. Archi-Epiſcopus olim in Jagnievo degebat, nunc Giakovæ ſedem fixit. Hinc non longe ſomotus eſt pagus *Dechani* in plano ad radices montis effuſus. In eo Eccleſia molis mediocris, forma oblonga plumbo tecta aſſurgit: ad Eccleſiæ aram proxime corpus Regis Stephani Uroſii viſitur in tumulo ligneo, quatuor

tuor ſubnixo pedibus. Corpus purpurea damaſcena ſic contectum eſt, ut nihil ex eo pateat præter frontem, & manus, quarum dextra duobus ornatur annulis, pellis manuum ſicca eſt, pili in capite pauci. Eccleſiæ adjacet cœnobium, quod ſex, aut ſeptem alit monachos ordinis Sancti Baſilii. Horum ego Archi-Epiſcoporum judicium, ſententiamque de ſanctimonia Regis Stephani noſſe percupio.

Senſus Latinorum de Uroſii Stephani ſanctimonia.

BULG. Giakova, ubi Scopienſem ritus Romani Archi-Epiſcopum domicilium ſtatuiſſe diximus, a pago Dechani non amplius, quam quatuor, aut quinque horarum itinere abeſt. De ſanctimonia igitur Regis hujus conſultus vir vere Apoſtolicus, Illuſtriſſimusque *Michael Summa* Scopienſis Eccleſiæ olim Archi-Epiſcopus, hunc ſuum, ſuorumque præceſſorum ſenſum anno 1749. fidenter perſcripſit: verba epiſtolæ accipe: *Circa il Santo Stephano de Decian, le ſò dire, che il corpo è intiero, e che veramente è Santo: e che vi ſono ſtati fatti molti miracoli: e che queſta notizia l'ha havuta dal mio anteceſſore Pietro Karagich, e lui l'ha havuta dal Monſignor Bogdani, pure Arciveſcovo di Scopia. Che poi li Catholici non hano havuto la devozione verſo il ſudetto Santo, queſto è provenuto, per che li Miſſionari temevano, che andando li Catholici nella Chieſa de' Schiſmatici, non deventaſſero anch' eſſi Schismatici. Del reſto - - quol ſenza verun dubio tenerlo per Santo; giache come tale è ſtato ricognoſciuto anche dell' iſteſſi Arciveſcovi, che ſon ſtati in Scopia.* Porro inter prodigia, quæ ad Sancti Regis corpus paſſim patrantur, illud quotidianum, pervulgatumque memoratur: quod in cauſis dubiis, ac teſte deſtitutis, cum partes ad Divi corpus ſe invicem oblato juramento provocant; quisquis perjurio ſe obſtrinxerit, Sancto vindice, ſacris ædibus incolumis, ſanusque haud excedat.

XII. Geſta, & connubia ejusdem.

SERBL. Poſtquam vicinorum etiam Romani ritus Epiſcoporum calculo ſanctimoniam Stephani Uroſii in luce poſuiſti, res ejus, quas in fontibus latius deſcriptas videre licebit (A), ordine annorum breviſſime perſtringam. Prima, quod ſciam, illi cura fuit Paulum Chrobatorum Banum potentiſſimum, & Regio fere more gubernantem, qui ſciſſa bellis civilibus Servia arma infeſta per provinciam late circumferebat; oſtentata potentia, ad pacis conſilia traducere, quæ denique Raguſæorum interventu mox etiam coaluit, poſtquam Paulus collectas Serblorum vires, conſpirantesque cum novo Rege animos in ſe ferri comperit (B). Curas alteras ad negotia religionis: & cum viduus eſſet, nec niſi unum Stephanum Duſcianum filium ex prima conjuge ſuperſtitem haberet, ad Blancham Tarentini Principis filiam thoro ſuo jungendam transtulit (C). Nec fruſtratum fuiſſe vobis opinor: quanquam enim

(A) Hoc eſt in Gregora, Cantacuzem, Orbino, Rittero, & aliis. (B) Ricterus in Servia illuſtrata. (C) Epiſtolæ Philippi Principis Tarentini, & Joannis XXII. Pontificis.

enim nullo hactenus teste docere possim; coaluisse tamen nuptias inde conjicio, quod verisimile non videatur Regem viduum, & hæredis adhuc suscipiendi cupidum, in annum usque 1326., hoc est, triennio fere eas dilaturum fuisse. At, cum anno 1326. Regem ad connubium a Gregora, & Cantacuzeno (A) memoratum transisse certum sit, quo Joannis Panhypersebasti filiam Mariam duodennem ipse quinquagenarius sibi despondit, ex qua subinde Simeonem progenuit, consequens plane est, brevi hymendo perfunctam, nullaque prole relicta Blancham decessisse.

BULG. Hæ cum Stephani Urosii nuptiæ fuerint, primæ cum Smilzæ filia, alteræ cum Blancha, postremæ cum Maria; fallitur magnopere Orbinus, cum quatuor conjuges, quæ Milutini Urosii II. parentis fuerunt, filio Stephano Urosio III. adscribit. Ast, non solus Orbinus, verum plures alii communione nominis *Urosii*, quod pater æque, ac filius gessit, perturbati, deceptique, res unius cum rebus alterius confuderunt, permiscueruntque (B).

SERBL. Pacis, & æquitatis studiosissimum Stephani Urosii animum, plura sunt, quæ comprobent. Anno 1324. recens provectus ad Bulgariæ solium Michael, sororem Stephani Nedam, seu Dominicam legitimam conjugem, & jam duorum filiorum *Sismani*, ac *Joannis* matrem thoro, thronoque depulsam repudiaverat, & ad fratrem remiserat (C), substituta in thorum Theodora junioris Andronici sorore, vidua Suetislai defuncti Bulgariæ Imperatoris. Injuriam hanc fororis nil tale meritæ gravem, atque cum sui contumelia conjunctam, pacate tulit Stephanus, atque anno adhuc 1327. Michaelem in loco affinis habuit (D), nec armis, ut poterat, ultus est, Deo vindictam remittens. Anno rursum 1326. cum Joannes Panhypersebastus socer Stephani, & socrus deserta Thessalonica Scopiam ad Regem generum confugissent, multisque precibus velut spreti, oppressique ab Andronico II. patruo, instarent, ut arma pro justis ipsorum juribus vindicandis corriperet, paruit quidem initio soceri desiderio, populationemque societatis viribus usque *Seras* protulit: at mox officiis potius, quam bello rem gerendam censuit, & parti utrique pacis consilia suasit, quæ etiam illico coaluit, postquam Andronicus II. bono usus consilio, transmissis Cæsareis insignibus, æstuantem Joannem placavit, & brevi extincto novo hoc Cæsare, viduam ejus honorifica legatione convenit, atque ad reditum in urbem permovit. Anno denique 1327. cum dissidia vetera inter Andronicos Imperatores avum, & nepotem recruduis-

Ejus æquitas, ac pacisstudium.

(A) Gregoras L. 8. Cantacuz. L. 1. c. 43. (B) Hist. Franco-Byzantina.
(C) Gregoras L. 9. Cantacuz. L. 2. c. 21. (D) Cantacuz. L. 2. c. 3.

ſent, juſtique, & lucroſi belli in juniorem Andronicum occaſionem offerrent, atque tunc injurias ab Andronico juniore ſibi, ac ſorori Nedæ illatas commodum ulciſci poſſet; licet ampliſſimis oblationibus, & a ſeniore Andrõnico ſibi fœderato, & a Romanis ad ſe confugientibus, Andronico juniori infeſtis, magnopere ad bellum urgeretur, occaſioque pulcherrima augendi regni affulſiſſet; nullis tamen illiciis, nullis hortatibus, ſpe nulla ad vim inferendam juniori, quanquam fœderato Michaelis, & hoſti ſuo, adduci potuit: quod injuſtum duceret, ex diſſidiis cognatorum Imperatorum compendia quærere, & in eum ſigna commovere, a quo prius armis laceſſitus non fuerit, provocatusque (A). Tantum erat in pio Rege æquitatis, pacisque ſtudium.

Bellum cum Andronico III. & Michaele Bulgaro per filium Stephanum geſtum.

BULG. At, ubi demum anno 1330. Andronicum juniorem, renovatis cum Michaele Bulgaro fœderibus in caput ſuum conſpiraſſe, ac propediem in ditiones ſuas irrupturos ſenſit, & ipſe arma expediit, atque Achridam, nonnullasque alias imperii urbes non ſegniter oppugnare aggreſſus eſt. Erant hæc hoſtilitatis præludia, quæ anno denique 1331. in apertum bellum erupere (B), cum Andronicus III. per Pelagoniam, Michael vero Bulgarorum, Scytharumque copioſo ſtipatus exercitu per Pæoniam Serbliæ infuſi ſunt, cunctaque ferro, & igne evaſtarunt. Prælium, quod tunc Stephanus Duſianus Uroſii III. filius pro patre cum Bulgaris contraxit (C), varie narrant Scriptores (D): cecidiſſe in prælio Michaelem omnes perhibent. Chronicon noſtrum hæc pauca de eodem refert: *Exiit Princeps Scythorum Michael Czar cum magno exercitu, & cum eo nationes circumpoſitæ Tartari Baſſarabi, quos ille ducebat ad occupandum regnum avitum beati Regis Stephani. Verum ipſe hic Czar re nulla effecta cecidit infeliciter in foveam, quam ſtruebat alteri. Et cum cecidiſſet in prælio, adduxerunt eum in Gegligovo, ubi mox vitam finiit, ſepulcro donatus eſt in Eccleſia Sancti Georgii in pago Gorichina: excercitus vero confuſus turpiter rediit.* Enituit eo prælio virtus Stephani Principis, & Theutonicorum militum mille tercentorum, quos Raguſæi in Regis obſequium conduxerant. Victoriæ a Serbis relatæ is fructus fuit: ut *Theodora* ſuperinducta Michaelis vidua Conſtantinopolim a Bulgaris Proceribus depulſa ſit; *Neda* vero ſoror Uroſii Regis cum filiis, ad capeſſendum imperium, ex quo, quam inique, tam propudioſe olim ejecta fuerat, revocata ſit (E): quod tamen, nec ipſi, nec prolibus diuturnum fuit, ſeu gentis mobilitate, ſeu negotiorum mole aliud expoſcente. Nam paucum poſt tempus, Alexandro totum Bulgariæ imperium arripiente, Neda Regina cum Joanne filio ad Stephanum jam per

Cædes Michaelis, & fructus victoriæ.

Ser-

(A) Cantacuz. L. 1. c. 5. (B) Cantacuz. L. 2. c. 21. Gregoras L. 9. (C) Orbinus, Ritterus. (D) Gregoras, Cantacuz. Orbinus, Chron. Serbl. MS. (E) Cantacuz. L. 2. c. 21.

Serbliam regnantem, Simeon filiorum alter ad Tartaros tranſiit (A). Ritterus his ſuperaddit: Bulgariam a clade illa Serviæ vectigalem factam, obſtrictamque ad XII. vertagos, falcones totidem, ac bello expoſcente præſtanda pari numero armatorum millia (B), quæ unde, niſi ex Laonico, & Luccario ſumſerit, ignoro: nam Scriptores cæteri, nec tributi ejus, nec clientelæ meminere: quæ, ſi etiam fuit, diuturna non erat. Nam anno jam 1336. factione Procerum ejecta defuncti Uroſii Serviæ Regis ſoror Neda cum prolibus, nunquam ad regnum rediit, ſolusque Alexander, affinis Stephani Duſciani, ſuo jure rexit.

XIII. Stephanus filius a patre Zenta donatur.

SERBL. Victor de Michaele, & Bulgaris Uroſius, Stephanum filium ob operam eo bello præclare navatam, atque in victoriæ præmium Zentana regione donavit, quanquam adhuc cælibem. Ibi, cum procul a Patris conſpectu degit, a ſeditioſis Proceribus, ſeu ſenectutem, ſeu ſanctitatem Uroſii regis peroſis, ad arripiendas regni habenas ſolicitatur. Præter multa alia objiciebant periculum, ne corona, quæ ipſum ordine genituræ attinebat, a patre vetulo novercæ artibus circumvento, in Simonem ex ea natum, ipſo poſthabito transferretur. Tunc vero ſera fore conſilia, nec profuturos conatus obſiſtente hinc patre Uroſio, & noverca, inde Imperatoris cognati viribus. Occupanda eſſe hæc molimina, & facti celeritate deſtinationes eorum prævertendas. Verum, cum neque his terriculamentis moveretur Stephanus, invitum, obluctantemque Regem acclamant affluente paucos intra dies militia, & novo Regi applaudente. Proceres factionis capita *Karavid*, *Franuta*, & *Juras Illiich* copiarum parte inſtructi Uroſium Regem ſenem nihil tale cogitantem, timentemve, cum ſe innocuo venatu ad Pebicæ caſtrum oblectat, ex improviſo adorti, captivum ad filium pertrahunt, moxque in *Suechan* arcem perductum, ferro onuſtum in carcerem compingunt, paucosque intra dies, ne ſceleri quid deeſſet, invito quidem, ſed furori Procerum reſiſtere non auſo filio, fauces func adſtricto elidunt anno 1333, & in cœnobio Sancti Salvatoris de Skosna, quod ipſe condiderat, tumulo inferunt (C). Stephani Uroſii III. fato miſerabili perinde, ac Bulgarorum cladi ſol deliquio ſuo parentavit. De cujus vita, nece, ſanctimonia, &c. ac poſteris hæc pauca manuſcriptum noſtrum vulgavit: *Vixit*, inquit, *Stephanus Rex Uros III. ſapienter, & Deo gratus glorioſe tanquam bonus Chriſti miles, & MARTYR. Nam a patre oculis orbatus eſt: a filio vero ſuo Stephano, dæmone inſtigante multa paſſus, & in arce Decban in carcerem con-*

Seditio Procerum in Regem Uroſium III.

Cædes, ſepultura, & miraculorum gloria aſſerta Uroſio.

(A) Cantacuz. L. 3. c. 2. (B) In Servia illuſtrata, & Luccar. L. 2. Laon. L. 1. (C) Orbinus, Ritterus.

conjectus est: ubi, toleratis multis solicitudinibus, Divus Nicolaus tertio jam se ipsi visendum præbuit, dixitque: PARA TE, STEPHANE! AD ITER; FINIES ENIM STRANGULATIONE FAUCIUM IN ARCE DECHAN: quod & factum. Occisi corpus translatum est in cœnobium Dechani, quod ipse construxerat, in quo hodieque quiescit incorruptum, multaque miracula patrans, ac sanitates impertiens, odorem suavissimum exhalat. Urosii proles. *Genuit beatus Stephanus tres filios, quorum nomina sunt Dusman, Dusian, & Simon; & filias duas: Elacsam, & Theodoram.* At Gregoras invito Stephano, qui tunc annum vicesimum secundum agebat, cædem peractam tradit (A).

BULG. Hæc, si ita, quemadmodum a nobis narrata sunt, se habeant; Sanctum quidem, & gravissima passum, ac sacrilega demum nece sublatum Stephanum Urosium admisero: at nondum assequor, qua de causa & *Martyrii* lauream, & *Martyris* titulum eidem vestra adscribat historia, nisi odio fidei, aut virtutum peremtum velitis: quod quidem etiam esse potuit, quanquam causa alia neci obtenderetur. Nam, cum hunc quoque Ecclesiæ Romanæ fide, ac obedientia conjunctum comprobaverimus; esse sane potuit, hæc ipsa confessio odiorum origo adversus sanctum Regem apud improbos quosdam Proceres a Sacris Romanis aversos, ac Schismati perdite addictos. Hoc vero utcunque sit, cultui ejus religioso majores vestri diem XI. Novembris deputarunt, quo ad Superos migravit (B).

An etiam Martyribus adscribenda?

COLLO-

(A) Gregoras L. 9. (B) Calendaria Serviæ.

COLLOQUIUM NONUM.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM, REGE ET IMPERATORE STEPHANO DUSIANO.

SERBL. Poſt crudelem patris cædem, regnum auſpicatus Stephanus bellum continuo Græcis intulit, & ſubjugatis eorum partibus, tandem in urbe Phærarum Imperatoris nomen, ac diadema ſumſit, dictus *Czar Stephan.* De quo cum plurima ſcribi poſſint, hiſtoricus noſter univerſa in hæc pauca contraxit. *Patriam*, inquit, *illuſtravit quam maxime, & ſubactis ditionibus circumpoſitis, regni Serviæ fines parte ex omni ampliavit, geſtis bellis quam plurimis. Erexit prope Prisren ad Biſtritze fluvium Eccleſiam nobilem honoribus ſanctorum Archangelorum Michaelis & Gabrielis, in qua & ſepulcrum nactus eſt, cum vivendi finem feciſſet anno 6864. (A) menſis Decembris die XX. qui in Dominicum incidit. Genuit Uroſium filium anno 6845. (B), & ſucceſſorem imperii reliquit: Proceribus ad fidem juveni Imperatori ſancte ſervandam juramento multiplici, horrendisque execrationibus, adſtrictis.* I. Stephani Duſiani geſta ex ms. Servico.

BULG. At, quæ de maximo hoc Rege & Imperatore ſcriptores alii memoriæ prodidere, tam magna, tam inſignia ſunt, ut jure ſibi peculiarem hiſtoriam vendicent. Nos præcipua, & primis tantum lineis adumbrabimus. Stephanus a miſericordia, & profuſis eleemoſynis cognomentum *Duſiani* (C) ſortitus, ob præpotentiam, etiam *Silni* (D) dictus; ut ſtatura ſupra ejus temporis homines eminebat (E) ita corpore ad elegantiam, & Majeſtatem conformato fuit. A liberalitate, munificentia, pietate, cæterisque animi dotibus, quæ Regem magnum efficiunt imprimis conſpicuus, ac inter ſummos ævi ſui duces numerandus, Serviæ regnum ad ſupremum felicitatis apicem perduxit. Ducibus armorum fortiſſimis, ac validis inEadem ex aliis Scriptoribus.

(A) Eſt annus Chriſti 1356. (B) eſt an. C. 1337 (C) Orbin. (D) Jolincius Paulus. (E) Philippus de Maneziis in vita B. Petri Thomaſini c. 3. Orbin.

ſtructus exercitibus, nec peregrino deſtitutus milite, Theutonicorum, Cumanorum, & Turcorum Chriſtianorum, quos partim pater, partim Avus adlegerant (A) ſuos ad omne genus militiæ informavit, bellorumque aſſiduitate, diſciplina & arte, regni fines longe, lateque protulit; nec minus tuendis, quam proferendis incubuit. Regnum auſpicatus anno 1334 (B) cum Bulgaris, eorumque Imperatore recens electo Alexandro Michaelis cæſi conſobrino amicitiam, fœdusque compoſuit, connubioque cum ſorore ejus Helena (C) virgine lectiſſima inito, novo hoc vinculo arctius obligavit, & vel vectigalem, aut in clientela habuit (D). Imperio Orientis provincias integras detraxit partim Andronico III. imperante, partim quinquennio illo, quo Joanni Cantacuzeno tutori cum hærede Joanne Palæologo pro imperio contentiones interceſſerunt. Tunc enim aſſerta ſibi magna imperii Græcanici parte, regnum ſuum per *Romaniam*, *Thraciam*, *Theſſaliam*, *Macedoniam*, *Bulgariam*, *Albaniam*, *utramque Epirum*, & *Acarnaniam*, *Ætboliamque* usque *Eubœam* ſeu *Negropontem* produxit: hinc *Iſtrum* & *Savum*, inde *Hebrum* flumina: parte alia *Hadriaticum*, *Jonium*, *Ægæumque* maria contingens, & magna parte emenſus, eggreſſusque. Sed hæc tanta provinciarum pridem corruptarum acceſſio, unioque ad Servicum imperium, non paucis proborum fraudi deinceps fuit; cum variarum hæreſeon, & multiplicium errorum ſentinam ſecum una invexiſſet, quæ poſtea grave negotium Stephano Imperatori, moleſtiamque faceſſivit, nec quavis ejus induſtria exhauriri pouit, ut mox dicturi ſumus; quin triſtiſſima mali veſtigia recentia, vegetaque ubique fere cernerentur, quæ annus 1368 plenius deteget (E). Tot vero, ac tam vaſtis terrarum tractibus auctus Stephanus, anno MCCCXLV. *Romanorum*, *Sclavorum*, & *Albaniæ Imperatorem* ſe inſcripſit (F): calyptra Imperiali per primum Serviæ Patriarcham Joanichium capiti impoſita (G), & inſtitutis aulæ magiſtratibus, honoribusque exemplo, aç imitatione Græcorum. Illo ergo die *Uroſium* filium tenerum adhuc *Serviæ Regem* coronavit, & *Cbralem* dixit: *Cæſarem* Gregorium Galubiam: *Protoveſtiarium* Nicolaum Buchiam: *Deſpotam* alium, *Sebaſtocratorem* magnum *Logobbetam*, *Camerarium*, atque alios aliis dignitatum titulis ornavit auxitque. Ordinem adhæc militarem inſtituit, quem *columnam ſancti Stephani* nuncupavit (H), quo ornavit ſuorum præcipuos, Legatosque Principum, qui ſolemni huic conventui adfuere.

SERBL.

Cum bello captis provinciis hæreſes quoque Serviæ imperio acceſſere.

(A) Orbin. Gregoras Cantacuzenus. (B) Jolincius ſcribit: coronatum in Regem in aula Sverka per Danielem Archi-Epiſcopum ad an. 1336. ſed fallit calculus: Nec Daniel ad hoc tempus in catalogo noſtro Archi-Ep. occurrit. (C) Cantacuz L. 3. c. 43. quam Orbinus Rogosnam vocat. (D) Laonicus L. 1. Orbin. Ritterus in ms. (E) de quo Coll. ſequenti. (F) Cantacuz. L. 3. c. 89. (G) chronicon citatum in notula apud Jolincium. (H) Luccarius Ritterus.

SERBL. Stephani Imperatoris, quia plurima, assiduaque fuerunt bella, & se velut ex ordine exceperunt cum Græcis, Turcis, Tartaris, Hungaris, Bosnensibus; persequi singula longum foret, compendio, si potes, collige.

Bella Stephani varia ac præcipue Hungarica.

BULG. In Turcos, aliquando per Græcos Imperatores in Europam excitos, alias ultro ac per se in Thraciam irrumpentes, non uno prælio decertavit, nunc suo marte, alias virtute belliducum, ac præcipue Uglieſæ, quem Romaniæ, Macedoniæque finibus præfecerat, contudit, ac profligavit (A). Adversus Hungariæ reges ter castra ad Savi flumen promovit: primum anno 1335. cum enim Syrgiane duce ad Thessalonicam amisso, pacem, fœdusque cum Andronico III. Imperatore composuisset, Augusti etiam auxiliis adjutus, Carolo Hungariæ (B) Regi Savi transitum minitanti exercitum objecit, & ab invasione meditata avertit (C). Secundo, anno 1343. cum Ludovicus Caroli successor ad fines Serbliæ valido cum exercitu processisset, Stephanus quoque fortissimis succinctus copiis obvium se Regi stitit. Illic cum aliquamdiu Savo flumine divisi castra castris opposita haberent, nec integrum jam esset Stephano tota acie decernere, nam robur ejus exercitus Amurius Smyrnæ Turcorum princeps Europæ infusus in orientem avocabat: paucitatem militis, quem Ludovici vasto exercitui tuto objicere non potuit, ingenio adjuvandam, tegendamque duxit. Igitur exercitu diei fere itinere reducto, majoreque parte in Orientem aversa, sylvam vastissimam *Lomnizą* & *Rudnik* dictam in struem confusam, ac imperviam cædi jussit, quo decretoriæ pugnæ copiam præcideret, paucis nihilominus diverticulis ad velitationes relictis. His perfectis, mox in colloquium cum Ludovico descendit, diffidia, si posset placidius compositurus. Verum cum principes colloquio primo haud coaluissent, rem deinceps per Legatos tractare placuit. Sed neque his negotiatio ex voto cessit. Quatvor articulos præscribebat Ludovicus Stephano: *primum*, ut fidem Catholicam profiteretur, & Romanæ Ecclesiæ se submitteret (D): *secundo*, ut provincia, quam *terram Regis Stephani* vocant, velut rursum ad coronam Hungariæ relapsa decederet. *tertium*, ut Regum Hungariæ jus supremum agnosceret, fidelitatem, obedientiamque sponderet. *Postremo* demum, ut *Uroſium* filium pacis, pactorumque obsidem futurum sibi in manus traderet (E). Quibus conditionibus cum Stephanus haud subscriberet, liberrimique Regis jura, nullique prorsus devincti aut obnoxii tueretur tenacissime, solvit colloquium: corruptisque flamma ac ferro

(A) orbinus. (B) non Ludovico, ut nonnulli ponunt: is enim ante 1342. non regnavit. (C) Cantacuz. L. 2. c. 25. (D) ab hac enim recessisse, illata patri cade, verisimile fuit. (E) Orbinus. Jolincius.

ferro circa Belgradum agris, ſolitudineque relicta, retroceſſit, magna celeritate in orientem contendens, quo oblatum majus periculum avocabat. Rex Ludovicus hoſte e conſpectu ſublato, trajecto Savo cum copiis ad ſaltus usque proceſſit, ulteriora, quod hoſtilis acies velut pro mœnibus excubaret, ingredi expavit, tentatisque leuibus aliquot velitationibus, ne ſuos indagine illa involveret, revertit. Quare, quod unum tunc potuit, Belgradum ad Serviæ limen poſitum, ſed deſertum, & vetuſtate dehiscens novo opere exſtruxit, militeque copioſo communivit! ut hac arce velut jugo Servianorum cervicibus impoſito, & infeſtationes eorum ſubmoveret, & ipſe, quoties opportunum videretur, procurreret, laceſſeretque (A). Tertia tandem vice anno 1348 Stephanus Imperator iterum in Ludovicum arma commovit, proximeque ad ripas Savi, atque Danubii Hungarorum exercitui ex adverſo excubanti ſe videndum objecit. Verum ne tunc quidem quidquam memoratu dignum actum eſt: Stephano rurſum ad ſua per Macedoniam, Romaniamque tuenda redire coacto. Nam Cantacuzenus Imperator, abſentia Stephani in rem ſuam uſus; adſcitis ab Orchane Turco auxiliis, ductuque filii ejus Solimani, qua vi, qua dolis, metuque injecto complures urbes, quæ nuper in Stephani fidem conceſſerant, ad defectionem impulit, & poteſtatem ſuam recepit; Turcisque in ulteriores Stephani ditiones immiſſis, vaſtitatem intulit (B). Nec Hungari in Servia hac vice rem ſuam promovere, ſeu, quod a Stephano ad defenſionem in memorata Sylvarum indagine relicti excubarent, ſeu, quod vis morborum ex ære corrupto profecta magnam Hungarorum partem abſumſiſſet (C). Redux in Romaniam Stephanus, pace cum Cantacuzeno fruſtra tentata; anno 1349 bellum promovit, & ablata recepit. Hæc de bellis Hungaricis.

Quarta expeditio Hungarica.

SERBL. His quartam ſuperaddit expeditionem Jolincius, aitque ſub extremos imperii annos, Stephanum, & Chrobatos oppugnaſſe, & a Ludovico Belgradum abſtuliſſe. Nam, ut recte advertit Timon (D) Belgradum neceſſario Stephani quæſitum eſſe debuit, cum Paulus Birinius eo nomine, quod Stephani Imperatoris ex fratre per Michaelem nepos eſſet, ſubinde in communionem bonorum Hungaricorum pro Belgrado datorum ſit amiſſus. At, utcunque ſe hoc habeat, tu cursum geſtorum Stephani proſequere.

15 Bellum Bosnense.

BULG. Anno 1350 cum Ludovicus jam ſecundo in Neapolitanum regnum trajeciſſet; Stephano Bosnæ Bano, qui occupatis bello in Romania Servianis, a Trebina Catharum usque graſſatus fuerat,

(A) Orbinus. (B) Cantacuzenus L. 3. c. 19. (C) Orbinus. (D) in imagine novæ Hungariæ c. 4. p. 22.

rat, bellum intulit ſtipatus exercitu millium armatorum quinquaginta: deſertumque a ſuis, univerſa fere provincia exuit, occupatis etiam, ac milite communitis *Chelmi* præſidiis *Imota*, ac *Novo*. Bello huic interceſſere Veneti cum Raguſæis: nec alienus a pacis conſiliis erat Stephanus Imperator: duas conditiones præſcribebat, ut Bosnæ princeps Uroſio filio ſuo Eliſabetham natam deſponderet, & dotis nomine Chelmi provincia, quæ ad ſe, ſtirpemque ſuam jure meliore ſpectabat, decederet (A); ſed Bosnæ principe in neutrum conſentiente, Eliſabetha quidem ſerius Ludovico Regi uxor obvenit (B). Stephanus autem pace nondum confecta Raguſium, ac inde Catharum conceſſit: ex qua urbe *Nicolaum Buchiam* Proto-Veſtiarium ad Joannem Francorum regem ablegavit, inde *Uroſio* thori ſociam expetens. Verum, cum hoc etiam connubium ob rituum in Sacris diſcrimen haud ſucceſſiſſet; anno 1351. Valachiæ Principis filiam Uroſio Regi juveni deſpondit, quæ tamen in thorum ob teneram utriusque ætatem ante annum 1355. non ſucceſſit (C). Anno 1352. Tartaros in Serviam irrumpentes auxiliis etiam Hungarorum uſus repreſſit, finibusque ſubmovit (D). Anno 1354. fœdus cum Venetis, quorum Senatui nomen dudum antea adſcripſerat, adverſus Regem Hungariæ ſanxit: in ſocietatem fœderis venerunt quoque Stephanus Bosnæ Princeps, urbesque Dalmatiæ Tragurium, Sibenicum, Cliſſa, & Scardona. Anno eodem Joanni Palæologo adverſus Joannem Cantacuzenum, & filium ejus Matthæum, ac his fœderatum Orchanem Turcum auxilio fuit. Idem inſtitutum & anno ſequenti tenuit. Denique cum Solimanum Orchanis filium, qui in Cherſoneſo Thracica ſedem fixerat, Græcosque illi faventes bello petiturus, lectiſſimo octoginta millium exercitu ſuccinctus, in Thraciam caſtra promovet, in oppido Diampoli febre immedicabili correptus exhalavit XX. Decembris (E) anno MCCCLVI. cum nondum ætatis quintum, ac quadrageſimum attigiſſet (F). Corpus defuncti magna pompa, & luctu majore in æde Sanctorum Archangelorum, quam ſtruxerat ad Prisren urbem, conditum eſt. Quid in hoc heroe Turcis infenſiſſimo, chriſtiana Respublica jacturæ paſſa ſit, incrementa, & progreſſus Turcorum, qui deinceps conſecuti ſunt, oſtendent ad liquidum. Filium reliquit unicum Uroſium, quem moriturus fidei Procerum, Summorumque Præfectorum multis juramentis adſtrictæ commendavit. *Rusnam* filiam, quam Scriptores nonnulli Stephano tribuunt, & Matthæo Cantacuzeno nuptam volunt, vereor, ne confuderint cum filia Liberi, ſeu Vukaſini; quanquam nec hæc Matthæo, ſed fratri ejus juniori Manueli nupta fuit (G).

Geſta vetera.

Obitus, et ſepultura.

(A) Orbinus. (B) Thurozius, & alii Hungariæ Scriptores ad annum 1357. (C) Orbinus, Ritterus. (D) Villanus. (E) Scriptores Latini ponunt XVIII. Octobris. (F) Conſtat ex Nicephoro Gregora L. 9. ubi de Patris cæde agit. (G) Vide Cantacuzenum L. 3. c. 48. & L. 2. c. 38.

SERBL. Poſt tam multa, glorioſaque de Stephano Rege ac Imperatore in cumulum collecta, reliquum eſt, ut in ejus religionem diligentius inquiramus. Principis pietatem commendat apud nos cumprimis, cœnobiorum, Eccleſiarumque complurium, erectio, inſtauratio, dotatioque, tum & tributum, quod Raguſæi ob *Stagnum*, *ac Pontam* Imperatori pendebant, Hieroſolymitanæ Sancti Michaelis Eccleſiæ transſcriptum, cœnobia complura, inter quæ ſunt montis Atho, ac hoſpitalia aucta, & amplis beneficiis dotata. Denique parem cum Avo, & Parente venerationem in Divum Nicolaum geſſiſſe Stephanum, teſtis eſt Antonius Beatillus (A), & diploma Raguſæ anno 1346. exaratum, cui titulus præfixus legitur: *Stephanus Dei Gratia Romaniæ, Sclavoniæ, & Albaniæ Imperator.* At in Romana Sacra, Sacerdotiumque iniquiore, imo hoſtili fuiſſe animo Orbinus innuit, cum deſpoliatas ab eo auro omni, argentoque Latinorum Eccleſias per utramque Zentam, refert. Et quanquam facti invidiam in Helenam conjugem derivet, ac Pontificis minis perſtrictum, damna omnia reſarſiſſe Eccleſiis tradat, nondum tamen per hoc e hoſtium Latinæ Eccleſiæ numero Stephanum exemit.

Ejus pietas.

BULG. Fruſtra tu ex Orbino invidioſa hæc in Stephanum contorques. Nam, nec Helenæ, nec Stephani eam labem fuiſſe, *ſed quorundam iniquitatis, & abominationis filiorum*, teſtabitur infra ipſe Romanus Pontifex. Et vero non alienum, imo & Latinorum Sacris addictum Stephani animum plura detegunt. Nam & Senatus Veneti albo adſcribi voluit, & Raguſæos Romæ apprime devotos fovit, quibus *Stagni*, *ac Pontæ* donationem firmavit, ad quos anno 1346. & rurſum 1351. inviſit. Confirmant idem Latini in aula æque, ac exercitu frequentes: expetita cum Franciæ Regis filia connubii neceſſitudo, negotiatio præterea unionis, & Eccleſiarum concordiæ cum Clemente, & Innocentio utroque Sexto: repreſſa demum ſevere Schismaticorum in ſacra latina licentia, ipſaque fidei, ac obedientiæ profeſſio, quam per Legatos, & literas Sedi Apoſtolicæ teſtatam fecit.

Propenſio in Latinos, & Sacra eorum.

SERBL. Nova ſunt mihi, quæ ais, nec audita hactenus: iſtorum nullum in manuſcriptis noſtris veſtigium, & neque Dalmaticis, Latinisque rerum noſtrarum Scriptoribus. Age igitur, & recenſe primum Stephani cum Clemente VI. commercia.

BULG. Recenſuit ea Raynaldus ad annum 1347. (B) in hæc verba: *Concepit*, inquit, *Stephanus Raſciæ Rex pium ejurandi Græcorum ſchismatis, ac redintegrandæ veteris cum Romana Eccleſia conjunctionis deſiderium*,

Negotiatio Eccleſiarum unionis cum Clem. VI. per Scutarenſem Epiſcop.

(A) In Hiſtoria S. Nicolai Barenſis. (B) Ex Regeſto Vaticano n. 30.

derium (A), *quod cum Pontifici* SCUTARENSIS EPISCOPI *opera ſignificaſſet: Clemens illum ad perficiendum Sacrum Conſilium excitavit, Romanæque Eccleſiæ pro tuendo ejus regno ampliſſimum ſtudium eſt pollicitus ſubjectis literis* (B), *Clemens Magnifico Principi Stephano Regi Raciæ illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.* In quibus, poſtquam pluribus diſſeruit de providentia Divina, quæ nationes omnes ad ejusdem Eccleſiæ obſequium traducit; deque ſua ſupremi Eccleſiarum paſtoris in fide propaganda, congregandisque populis ſolicitudine nonnulla præfatus eſt, hæc ſubjungit: *Cum, ſicut lætanter, referente venerabili fratre noſtro* MARCO EPISCOPO SCUTARENSI, *audivimus: Tu divinitus inſpiratus, & Sancti Spiritus gratia illuſtratus, tuæ, & populi tui animarum ſaluti intendens, gregem ipſum ingredi, relicto cujusvis peſtiferi fermento Schismatis, deſideras, & affectas, & in ſinu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matris omnium fidelium, & magiſtræ communitati fidelium ipſorum ſalubriter congregari, & cum eis portionem integram bonorum illorum, quæ ſuis fidelibus præparavit Dominus, ipſo donante abundantius valeas promereri. Nos, qui locum illius, quamvis immeriti, tamen tenemus, qui omnes quærit ſalvos fieri, & neminem vult perire, excinde gaudii, & exultationis rore perfuſi, & eidem, qui rectum tibi dedit, ut perfertur, ſpiritum, immenſas gratias in humilitate ſpiritus referentes, tuæ ſalutaris devotionis in hac parte propoſitum multipliciter in Domino commendamus, tuam rogantes Excellentiam, & attentius in Domino exhortantes, quatenus conceptum, tibi divinitus inſpiratum propoſitum hujusmodi non exſtinguas, ſed potius magis, & magis ferveas in eodem. Nos equidem more illius hominis Evangelici ovem perditam requirentis, & ſuper humeros reportantis ad gregem, Te ſuscipiemus inter brachia paternæ dilectionis gaudentes, ſtringendo charitativis amplexibus Te tanquam filium prædilectum,* TUISQUE HONORIBUS, ET COMMODIS, QUANTUM CUM DEO FIERI POTERIT, INTENDENDO. *Super quibus eidem Epiſcopo, quem tuæ benevolentiæ recommendamus, propenſius fidem credulam poteris adhibere. Ut autem de tua intentione ſuper his operoſo effectui mancipanda plenius conſolemur, nos velis de illa, quæſumus, efficere per tuas literas certiores.* Datum Avenione VI. Nonas Martii, anno VI. Addidit his hortatorias ad Raſciæ principes (C). Ad *Nicolaum Buchiam* Protoveſtiarium (D), *Gregorium Galubiam* Raſciæ Cæſarem (E), aliosque Proceres: ut ad priſtinam Eccleſiarum conjunctionem revocandam pios adderent ſtimulos Regi Stephano: ſe enim paratiſſimum eſſe ad eundem ſinu paterno excipiendum, omnique amoris ſignificatione, ac ſtudiis proſequendum.

III. Epiſtola Clementis ad Stephanum anno 1347.

Ejusdem ad alios Principes Serviæ.

SERBL.

(A) Erant nempe in aucto Stephani imperio, ut plures provinciæ, ita multæ ſane diviſæ ab Eccleſia Romana. (B) T. 5. Clementis epiſt. ſecr. p. 1019. (C) Tom. 5. Secr. Clementis p. 1025. (D) Ibid. p. 1020. (E) Ibidem p. 1021.

Respondisse Stephanum indubium est.

SERBL. Marcum Scutarensem Episcopum, non suo ingenio, arbitratuve, sed Regio nutu, mandatisque egisse cum Pontifice, piumque Imperatoris sui Stephani propositum aperuisse, extra omne est dubium. Sed nec ambigo, post acceptas a Pontifice plenas paterni affectus literas, Imperatorem, ut Papa desiderabat, propriis literis de destinatione sua certiorem reddidisse, ac fors etiam assumti *Imperialis tituli* occasionem, causamque, ac jus ipsum exposuisse. Quam cuperem eas ex Archivo Romano depromtas legere. Sed an, & quid deinceps Clemente Pontifice sit subsecutum, penitus ignoro.

Et statum Ecclesiarum afflictum indicasse, Nunciosque optasse.

BULG. Utinam ad manum nobis essent ipsae Stephani Imperatoris ad Clementem VI. responsoriae, quas per legatum Avenionem ad Papam transmissas fuisse nec ego, nec tu ambigis. Nicolaum Buchiam Protovestiarium ad Joannem Franciae Regem pro conciliando connubio Urosii filii legatum anno 1351. fuisse, jam antea diximus. An idem vero, aut *Marcus Scutarensis Episcopus* tunc, aut paulo antea desideratas Regias responsorias Clementi obtulerit, tacentibus Scriptoribus, pro certo affirmare non ausim. Videtur vero propius, desideratum responsum, Regem in longum haud distuliisse, eodemque exposuisse pium suum propositum, se, regnumque conjungendi Ecclesiae, iisdem vero, aut aliis subinde literis adumbrasse profligatum Religionis statum per ampliissimas ditiones suas, errores, abusus, excessusque enormes, haereticorum, schismaticorumque effrenem licentiam audendi quidlibet: & ad extremum viros Apostolicos, qui tot malis remedium adferant, imploravisse: ac denique se, suamque operam, ac authoritatem ad corrigendum afflictum Ecclesiae statum, perficiendumque, largissime addixisse palam fit ex iis, quae immissis in arenam illam viris Apostolicis, Clemens deinceps egit per Serbliam, & ipse Imperator Stephanus.

SERBL. Hoc vero est, quod cognoscere magnopere cupio, quando in nostris annalibus altum de his silentium, & vix aliquid Dalmatae etiam Scriptores.

Clemens VI. legatos mittit in Serviam anno 1351. ad coercendos lolii Satores.

BULG. Clementem VI. convulso Ecclesiae Serblianae statui indoluisse, Stephani pium propositum collaudasse, excitasseque ad recte ceptis incumbendum, perducendasque in finem optatum intentiones pias, res est indubia: & cum complures haeretici, ac schismatici in Rasciae, Albaniae, ac Sclavoniae, aliisque adjacentibus partibus effusa licentia grassarentur, *hos mali seminis satores*, *loliique*, a finibus christianorum arceri jussit, huncque in finem anno 1351. nuncios suos constituit *Antonium* ex Minorita primum *Hieropolytanum*, ac tunc *Duracensem* Archi-Episcopum, *Eliam Ragusinum*, ac] *Bartholomaeum Tragurienſem* Antistites, destinavitque in Rassiam ad exequenda mandata Pontificia.

Testis

Teſtis horum eſt Vadingus (A), qui Tomo 6. annalium citat epiſtolam iisdem a Pontifice inſcriptam Avenione XI. Kal. Septembris 1351. refertque Apoſtolicam eam expeditionem oppido difficilem, ac laborioſam Nuncios illos ingenti alacritate ſuscepiſſe, præcipuaque ſui commendatione, ac magna gentium illarum utilitate legatione perfunctos. Sed ea Clementis ad Regem epiſtola per nuncios delata, ad manum nobis non eſt.

SERBL. An vero Nunciorum relatio ad Clementem facta in tua eſt poteſtate: multa ſane ex ea innoteſcerent, quæ ad Stephani Imperatoris commendationem faciunt: nec enim absque ejus favore, ſtudio, auxilioque ſalutare quidquam agi potuit.

IV. Stephani legatio ad Innocentium VI.

BULG. Ex regiis literis, quas poſt deceſſum Clementis dedit anno 1353. ad Innocentium VI., palam eſt, magnas in ea nunciorum Apoſtolicorum expeditione ſacra, partes fuiſſe Stephani Regis, ac Imperatoris: Sed, quod magnopere doleo, latent hodieque aut in Archivis, aut collectionibus, quæ mihi præſto non ſunt. Raynaldus paucis innuit: *Stephanum Raſiæ Regem miſſis Oratoribus ad Innocentium, ſignificaſſe, ſe redintegrandæ veteris cum Romana Eccleſia conjunctionis cupidiſſimum eſſe. Repreſſiſſe ſchismaticorum licentiam, qui Sacerdotes, ac Præſules Catholicos dignitatibus, Eccleſiisque perturbabant, atque in eam proruperant væſaniam, ut Baptismo, & Confirmatione ritu Latino initiatos, negarent Chriſto conſecratos: atque idcirco Sacramentis iisdem ritu Græco repetitis, contaminarent.*

SERBL. Sed hæc mala Serbliæ, & remedia a Stephano poſita fortaſſe ex ipſis Innocentii reſponſoriis ad Regem, ac inſtructione Apocriſiariis, quos ad ipſum deſtinabat, data, plenius, luculentiusque innotescent. Novi enim, Innocentium VI. anno 1354. incipiente legatos Apoſtolicos *Bartholomæum Tragurienſem* jam antea Regi cognitum, charumque, & *Petrum Thomaſinum Pactenſem* Epiſcopos, ad Regem expediviſſe, eosque pro more ſolemni Romanorum Antiſtitum, inſtructione propria, ac peculiari muniviſſe.

BULG. Innotescunt, proh dolor! odia, malaque, ad quæ ſchisma fors, & Serblianos quosdam Græci ritus, in gentem propriam, cognatam, & ejusdem prorſus ſecum originis, quæ magna parte Sacris

(A) Vadingus T. 4. Item Raynaldus ad annum 1351., qui ait, Legatos in mandatis accepiſſe, ut promulgent proceſſionem Spiritus Sancti, ex patre, filioque, ac errores dedoceant: jam enim Cerulariani acriter oppugnabant Latinorum conſecrationem in Azymo, quin & Baptismum, ac Confirmationem.

Latinis operabatur, impulit, armavitque: & quibus Rex Stephanus pro modulo, ac viribus limitem posuit. Innotescit & constans, ac invariatum Regis desiderium Ecclesiæ Romanæ adhærendi, cujus Pontificem, *Christi Vicarium* agnoscit, ac profitetur: & quoniam per eadem tempora Cantacuzeno, & Palæologo pro imperio contendentibus, Turcæ in Europam, velut auxiliarii, non una vice inducti sunt, & christianos Bulgaros æque, ac Serblianos, nec a Græcis abstinentes, divexabant, sedemque jam in Chersoneso Thracica fixerant, in hos signa inferre, Ecclesiæque consilio, & spiritualibus adjuvari præsidiis enixe exoptabat, rogavitque partes *Ducis* christiani exercitus, sibi Apostolica authoritate deferri.

SERBL. Cuncta, quæ strictim attuleras, quia uberius literæ Innocentii ad Stephanum explanant, eas primum refer: tum & instructionem, qua idem legatos communiit, fidenter produc.

Innocentii VI. legatio, & literæ ad Regem.

BULG. Innocentii literæ (A) ad Regem Avenione exaratæ IX. Kal. Januarii anno Pontificatus II. (B) sic habent: *Innocentius* &c. *Stephano Regi Rasciæ illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Per dilectos filios Bosidarium Judicem generalem, & Nestegium Chephaliam Geren, ac Damianum de Catara civem Catarensem apocrysiarios, ac procuratores magnitudinis tuæ, ad Nos, & Sedem Apostolicam, diebus non longe præteritis destinatas, & præsentatas nobis per apocrysiarios ipsos literas Regias aurea tua Bulla munitas, nostro Apostolatui intimasti:* Ex quibus elucent egregia Regis gesta pro Catholicis. *quod audito, quod quidam Ecclesiarum, & monasteriorum Prælati regni tui fideles ejusdem Ecclesiæ, erant Ecclesiis, & monasteriis, in quibus canonice instituti fuerant, per quosdam ABOMINATIONIS FILIOS, contra justitiam destituti: & quod alii quidam, eisdem, & aliis fidelibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ in eodem regno morantibus, injurias, & contumelias irrogarent: & quosdam ex fidelibus ipsis ad reiterandum Baptismatis, & Confirmationis, per eos rite susceptæ irreiterabilia Sacramenta, invitos coegerant, non sine gravi offensa Dei, & læsione fidei christianæ. TU, VELUT SINCERUS IPSIUS FIDEI ZELATOR, ET CULTOR, id moleste ferens, ac gerens, prout debueras, admodum displicenter: & cupiens pro reverentia Redemtoris tui, qui ejusdem est author fidei, & pro salutis tuæ merito, tantis malis provisionis tuæ studio salubriter obviare: sub indignationis tuæ pœna districte præceperas, Prælatos destitutos, eosdem ad Ecclesias, & monasteria ipsa, quibus fuerunt, sicut præmittitur, destituti, restitui cum effectu: sex monasteriis tunc expressis, duntaxat exceptis, quibus de propriis Abbatibus, ad evitanda scandala, & pericula imminentia, tunc restitutio non poterat fieri: & quæ postmodum opportunitate capta, illis restitui procurasti. Quodque publice, ac patenter, &*

SUB

(A) T. 2. (B) Est annus vulgaris 1354.

SUB FORMIDABILIBUS POENIS EDIXERIS, quod nulla Ecclesiastica, sæcularisve persona Latinos, vel alios fideles ejusdem Ecclesiæ secundum verum Catholicum ritum ejus baptizatos, & confirmatos. rebaptizare, vel reconfirmare: aut eisdem fidelibus injuriam, seu violentiam irrogare, sive ipsos persequi, vel molestare præsumeret quoquo modo. Et quod omnes Episcopi, Abbates, & alii Ecclesiarum, & monasteriorum Prælati, Presbyteri, & Clerici Sæculares, & Regulares fideles ipsius Ecclesiæ ubicunque, & quomodocunque in regno detenti prædicto, restituerentur debitæ libertati, & ad Ecclesias, monasteria, & Ecclesiastica Beneficia sua quælibet libere, ac sine impedimento redirent: Divina in iis celebrarent officia, & prout alias ad eas pertineret, ministrarent eisdem, ac aliis Christi fidelibus juxta Ecclesiæ præfatæ consuetudinem rectam, & observantiam salutarem, Ecclesiastica Sacramenta. Et quod licitum esset omnibus in dicto regno morantibus fidem, quam ipsa Ecclesia tenet, docet, & prædicat, tenere libere, & prout eis competeret, illam docere voce libera, & publice prædicare. Et quod, ut sinceriorem te probares verioribus argumentis ipsius catholicæ fidei amatorem, eos, qui secundum hujusmodi ritum, & formam Ecclesiæ prædictæ Baptismatis, & Confirmationis susceperant Sacramenta, & vel vi, metuve coacti, sicut prædicitur, vel forsan errore devii hujusmodi Sacramenta, juxta usum, imo abusum verius, & abominationem, aliam damnabiliter iterarunt, arbitrio illorum, libertatique relinquens, ipsis ab hujusmodi reatu beneficium absolutionis impendi, eosque aggregari unitati ejusdem Ecclesiæ, devota mente petieras, & pio studio procuraras. Ac tandem ECCLESIAM IPSAM, DOMINAM, AC MAGISTRAM CHRISTIANORUM OMNIUM: AC ROMANUM PONTIFICEM UNIVERSALEM IPSORUM CHRISTIANORUM PATREM, ET VERUM IPSIUS CHRISTI VICARIUM, AC BEATI PETRI PRINCIPIS APOSTOLORUM SUCCESSOREM FIRMITER ASSERENS, SIMPLICITER CONFITENS, ET HUMILITER RECOGNOSCENS: Confessio catholica Regis Stephani.

devota instantia supplicasti, ut tibi Apostolicæ Benedictionis munus per Apostolicas literas mittere, & nihilominus destinare ad regnum ipsum aliquos viros probos, timentes Deum, & in lege ipsius plenius eruditos, qui venerabilis fratris nostri Bartholomæi Episcopi Tragurienſis dudum in partibus illis Apostolicæ Sedis internuncii, feliciter, favente Deo, inchoatis operibus, prosecutionis adjicerent studium, per quod ad optatum perducerentur exitum, dignaremur. Idemque Tragurienſis Episcopus, cujus relatibus adhiberi fidem, per easdem literas petisti, nobis exposuit: quod Tu populo christiano partium Orientis, super afflictionibus, & persecutionibus duris, quibus eos Turcarum furor immanis indesinenter angariat, viscera pietatis Regiæ ad compassionem aperiens, & ad opprobria exprobrantium nomini christiano tollenda, & auferendam perfidam gentem credentium de finibus: attendens animi tui zelum, & excitans potentiam Regiæ dignitatis: desiderabas ab eadem Ecclesia matre tua, contra Turcas ipsos Capitaneus ordinari; ut Ecclesiæ ipsius spirituali adjutus auxilio, & directus consilio, virtute Altissimi, qui piis favet libenter operibus, gregem Domini

Qui etiam petiit, ab Ecclesia Dux sacri belli in Turcos instituit.

ipſum, velut populum, de luporum eorundem, ſcilicet Turcorum faucibus potenter erueres, & ſubactam jugo miſerabili ſervitutis, chriſtianam abſolveres libertatem. Quibus omnibus intellectis, exultavit cor noſtrum in Domino, lætatus eſt ſpiritus, & mens ipſa in jubilum gaudii potioris erupit, ac eadem Eccleſia mater tua; Ei, qui, ubi vult, ſpirat, & corda Regum in manu ſuæ continet poteſtatis, quique hunc tibi formavit animum, & infudit affectum, ſuppliciter agens humiles gratias, & laudationem devota voce perſolvens; ipſum oravit, & orat aſſidue, ut Te in hac zeli rectitudine, in hoc fervore ſpiritus, in hac puritate fidei, in hac devotionis ſinceritate conſervet, diesque tuos longævos faciat: & poſt bella Domini, ad quæ robur tuæ potentiæ animoſe, ac ſtrenue obtuliſti, feliciter conſummata in ſua pace diſponat: ſicque Te, ac ſubditas Tibi nationes regere, ac gubernare concedat, quod poſt hujusmodi labilis peregrinationis excurſum una cum eis ad Sancta Sanctorum puris introire manibus mereaſis. Porro, FILI CHARISSIME! poſt dictorum apocriſiariorum tuorum ad Te reditum, affectionis, quam ad tanti boni felicem exitum nimirum gerimus, nos continua ſollicitavit inſtantia, & eo nobis ſtudium diligentiæ potioris indixit attentius, quo in rebus avide concupitis, ſicut frequenter experientia Te didiciſſe credimus, ipſa quoque celeritas ſæpe tarditas reputatur: tandem cogitantes, & perquirentes cum omni ſolertia viros, quos tanti miniſterii promotioni utili, utiliter deputare poſſemus; inter cæteros, quos indagationi noſtræ idoneos ad hujusmodi miniſterium conſideratio multiplex obtulit, idem Epiſcopus Tragurienſis occurrit. Etenim ipſe, cum ſit tibi familiariter notus, & ſicut eædem literæ teſtabantur, pro meritis ſuis acceptus, & charus, poterit efficacior promotor eſſe negotii: & pro eo, quod tanto bono, bonum Deo favente dedit initium, ut illud ad finem ipſo dirigente, & promovente perducat, inſtantius laborabit; cum ex more opifex quilibet conſummationem ſui officiatur ad operis, & ad conſervationem ejus ſolicitus inducatur: Cui etiam venerabilem fratrem noſtrum Petrum Epiſcopum Pactenſem magiſtrum in ſacra pagina, virum utique religioſum, vita, moribus, & converſatione laudabilem, & plenum timore Domini dedimus ſocium: ac ſimul ambos ad Te, ipſumque regnum tuum, ſub fiducia ejus, qui concordiam in ſublimibus ſuis parat, quique parietem utrumque connexuit, præſentialiter deſtinamus: ut ex ſparſo in eodem regno per Epiſcopum Tragurienſem eundem ſemine verbi Dominici vitalem ſegetem pullulantem doctrinæ ſalutaris aqua irrigent, ſuccidant renaſcentium ſpinas errorum, evellant ſchismatum ſuccreſcentes tribulos, & ſeminatorum eradicent zizania ſcandalorum, ſicque ex ejus ſegete diligentibus purgata cultoribus, dante illi Domino incrementum, manipulorum multitudo, fidelium ſcilicet numerus copioſus, meſſis in tempore colligatur: & fides ipſa, quam mediator Dei, & hominum Chriſtus ſupra firmam Petri petram, id eſt, ipſam Romanam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, cujus ipſe Chriſtus caput, fundator, & rector eſt, ſic firmiter ſtabilivit, ſic illam eidem Eccleſiæ inſeparabiliter copulavit, quod, licet multos ab ipſius Eccleſiæ corpore, fallente diabolo, vel contagioſus hæreſis morbus abjecerit, vel ſciſſura damnati ſchiſmatis

Laudes Regis.

ſmatis ſeparavit; ipſius tamen fidei immaculata ſinceritas apud eandem Eccleſiam permanens, velut tritici granum in area, quod per paleæ purgatur abſceſſum, & lux fulgentis ſideris, quæ irradiat, per excuſſionem offuscantium nebularum ſplendidius clarior eluceſcit, palmites ſuos ubique dilatans, figensque radices, emicat purior, & fructus, quibus eadem mater Eccleſia, quaſi renaſcentis prolis numeroſitate jucunda, auctori ſuo jucunditatis, & lætitiæ cantica replicet, in ubertate perducat. Quapropter Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino illam attente rogantes, Tibi in remiſſionem tuorum peccaminum ſuadentes: quatenus eosdem Epiſcopos pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia benigne recipias, & favorabiliter proſequaris, ipſorumque ſalutaribus monitis, & doctrinis devotius acquieſcas: & intuens, quod Dei noſtri perfecta ſunt opera, & quod juxta Evangelicam veritatem, non, qui inceperit, ſed, qui perſeveraverit, ſalvus erit. Redemtoris tui actiones pro viribus imiteris, ac in bono conſtanter opere perſeverans, ad ipſius feliciter inchoati negotii votivam conſummationem, ſic velut diligens operator ſolerter intendas, quod in eo, præſtante Domino, & cooperante miniſterio ſtudioſo, noſtris, & communibus fidelium Chriſti votis, & expectationibus ſatisfiat, ipſeque retributor bonorum omnium Deus, cujus eſt idem negotium proprie proprium, & cui nunquam ſine remuneratione ſervitur; ejusdem regni tui terminos ampliet, dilatet fines, thronum corroboret, & ſceptra confirmet: ac tandem Te, ſubjectosque tibi populos cæleſtis regni faciat cohæredes. Nosque non ſolum in hujusmodi Capitaneatus officio, ſed in quibuscunque aliis honeſtis, & licitis, vota tua, quantum cum Deo poterimus, Apoſtolicis favoribus proſequemur. Datum Avenione IX. Kal. Januarii anno II. qui eſt ſalutis 1354. Ejusdem argumenti literas exaravit quoque ad *Helenam Reginam* Raſſiæ, & *Uroſium* filium juvenem Regem.

Commendat Legatos Pontifex.

V. Literæ Innocentii ad Reginam, & Uroſium filium.

SERBL. Nec præteritum a Papa pleno zeli fuiſſe putem *Patriarcham Serbliæ*, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, ac Summos imperii Serbliani Proceres. Inſerendæ huc ſunt ſingulæ, nequid noſtros prætereat.

BULG. Archi-Epiſcopo Serbliæ, *Patriarchæ* titulum, quem Græci, ut antea diximus, genti noſtræ invidebant, & objectis etiam excommunicationis terroribus abrogatum ibant, Innocentius VI. pro ſumma in Eccleſias poteſtate, ultro largitus eſt, ac ratum habuit: ut adeo Græcorum fulmina, minasque, tuto hodie Serbliani ridere poſſint. Sed his omiſſis, epiſtolam ipſam audiamus: *Innocentius* &c. *JOANNICHIO PATRIARCHÆ SERVIÆ, Mediator Dei, & hominum Chriſtus Jeſus in Petri petra, Romana videlicet Catholica, ac Apoſtolica Eccleſia omnium fidelium Chriſti matre, quam ſolus ipſe fundavit, & rexit, ac regit: &, quæ ſuper cunctas alias orbis Eccleſias obtinet Divina diſpoſitione Primatum fidei, cujus idem ipſe Chriſtus auctor eſt, creavit, ſicque illam inſolubili vinculo, & inſeparabili unione copulavit eidem: quod, licet multos ab ipſius Eccleſiæ corpore, fallente diabolo, vel contagioſus hæreſis morbus abjecerit, vel ſciſſura*

Item ad Patriarcham Serviæ.

damnati Schismatis ſeparavit, ipſius tamen fidei immaculata ſinceritas apud eandem Eccleſiam inſeparabiliter permanens, velut granum tritici, quod per abſceſſum paleæ purgatius remanet, & lux fulgentis ſideris, quæ apparet clarior per excuſſionem offuscantium nebularum ſemper purior eluceſcit. HÆC SANE CHARISSIMUS IN CHRISTO FILIUS NOSTER STEPHANUS REX RASCIÆ illuſtris prudenter conſiderans, & dolens multos ex nationibus ſibi ſubjectis, ab eadem Eccleſia per ſciſſuram inveterati Schismatis, procurante ſeminatore ſcandali, patre doli fuiſſe diviſos, & ſaluti multitudinis, quæ ignara itineris veritatis, per abrupta gradiens, in præcipitium ruit, & quaſi navis in mediis fluctibus ſine remigio, mergitur; deſiderans providere: apud nos per literas, & nuncios ſuos ſuppliciter inſtitit, ut ad partes ipſas, viros aliquos timentes Deum, & in lege ejus plenius eruditos transmittere dignaremur, qui errorum inde tribulis extirpatis, & evulſis ſpinis quorumlibet ſcandalorum, in eis ſererent ſemen vitæ. Nos authoritate præfati Regis hujusmodi pium deſiderium, & laudabile propoſitum opportunius in Domino favoribus proſequentes, & ſperantes in illo, qui eſt verum lumen de lumine omnem hominem illuminans, quique lapis eſt angularis miſſus, ipſius Eccleſiæ fundamentum, parietem utrumque connectens: quod ipſe de cordibus errantium quorumcunque ignorantiæ tenebras virtutis ſuæ potentia effugabit, & illuminabit claritatis ſuæ luce oculos mentium eorundem, ut greſſus eorum ab invio retrahant, & dirigant ad ſalutem, ac ad eandem Eccleſiam univerſalem omnium fidelium Chriſti matrem converſi, incipiant chriſtiani vivere, qui viventes mundo, ipſi Chriſto mortui comprobantur. Venerabiles fratres noſtros Bartholomæum Tragurienſem, & Petrum Paſtenſem Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis nuncios, viros utique probitatis expertæ, profundæ ſcientiæ, probatæ virtutis, ac zelum Divinæ legis habentes, ad SERVIÆ, RASCIÆ, ET ALBANIÆ REGNA, & cæteras præfati Regis ſubjectas dominio, providimus deſtinandos. Ideoque diſcretionem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino illam attentius deprecantes, Tibique in remiſſionem tuorum peccaminum injungentes, quatenus prudenter conſiderans, quod ſicut fides, quæ nonniſi una eſt, & in nullo poteſt eſſe ſui diſſimilis, apud eandem Eccleſiam inſeparabiliter, ſicut præmittitur, permanet; ſic, qui extra ipſam Eccleſiæ communionem fuerit, eſt procul dubio extra fidem: & qui extra fidem manſerit, Divinæ gratiæ particeps eſſe non poterit, nec adoptionem recipere filiorum. Ac intuens, quod ſpecialiter tibi, qui in grege Domini, ipſa videlicet multitudine Paſtoris geris officium, QUANQUAM ILLICITE, CUM NON PER OSTIUM, ID EST, PER IPSAM ECCLESIAM IN OVILE OVIUM, SED ALIUNDE INTRAVERIS (A), incumbit ex debito, ut prius viam veritatis intelligas, & cu-

Laus Regis Stephani.

Reprehenſio Patriarchæ.

(A) Arguitur ob neglectam petitionem Pallii: Sed cum hunc vetuſtum morem Honorius III. in Saba I. Pechiæ Archi-Epiſcopo urſiſſe non inveniatur, privilegio, aut longa annorum ſerie, apud Servianos mos ille in deſuetudinem venit.

cuſtodiat intellectam, & ſic per illam incedens, puris, & rectis greſſibus eidem gregi vita, moribus, & doctrina ducatum præbeas ad ſalutem, ſicque illum ad æternæ vitæ paſcua introducas: dictos Epiſcopos tanquam Dei miniſtros, pro Divinæ Majeſtatis, ac noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia benigne recipias, honorifice tractes, ac favorabiliter proſequaris, & eorum ſalutaribus monitis, ac doctrinæ devotius acquieſcas, ipſisque in perſecutione tam ſalutaris, & Deo accepti negotii aſſiſtas conſiliis, & auxiliis opportunis; itaque negotium ipſum, præſtante Deo, cujus eſt proprie proprium, & tuo cooperante miniſterio ſtudioso, votivum perducatur ad exitum, & eandem Eccleſiam renaſcentis prolis multitudo lætificet: Tuque a retributore bonorum omnium, cui nunquam ſine remuneratione ſervitur, mercedis præmium, æternæ vitæ gloriam percipere merearis. Datum Avenione IX. Kal. Januarii Pontif. anno II. (A). Datæ vero anno, die, ac loco eodem ad *Prælatos cæteros*, hujus ſunt tenoris. *Innocentius* &c. *univerſis Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis per Raſſiæ, Serviæ, & Albaniæ Regna conſtitutis. Mediator Dei, & hominum*, (& reliqua, ut in datis ad Patriarcham, usque ad verba: *providimus deſtinandos). Ideoque univerſitatem veſtram monemus, requirimus, & hortamur in Domino vobis in remiſſionem veſtrorum peccaminum injungentes, quatenus prudenter conſiderantes, quod ad vos, & alios Prælatos, ac viros Eccleſiaſticos, qui in grege Domini, populo ſcilicet chriſtiano Paſtoris vice fungimini, ex debito ſpecialiter incumbit officii, eidem gregi linguæ miniſterio ducatum ſalutis oſtendere, ſibique paſcua æternæ vitæ directionis virga monſtrare: eosdem nuncios pro reverentia Divinæ Majeſtatis, & noſtræ, veſtræque ſalutis obtentu benigne recipiatis, & favorabiliter tractetis, ac ipſorum ſalutaribus monitis, & doctrinæ devotius acquieſcatis, ſibique in proſecutione tam ſalutaris negotii, conſiliis, & opportunis auxiliis aſſiſtatis: ita, quod hujusmodi negotium veſtro cooperante miniſterio ſtudioso, votivum perducatis ad effectum, vosque in præſenti famæ gloriam, & in futuro æternæ beatitudinis præmia conſequi valeatis.* Datum, ut ſupra. Ejusdem ad Archi-Epiſcopos, & Epiſcopos.

Denique nec multum diſſimiles fuere inſcriptæ *Oliverio Deſpotæ Serviæ*: *Præbulo Cæſari* Serviæ: *Georgio Magno Logothetæ*, & *Gayco* ſimiliter *Magno Logothetæ*: *Decano Sebaſtocratori* Serviæ: *Guilbo de Catara Comiti Camerario* Serviæ: *Palmannio Theutonico Capitaneo* gentis armigeræ: & univerſis *Principibus, Comitibus, Baronibus, & viris Nobilibus Serviæ*: quos omnes exhortatus eſt Pontifex ad fidem Romano-Catholicam toto regno ſuscipiendam, piumque hoc negotium ope, conſilio, exemploque ſuo promovendum, exhibendumque nunciis Apoſtolicis favorem, auxilium, benevolentiamque. Item ad alios Serviæ Principes.

SERBL. Poſt recenſitas Pontificis literas ad Regem, Principes, & Prælatos noſtros datas, reliquum eſt, ut mandata, commiſſiones, inſtructionem, & facultates, quibus idem nuncios ſuos communiit, in publicum proferas: illæ fortaſſis literæ arcanius quidpiam, dignumque memoria continent.

BULG.

(A) Eſt Chriſti 1354.

BULG. Literæ, quas optasti, proſtant T. 2. ſecretarum (A). Repræſentant eæ deplorandum Eccleſiæ Serblianæ ſtatum, & errores per imperium Serbliæ late fuſum vigentes apertius declarant, & provinciam mala eadem corrigendi nunciis Apoſtolicis injungunt; ſic vero habent: *Venerabilibus Fratribus Bartholomæo Traguriensi, & Petro Pactensi Epiſcopis Apoſtolicæ Sedis nunciis. Inter cætera, quæ Apoſtolatus officio, cui, quanquam immeriti præſidemus, illud potiſſime humeris noſtris incumbit, ut ſchiſmaticorum, & hæreticorum venena peſtifera, quibus catholicæ fidei puritatem conantur inficere, per nos, & alios, prout locorum, & temporum qualitas exigit, partes Apoſtolicæ ſolicitudinis apponamus. Nuper ſiquidem rumor infeſtus, ad noſtrum, non ſine gravi mentis turbatione, perduxit auditum: QUOD NONNULLI INIQUITATIS FILII, ſolo nomine ſe chriſtianos profitentes; fidei tamen chriſtianæ prorſus adversi, in regno Raſſiæ, & Albaniæ, & Selavoniæ, ac aliis circumadjacentibus partibus, inconſutilem tunicam Domini noſtri dividere, & lacerare conantes, ac perniciosa ſchismata ſuſcitantes, NOVAS INTRODUCUNT (B) SECTAS, variosque ſeminare moliuntur errores: ex quibus, ut aliquos recitemus: falso, & pertinaciter aſſerunt: SPIRITUM SANCTUM NON A FILIO, SED A SOLO PATRE PROCEDERE: non attendentes, quod, ſicut Sacro-Sancta Romana Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, mater fidelium omnium, & magiſtra tenet, & docet, & orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter, & Græcorum habet, incommutabilis, & vera ſententia, Sacrique Concilii declarat authoritas: idem Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio tanquam ex uno principio, unica ſpiratione procedit. Iidem mendaciter aſſerunt contra ea, quæ præfata Romana tenet Eccleſia: CORPUS CHRISTI NON IN AZYMO, SED FERMENTATO PANE CONFICI DEBERE; ET QUOD IN AZYMO CONFECTUM EST, DENEGANT ESSE CORPUS CHRISTI. Illudque in ſuæ damnationis cumulum blaſphemiis inclamare, deturpare manibus, & quod ſceleratius eſt, CONCULCARE PEDIBUS NON VERENTUR. Dicunt etiam, FORMAM BAPTISMATIS, ET CONFIRMATIONIS juxta ritum, quem prædicta ſervat Eccleſia, BALSAM ESSE; ac juxta formam hujusmodi baptizatos, & confirmatos, baptismati, & confirmationi ſic ſusceptis damnabiliter RENUNCIARE, ET REBAPTIZARI, ET CONFIRMARI COMPELLUNT. Præterea damnabili deteſtatione dicuntur aſſerere: EANDEM ECCLESIAM, cui univerſæ chriſtianæ fidei profeſſores noſcuntur ſubeſſe, ejusque tenentur inſtituta ſervare IN PLERISQUE ALIIS, quæ præſentibus exprimere non curamus, A VERÆ FIDEI TRAMITE DEVIARE. Intelleximus, etiam, quod nonnulli ARCHI-EPISCOPI, ET EPISCOPI partium earundem SACROS ORDINES indecenter, & contra Sacrorum Canonum inſtituta conferunt.*

VI. Inſtructio Legatis data.

Errores & abuſus recens invecti Serviæ ab Innocentio attacti.

(A) Innoc. VI. P. p. 227. (B) Ex quo patet recens, nec multo antea hos errores irrepſiſſe in Serviam per Cerularii aſſeclas, qui Serblorum imperio, cum provinciis bello captis adjuncti ſunt.

ferunt. Et ſuper MATRIMONIIS contrahendis in gradibus prohibitis DISPENSARE contra inſtituta prædicta propria temeritate PRÆSUMUNT. Quodque RELIGIOSI COMPLURES MENDICANTIUM ORDINUM COMMISSUM ſibi fore ab Apoſtolica Sede in eisdem partibus LEGATIONIS OFFICIUM minus veraciter aſſerunt, eoque prætextu nonnulla temere attentare præſumunt in ſuarum, & aliarum animarum periculum, & ſcandalum plurimorum. Cupientes igitur hujusmodi ejusdem orthodoxæ fidei, & animarum periculis, prout ex debito præmiſſi tenemur officii, opportunis, & efficacibus ſtudiis obviare, ac de veſtræ circumſpectionis induſtria, gerentes in iis, & aliis fiduciam in Domino ſpecialem, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum ad loca dictarum partium, de quibus vobis magis expedire videbitur, vos perſonaliter conferentes: & contra errantes, præſumtores, & attentatores hujusmodi, pro Eccleſia Sancta Dei vos defenſionis murum viriliter opponentes, præmiſſa ſchismata diſſipare, ſectas diſſolvere, errores evellere, exceſſus corrigere, deformata reformare, & errantes ipſos ad veram ipſius fidei catholicæ unitatem, & Eccleſiæ prædictæ ritus, & mores reducere, quantum vobis inſpirabit Altiſſimus authoritate noſtra fideliter ſtudeatis: INVOCATO AD HOC, SI OPUS FUERIT, AUXILIO BRACHII SÆCULARIS. Contradictores quoslibet, & rebelles cujuscunque præeminentiæ, ſtatus, ordinis, & conditionis exiſtant, authoritate noſtro per cenſuram Eccleſiasticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Quæcunque vero videantur agenda nobis fideliter, & ſolerter intimare curetis, ut ſuper iis providere ſalubriter, auctore Domino valeamus. Datum Avenione VI. Kal. Januarii, anno II. (A). Inſtruxit præterea eosdem pluribus privilegiis, quo munus demandatum ſtrenue, & cum fructu obirent. Conceſſit ergo Divina operari in locis, quibus Sacrorum uſu eſt interdictum: centum dierum indulgentiam impertitus eſt, qui Divinis eorum aſſistent, & ſacras audituri ſunt allocutiones: denique poteſtatem fecit ſolvendi leges canonicas in quarto affinitatis, & conſanguinitatis gradu ad quorumvis gratiam: diſpenſandi ab irregularitate Sacerdotes, qui ſecundas nuptias ſacra prece luſtraſſent: conciliandi eos, qui ob violatos ſacros canones cenſuris ſunt irretiti: & devinctos anathemate ob Sacerdotem verberibus affectum, in gratiam reſtituendi: &, quæ ſunt alia hujus generis.

Mandata; & privilegia Legatis data.

SERBL. Ex Pontificiis ad nuncios, atque ad Regem ipſum literis; enormes, qui per Serbliæ imperium, ſub iſtud tempus, irrepſerant exceſſus, abuſus, injuriæ, ac perſecutiones Eccleſiarum, fideliumque Latini ritus, Sacrorumque ipſorum; errores in fide, Eccleſiaſticorum Canonum violationes; afflictum ſane, & dolore dignum Religionis ſtatum abunde exhibent. At mala hæc non in poteſtatem publicam,

(A) Eſt annus Chriſti 1354.

blicam, ejusque conniventiam; sed in quosdam *abominationis filios* sapienter refudit Pontifex. Regem vero ipsum, quem ex vano criminatur Orbinus, istorum scelerum, injuriarumque nec fautorem, nec participem fuisse testis est: imo, ubi talia auditu percepit, audentium furori pro virili obstitisse, excessus correxisse, refrænasse audaciam, injuriam, ac damna reparasse, abactos vi pastores Ecclesiis restituisse, erepta revindicasse cœnobia, templaque, eosque, qui seu metu, seu decepti, ritum deseruerant, ut ad pristinos mores, ac instituta redirent, venia a Pontifice delicto impetrata, procurasse: injurios Sacramentis, sacrisque Romanis severissimis edictis obstrinxisse: cujus severitatis exemplum dabit annus sequens in Episcopis Græcanicis, hujus tanti mali authoribus, regione universa expulsis (A): verbo: sincerum fidei catholicæ amatorem se exhibuisse. Denique Regem eundem *Ecclesiam Romanam dominam, ac magistram omnium Christianorum, Romanumque Pontificem Christi Vicarium, & Divi Petri Successorem* recognovisse, tenere, & confessum esse. Quare certus jam de ejus fide catholica, nec Regi ipsi professionem fidei faciendam more antecessorum Pontificum imperat; nec nunciis Apostolicis, ut eandem exigant, injungit, præscribitque: & orat duntaxat Deum, *ut Regem in hac puritate fidei, ac devotionis sinceritate conservet, ac tueatur.* Mittit dein desideratos nuncios, qui bene cepta in regno promoveant, absolvantque, corrigenda corrigant, & salutari prædicatione cunctos Ecclesiæ arctius conjungant: ad extremum protectioni Regiæ commendat nuncios, & perseverantiam in bene ceptis, seque non *Capitaneatus* duntaxat officio adversus Turcos, sed omni favorum genere, quævis vota Regia pro viribus prosecuturum pollicetur, ac spondet. Quæ omnia, hoc est, & verba Regis, & facta, ac petitiones ipsas, cum attento, ac libero a præjudiciis animo expendo accuratius; Stephanum Imperatorem vere catholicum, & Sedi Romanæ obsequentem Principem, & capitalem errorum Cerularii hostem, vel invitus pronuncio; nec invenio, quid præterea a Rege Catholicissimo desiderari valeat, jureque possit expeti.

VII. Sensus Innocentii Papæ de Stephano optimus.

BULG. Recte Tu quidem, & prorsus ad Pontificis ipsius mentem de Imperatore Stephano tulisti judicium, quem de catholica ejusdem principis religione nihil jam dubitationis habuisse, ostendit palam, & titulus *Filii in Christo chariſſimi*, quo ipsum ornavit: &, quod ulteriorem fidei confessionem, nec cupiat, nec imperet: quodque in refractarios, ac contumaces *auxilium brachii secularis*, quod a solo Imperatore sperari potuit, implorare nuncios suos fidenter jusserit.

Cavillatio Scriptorum Latinorum contra Stephanum.

SERBL. At Scriptores Latini illusisse Regem Pontifici, fidemque catholicam simulasse, confidenter pronunciant. Atque, si causam simulatæ fidei repetamus, eandem pro solemni suo more transferunt,

(A) Paulus Jolincius.

runt, vel in metum armorum Ludovici Hungariæ regis; vel in ſpem, quam conceperat, favore Pontificio, authoritateque, exolvendi ſe, regnumque ſuum ſupremo, quod Reges Hungariæ ſibi vendicabant, in Serbliam dominio. Metu vero belli ſolutum, ſpeque conſequendi opera Pontificia, quod optabat, dejectum; larvam denique poſuiſſe, & quis, qualisque animo ſemper fuiſſet, palam oſtendiſſe, hoſtem ſcilicet Latini ritus, ac Romanæ Eccleſiæ: cum Petrum Epiſcopum Pactenſem nuncium Apoſtolicum, virum ſanctitatis conſpicuæ, a peragendis in regno Divinis ſevere vetuit: Eisque, qui operanti adeſſent, regiam indignationem, atque oculorum jacturam comminatus eſt. Iſtud nos acta Petri Pactenſis Epiſcopi edocent, & vitæ ejus Scriptores, quos Bolandus ad diem VI. Januarii retulit (A). Cogunt me hæc talia mutare judicium, quod antea pro Stephano conceperam.

VIII. Acta Stephani contra Petrum nuncium Apoſtolicum.

BULG. Fuerit ita plane, quemadmodum acta eadem perhibent: egerit tanta ſeveritate Imperator Stephanus in Petrum nuncium Sedis Apoſtolicæ. Nunc ex te quæro, aut ex Latinis potius, qui ex his fidem Stephani in dubium vocant, imo & damnant: paruitne nuncius mandatis regiis, & an a Sacris abſtinuit? parueruntne & ipſi ritus Latini populi? denique, an Rex idem Bartholomæum quoque Tragurienſem, alterum Sanctæ Sedis nuncium decreto eodem complexus eſt?

Ex his non recte fides Regis in dubium vocatur.

SERBL. Latini perhibent Beatum Petrum Epiſcopum, ut Deo conjunctus, & excelſo erat animo, minis regiis fortiorem, Sacra, ut alias in publicum peregiſſe, & Theutonicorum militum trecentos ut minimum, operanti Divina adſtitiſſe: nec tamen invenio Petrum regno cum ignominia ejectum, aut gravius quidquam in ipſum decretum. Sed, nec qui operanti adſuere oculis, vel pœna aliqua, mulctati ſunt; nec eſt, qui teſtimonio perhibeat, Bartholomæo Tragurienſi aris pariter interdictum fuiſſe.

BULG. Hinc vero concludo: abreptum quidem impetu, ac furore Regem, moderationis, æquitatisque limites exceſſiſſe: quin & a culpa irreverentiæ in Apoſtolicum nuncium liberum, immunemque haud eſſe pronuncio. At mox etiam in ſe rediſſe conjicio. Fidem autem catholicam aut antea ſimulaſſe, aut tunc mutaſſe, aut hujus odio hæc egiſſe, nego, ac pernego: nec aſſentiar unquam, niſi commune decretum proferant Scriptores, quo & *Bartholomæo Tragurienſi*, & *Antibarensi*, *Scopiensi*, *Scutarensi*, aliisque per imperium ſuum Romani ritus Epiſcopis, Divinis operari ſit interdictum. At tale quid fruſtra quæſieris. Itaque quæcunque illa privata fuit Regis in Petrum offenſio,

Defenditur fides Regis catholica.

(A) Philippus de Maneziis c. 3. n. 17. Joannes Carmeſſonius c. 5.

sio, non Religionis catholicæ odium, contemtusve. Hic, si conjectura uti liceat, vereor ne Petrus Pactentis Episcopus zelo, ac pietate abreptus, aut majora, quam par erat, a rege exegerit; aut consvetorum officiorum in regem imperatorem aliquid intermiserit, aut propensione in Ludovicum Hungariæ regem, partiumque studio ultro quam oportebat, processerit, atque idcirco apud regem æmulum invidiam, offensamque incurrerit. Ita publica negotia non semper zelo, & sanctimonia vitæ finiuntur, & plus sæpe profuit ars devinciendi, tractandique regum animos, mollisque ad tempus deceſſio, quam rigor, authoritas, & imperturbata constantia. Quare mandatum, quod refertur regium, indicio quidem est furentis in legatum animi, & vindicta quædam in privatam ejus personam: minime autem ad Religionis catholicæ, ritusque Romani odium trahi potest, aut mutatæ fidei, aversæque a sede Apostolica mentis est argumentum.

SERBL. Probo & ipse tuum judicium, assentiorque acta in Petrum legatum quamcunque severa, non recte ad hostilem Stephani in Sacra Romana animum traduci referrique; nisi etiam a Sacris Calicis alienos, Ecclesiæ hostes, schismatisque reos fingamus Emericum Hungariæ Regem, cum Leonem Cardinalem Presbyterum Innocentii III. legatum ad Calo-Joannem Bulgarorum Imperatorem, transitu prohibuit, quin & custodia detinuit. Ac Ladislaum Chunum, qui Nicolaum Firmanum sanctæ sedis nuncium, cunctosque Hungariæ Prælatos Budæ in Synodo collectos commeatu omni, anonaque interdixit, atque ad extremum vi admota, urbe ejecit. Denique nisi Hungariam prope universam inde ab anno MCCXC. seu a morte Ladislai Chuni ad annum MCCCX. Ecclesiæ rebellem, & schismate a Sede Romana divisam pronunciemus, quæ neglecto Carolo Martello, quem Papa Regem dabat, ejusque filio Carolo Roberto, quem pari studio fovebant Pontifices; Romanis decretis adversata est, & primum Andreæ III. tum Venceslao Bohemo, ac denique Ottoni Bavaro fasces regni sui detulit, studuitque: nec antea in Carolum Robertum regem assensit, quam Gentilis Cardinalis legatus Apostolicus, sapienti sane cessione, jus liberorum suffragiorum regno detulisset (A). Facta hæc, similiaque quam plurima, quæ Historia Ecclesiastica copiose offert; uta nota aliqua irreverentiæ in sanctam sedem semper, ac penitus libera non sint, ad hæreseos tamen, aut schismatis crimen trahi non possunt, regnique potius, ac regalium jurium tuitioni, quam hostili in Ecclesiam Romanam animo adscribuntur. Depulsa vero schismatis nota ex Stephani Regis facto in Petrum Apostolicum nuncium; reliquum est, ut doceas, fictam, simulatamque fidem non fuisse, quam Rex Stephanus Innocentio VI. per literas testatus est.

BULG.

(A) Vide Annales Hung. Scriptorum.

BULG. Scriptores, qui expetitam cum Romana Ecclesia conjunctionem a Stephano, simulationis arguunt, & ad metum armorum Ludovici referunt, timoreque extortam comminiscuntur, nesciunt, quid loquantur. Si enim armorum metu expetita fidei unio fuerat, hoc illa certius coalescere debebat, quo luculentior futura erat Pontificum Romanorum offensio, post expetitam, & non sine nova contumelia spretam, nec susceptam, sed repudiatam, ut ajunt, fidem, unionemque, turpiterque delusos Nuncios Apostolicos, & pios Pontificum conatus. Deinde iidem ignorant etiam, Stephanum Regem armatum armato Ludovico ternis omnino vicibus in regni metis occurrisse: & quanquam magna esset Ludovici potentia, uno tamen atque eodem tempore, & Ludovico restitisse Stephanum, & Græcos alibi quanquam Turcorum viribus suffultos oppugnasse: nec vasto Ludovici exercitu ad fines regni in procinctu stantis, ad testandam qualemcunque subjectionem, reddendasque partes provinciarum Hungariæ conterminas, adduci potuisse. Qui vero simulationem fidei catholicæ adscribunt spei, quam in favore Pontificis collocabat Stephanus: opinantur finguntque tam dementem fuisse Stephanum, ut, aut perverti posse speraret Pontificem ad arma secum in Ludovicum conjungenda; aut adeo mulierosam, anilemque existimasse Ludovici pietatem, & in Pontificios nutus obsequium, ut vel ostentata sua ad unionem Ecclesiæ accessione, solisque Pontificiorum verborum blanditiis, a prosequendis regni, coronæque suæ juribus destiturum confideret. Tenacior erat Regalium jurium Ludovici pietas, quam, ut his illiciis cederet: & Stephanus Rex, qui id probe noverat, non in patrocinio favoreque Pontificis, ejusque nundinatione per simulationem sacrilegam fidei; sed in dextra, virtute, ac armis duntaxat suis, libertatem regni sui, atque exemtionem a corona, & dominatu Hungariæ collocare potuit, debuitque: quam quidem etiam quoad vixit, est tuitus quam constantissime, imo & sumto imperiali diademate, titulisque firmavit.

Et Scriptorum cavillationes refelluntur.

Fides Stephani a simulatione defensa.

SERBL, Simulatæ fidei nota sane turpissima a Stephano Imperatore, valido rationum pondere depulsa: iis vero, quæ intercesserant offensionibus Petrum inter, ac Stephanum, ad privatam potius Nuncii Apostolici personam, quam Romanam Ecclesiam reductis: Catholicorum principum numero hunc quoque magnum Imperatorem, jam & ipse adscribo: & suffragatur mihi factum, quod Paulus Jolinacius narrat: *Finitis*, inquit ille, *cum Ludovico bellis convocavit Stephanus Synodum in urbem Sereth* (A), *& in locum fatis functi Patriarchæ Joannichii* (B) *Sabam IV. Patriarcham instituit: decretoque Synodi ejusdem*,

X. Mors Joannichii Patriarchæ, & Sabæ electio.

(A) Est hæc urbs ipsa *Phera* dicta. (B) Ex Innocentii VI. P. literis vivebat *Joannichius* anno 1354.

Synodico, & Regio edicto Græci Episcopi Serbliapulsi an. 1355. latum propterea.

dem, omnes Græcos Episcopos universo Serbliæ Imperio expulit. Quam ob rem a Calliſto Conſtantinopoleos Patriarcha (A) *Stephanus, univerſique Serviæ Epiſcopi anathemate ſint confixi.* Nec enim ſeveritatis hujus Regiæ, edictique Synodici in Græcos Epiſcopos, cauſa alia occurrit animo, quam, quod poſt Regium edictum, & inhibitionem *ſub pœnis formidabilibus* latam (B) de non profanandis Latinorum Sacramentis, abſtinondoque ab eorum vexatione, & injuriis; Græcanici Epiſcopi diſciplinæ Cerularii innutriti, quorum multi, aucto per Romaniam, Macedoniamque imperio, in ditione Stephani numerabantur, inſigni contumacia Sacra Latinorum Baptiſmum, Confirmationem, ac Euchariſtiam in azymo confectam, nullo loco ducerent, inſectarentur, profanarentque, nec a turbandis, opprimendisque ritus ejus fidelibus deſinerent, perverſisque ſuis doctrinis Serblianos quoque in eandem impietatem, ſeditionemque commoverent.

Anathema Calliſti Patriarchæ C. P. neglectum ab Imperatore, & Clero Serviæ.

BULG. Facto huic Regio, ſynodique Serblicæ, cum juſtiſſima ſubeſſet cauſa; nec Serbliana Eccleſia, ejusque Imperator, Patriarchæ Conſtantinopolitani jura in ſe ulla agnoſceret; nihil prorſus ejus anathemate exterrita, contemtim illud tunc habuit. Annus facti ejus celeberrimi eruitur 1355. quo nempe Sabas IV. Joannichio ſucceſſor datus eſt, & Calliſtus Patriarcha throno Conſtantinopolitano eſt reſtitutus: &, quo ipſo nuptiæ Uroſii regis juvenis, quas Jolincius ad annum eundem mox ſubjicit, ab Imperatore patre pompa ſolemni celebratæ ſunt.

X. Conatus Petri Pactenſis contra regem Stephanum apud Hungaros, Pontificem, & Venetos.

SERBL. Hæc, dum aguntur per Serbliam, in commodum haud leve Eccleſiæ Latinæ, ejusque fidelium, atque plane ad mentem Clementis VI. qui *hos mali ſeminis, ac lolii ſatores, a finibus chriſtianorum arcendos* ſvaſit: Petrus Pactenſis Epiſcopus, deſerta, ut diximus, Serblia in Hungariam profectus, apud Ludovicum regem, & Papam Innocentium VI. adverſus Stephanum graves motus concivit. Et poterat iis prævertiſſe Stephanus, ſi offenſionis inter ſe, ac Petrum cauſas quascunque illas ad thronum Pontificium detuliſſet, nec id officii fere neceſſarii, erga Pontificem ſibi perquam addictum præteriviſſet. At, cum iſtud quacunque ex cauſa agere omiſerit, patulum querelis locum reliquit, & cum Stephani defenſor nullus adeſſet, Petrus ideæa, qua ipſe plenus erat: de hoſtili Stephani in Eccleſiam Romanam animo, eadem facile, & Innocentium, & Ludovicum regem imbuit: atque hunc ad ſacrum bellum in Raſcios, ac Albanenſes moliendum, excitandumque Pontificem impulit. Petro igitur ex Hungaria

(A) Calliſtus anno 1355. eſt Patriarchatui Conſtantinopoleos reſtitutus anno 1355. (B) Conſtat ex Innocentii VI. epiſtola ad regem Stephanum ſupra relata.

Hungaria ad Innocentium transeunti a Ludovico rege comes editus est Stephanus electus Zagrabiensis, de pactis sacri in Rascios belli transacturus.

XI. Apparatus Ludovici R. Hungar. pro bello in Rassiam. Ejus literæ procuratoriæ a. 1356. emissæ.

BULG. Id dum magno ardore agit apud Innocentium Ludovici nuncius, Petrus Pactensis ad Venetos transiit, eosque Pontificis nomine a fœdere, pridem cum Serblis sancito, avulsit. Ludovicus autem novis literis apud Papam institit, ut sacrum bellum in in Rascios promulgaret, & se sacræ militiæ *Capitaneum generalem* decerneret. Quia vero probe perspexerat, id nonnisi certis legibus, pactisque concedendum, ipse, velut propediem Rascios petiturus, vasto cum exercitu castra Zagrabiam promovit, præscriptisque sibi ipsi conditionibus, quas ad mentem Pontificis fore prænoverat: diploma Zagrabiæ die IV. Junii anno 1356. in hæc verba edidit: *Nos Ludovicus Dei Gratia Rex Hungariæ notum facimus universis præsentes Literas inspecturis. Quod cum nos jam diu, divina gratia favente, ac Domino inspirante, & ut catholicus, & christianissimus princeps optaverimus, & affectanter optemus intuitu Dei, & sanctæ Matris Ecclesiæ, & totius fidei christianæ, &, ad ipsius laudem, & augmentationem, regnum nuncupatum RASSIÆ, quod juris prædecessorum nostrorum fuit, & exstitit, & quod defacto tentum est, & tenetur occupatum per sanctæ, & unicæ Matris Ecclesiæ rebelles Schismaticos, infideles, & catholicæ fidei contemtores, atque vasanos: ipsum regnum ad fidem christianam, & sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem, obedientiam, & reverentiam debitam, & honorem, & ad jus nostrum trahere, & traducere, prout etiam tenemur, & ad prædicta ex debito sumus adstricti, potissime, cum regnum illud nostro, quod possidemus, contiguum existat: & propterea crucem sanctam sumere, & per subditos nostros, in quantum possumus, sumi facere, ineffabili affectione peroptemus. Hinc est, quod sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Innocentius divina providentia Papa VI. auditis, & intellectis præmissis, optatu, & affectione nostris Sanctitati suæ intimatis seu relatis per dilectum Joannem Capellanum nostrum, seu alios de prædictis notitiam habentes: per suas literas patentes Apostolicas more Romanæ Curiæ bullatas, nobis filio obedientiae scribere dignatus est; praefatos affectum, & voluntatem multipliciter commendando, ac sibi, seu Sanctitati suae grata, & accepta significando. Unde movemur, & inducimur formam, modum, & statum, secundum quos praedicta intendimus adimplere, Sanctitati suae notificare, & procuratores, seu procuratorem, nuncium, seu nuncios specialiter ad hoc constitutos destinare, qui in animam, & super animam nostram ad sancta Dei Evangelia corporaliter jurent, seu juret: quod ipsos modum, & formam infrascriptos attendemus, & observabimus, & attendi, & observari faciemus omni posse totaliter extenso. Quapropter praedicta, sic divina gratia favente, excogitata, & mutu divino ad propositum nostrum jam diu deducta exequi volentes, prout possumus, & debemus authoritate, licentia, & assensu ipsius sanctissimi Pontificis praedicti, & sanctae sedis Apostolicae, ut merito dici valeamus justum, & catholicum bellum inire, fovere, & habere, prout etiam vere fovemus, & habere nitimur.*

Per praesentes literas seu instrumentum sigillo nostro majori, meliori modo, jure, & forma, quibus possumus, facimus, constituimus, creamus, & ordinamus nostrum certum missum nunciun, & factorem legitimum specialem, & indubitatum procuratorem, & alias quidquid dici, & esse melius posset; videlicet honorabilem virum Stephanum Budensis Ecclesiæ Præpositum Capellanum nostrum fidelem, & specialem, specialiter ad comparendum coram Domino nostro Papa, vel ab eo, seu Sede Apostolica ad hoc deputato, seu coram S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus pro obtinendo, & ad obtinendum pro nobis quascunque literas Apostolicas in præmissis, & circa præmissa, & quodlibet eorundem necessarias, seu opportunas: & ad jurandum in manibus dicti Domini Papæ, seu cujuscunque super hoc potestatem, seu consensum habentis, in animam, & super animam nostram, & ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tacta. Quod præfatum bellum, seu verius Sanctæ Crucis assumtionem contra prædictos facimus, inimus, seu facere, inire, & habere satagemus, & properamus ad honorem Domini nostri Jesu Christi, & ejus Sanctæ matris gloriosæ virginis Mariæ, & ad honorem, reverentiam, & laudem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & zelo fidei christianæ inducti, & ad ipsius augmentationem, nec non ad nostri memoriam imposterum recolendam, & ad conservationem, reformationem juris nostri, quod prædecessoribus nostris, & nobis competiit, & competit, ne de negligentia, seu desidia argui valeamus. Et quod regna, civitates, castra, terras, villas, & alia loca, quæ per fideles christianos tenentur, prætextu præmissorum invadere, seu occupare minime intendimus, nec nostræ intentionis existit, præterquam ad passum, seu transitum faciendum. Nec non, quod ipsum regnum, civitates, castra, villas, & tenutas, quæ de dicto regno, Deo annuente, nos invadere, recuperare, & habere continget, ultra jus debitum non gravabimus, sed suis privilegiis antiquis, laudabilibus, & honestis uti volumus, & permittemus. Et ad unitatem, reverentiam, & obedientiam in Divinis Sanctæ Rom. Ecclesiæ deducemus, prout facultas nobis erit, & potestas Domino concedente. Et quod Ecclesias, monasteria, & alia pia loca ad libertates Ecclesiasticas, ac sua privilegia, & immunitates deducemus, & reduci faciemus, & alias honorem, & statum ipsorum augmentabimus juxta posse. Ac, quod parati sumus, & erimus quandocunque, quin imo affectamus recipere Legatum Apostolicum, qui crucem prædicet contra prædictos, & alias faciat, prout, & quemadmodum dicto Domino nostro Papae, & Sedi Apostolicae placuerit, & visum fuerit opportunum. Item alias facimus; constituimus, & ordinamus dictum procuratorem ad jurandum, promittendum, & faciendum, quidquid, & quaeque circa praemissa, & quodlibet præmissorum fuerint necessaria, seu opportuna; & etiamsi talia sint, quæ mandatum exigant speciale, & etiam, quæ præsens procuratio emissa non præstabit, quae nosmet facere possemus, si personaliter essemus praesentes: promittentes in omnibus, & per omnia stare, & obedire mandatis, dispositionibus, & ordinationibus Domini Papae, Sacrique Collegii Cardinalium, & Sanctae Sedis Apostolicae in his, quae in praemissis, & circa praemissa visa fuerint necessaria, & opportuna. Et ejus, seu eorum arbitrio, cuilibet conquerenti omnia damna, & interesse occasione praemissorum per nos illata, quod tamen Deus avertat,

tat, reſarcire. Dantes, & concedentes dicto procuratori noſtro liberam facultatem, & generale mandatum prædicta faciendi, jurandi, obligandi, & exercendi, ut præmittitur, & alias omni modo, jure, & forma, quibus melius poſſunt, ſeu poterunt, & quae nos facere poſſemus, ſi praeſentialiter compareremus. Et volentes eum relevare ab omni onere ſatisdandi, verbo Regiae noſtrae Celſitudinis promittimus nomine, & vice, quorum intereſt, ſeu intererit, quomodolibet in futurum, habere ratum, & firmum, quidquid per dictum procuratorem noſtrum actum, geſtum, & factum fuerit in praemiſſis, & circa praemiſſa, ex nunc ratum, gratum habemus ſub hypotheca, & obligatione omnium bonorum noſtrorum praeſentium, & futurorum, & etium regni, ſeu Regnorum noſtrorum, in quantum debemus, poſſumus, & valemus praeſentium ſub noſtro Majeſtatis teſtimonio literarum. Datum Zagrabiæ, Ind. VIII. menſis Junii, die IV. anno Domini MCCCLVI.

SERBL. Dum hæ literæ Zagrabiæ exarantur, quibus poteſtas ſit procuratori, Regio nomine contrahendi, paciſcendi, ſpondendi, jurandique, & bellum ſacrum in Raſcios apparatur, modusque, & forma belli explanatur: Legatus apud Papam dabat operam, ut cruciati belli Ludovico Regi poteſtas fieret, ipſe ejus caput, ac Dux decerneretur pactis, ac conditionibus, in quas deinceps Rex, & Papa convenirent. An vero hoc tam promte Ludovicus impetraverit, tuum eſt docere.

BULG. Impetraſſe legatum, quod quæſierat, & Ludovicum in purpuratorum Patrum Senatu ſplendido *Signiferi Romanæ Eccleſiæ* titulo, ac honore ornatum fuiſſe, teſtis eſt epiſtola Papæ anno eodem III. Idus Auguſti exarata, quæ ſic habet: *Innocentius* &c. *Chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Hungariæ Regi illuſtri. Quanta Te, Fili chariſſime! gratiæ ſuæ ubertate prævenerit diſtributor ille gratiarum munificus* - - - Sicque demum ad rem ipſam deſcendit: *Per venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Pactenſem, & dilectum filium electum Zagrabienſem nuncium tuum, & literas Regias nobis exhibitas per eundem nuncium, quas & Eum benigne, placideque recepimus, nobis noviter intimaſti: quod Tu moleſte ferens injurias, contumelias, & opprobria, quæ Redemtori tuo per eosdem SCHISMATICOS, ET HÆRETICOS REGNI RASSIÆ, AC TERRARUM, QUÆ OROSII SE REGEM RASCIÆ NOMINANTIS SUBSUNT TYRANNIDI, & QUÆ VICINANTUR EISDEM, JUGITER INFERUNTUR* (A), *illaque ultrici DEXTRA TUA cupiens vindicare, ac deſiderans, ut ſchismaticorum, ac hæreticorum ipſorum eliſa perfidia, & confutatis, & eradicatis erroribus eorundem, chriſtiana fides ubique clariore luce reſplendeat, & nomen Domini Dei tui puris, & devotis catholicorum*

Ludovicus ab Innocentio Eccleſiæ ſignifer conſtituitur.

Sunt hæ expreſſiones ex Ludovici epiſtola tranſumtæ contra Urbem.

(A) Sunt hæc verba ex Regiis literis, a Pontifice decerpta, aſſumtaque.

votibus collaudetur, eosdemque schismaticos, & hæreticos sub spe Divini auxilii, & favoris expugnare constanti animo decrevisti, humiliter supplicans, ut ad tam pii, tamque favorabilis executionem operis tibi specialis favoris præsidio assistentes, adversus illos crucem, in cujus ligno per virtutem ejus, qui pependit in illa, ipsius fidei hostes debellare contendis; cum consuetis indulgentiis, & remissionibus prædicari mandaremus, Teque hujusmodi negotii christiani, & populi proficiscentis ad promotionem illius CAPITANEUM GENERALEM *constituere dignaremur. His itaque, Princeps inclyte! per quæ catholicorum principum, ex quibus Ducis originem, prioris ætatis gesta magnifica in memoriam redeunt, & eis adjicitur multæ gloriæ titulus, lætanter auditis, & lætantius intellectis, magnificavit anima nostra Dominum, & noster in Deo salutari nostro spiritus exultavit, apud quem devotas preces, & humiles effundentes, ut te in hoc fervore zeli, in hoc ardore spiritus, in hac sinceritate fidei per tempora longiora conservans, gressus tuos dirigat, actiones informet, processibus faveat, viribus vires adjiciat, Tibi de solio suo sancto mittat benignus auxilium, & de sede Majestatis ejus opportunis Te indesinenter favoribus prosequatur: quatenus in brachio potentiæ tuæ, ac virtutis virga, infidelibus quibuscunque conversis, & schismaticis, & hæreticis pravitatis, & errorum suorum abjuratis tenebris, Sacrosancta mater Ecclesia toto terrarum orbe in Christi fundatoris, rectorisque sui glutino adunata, una sit fides mentium, & pietas actionum. Votis igitur, & petitionibus tuis in his, de Fratrum nostrorum consilio gratanter annuimus, & hujusmodi verbum crucis in eodem regno tuo, & nonnullis partibus aliis (in conficiendis super hoc literis, exprimendis) sub certis modis, formis, & conditionibus concessimus proponendum. Eja ergo pugil Christi, athleta Domini, miles fidei christianæ, accingere gladio, tolle arcum, & pharetram, sume arma in virtute illius, qui manus docet ad prælium, & digitos informat ad bellum; in virtute, inquam, ejus, in conspectu, cujus non est differentia in multis liberare, vel in paucis, & qui belli victoriam, fortitudinemque largitur, fidem ipsam impugnantes impugna, infer opprobria ipsi tuo exprobrantium Creatori. Et quoniam teneamus indubie, quod Tu, qui in remotis infideles, & schismaticos persecutus es hactenus, & proponis persequi, ut præfertur, eos in ipso regni tui gremio pati non debeas: quoniam reprehensibile tibi esset, sustinere in propriis partibus, quod in aliis execraris: ut tamen fervens in hoc propositum tuum nostris exhortationibus fortius accendamus, Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino illam attente precantes, Tibique tui honoris, ac salutis intuitu paternis, & sanis consiliis suadentes, quatenus prudenter attendens, quod ignis, cujus longe positi vitatur incendium, periculosius in proximo est, & serpentis morsus, & venena propinqui timenda sunt amplius, quam remoti: ante omnia pelle de* BOSNENSIBUS, ET DICTI REGNI *partibus hæreticam pravitatem; morbus enim infectivus est hæresis, & veluti serpens latenter inserpens facile inficit simplices maxime, nisi prudentum studio, & peritia confutetur* &c. Literis iisdem, evocabat Ludovicum Pontifex in Italiam ad comprimendos Ecclesiæ rebel-

Sapiens Pontificis monitum Ludovico datum.

les

les Franciſcum de Ordelaffis, & Joannem Guilielmum de Manfredis: atque ad hunc finem decimas Eccleſiaſticorum proventuum per Hungariam in triennium concedebat. Datum apud villam novam Avenionenſis Diœceſeos III. Idus Auguſti, anno Pontificatus IV. Per alias vero literas leges quasdam, & conditiones præſcripſit in ſacra expeditione ſervandas (A), atque ad earum obſervantiam Regio nomine ſpondendam Ludovici nuncium Sacramenti religione obſtrinxit, devinxitque.

SERBL. Quem vero hæc tanta Pontificis, Regis Ludovici, & Legati ejus, ac Petri Pactenſis Epiſcopi molimina finem nacta ſunt? An Ludovicus ſapienter monenti Innocentio paruit, atque in Bosnenſes hæreticos primum arma tulit? aut in rebelles Eccleſiæ, Italiæ principes, ut rogabatur, profectus eſt? aut denique Stephanum Serbliæ Imperatorem, vel filium ejus Uroſium Regem appetiit?

XII. Ludovicus bellum in Venetos convertit, neglectis Raſciis.

BULG. Ludovicus bellum Venetum, Dalmatiæ cauſa, dudum animo meditatus, ſimulato in Raſcios apparatu, poſtquam cognovit, Venetorum cum Raſciis fœdus diſſolutum: Venetos æque, ac Pontificis, Petrique Pactenſis exſpectationem fefellit: converſo enim repente in aliud, quam, quod præferebat, ſtudio, partem exercitus ad Jadræ obſidium, maritimæque Dalmatiæ oppida infeſtanda admovit: ipſe ingenti celeritate cum centum equitum millibus, numeroſoque peditatu per Iſtriam in forum Julii irrupit, & Traviſium obſidione circumdedit, atque abinde per Venetorum agrum infeſta ſigna circumtulit. Armorum hæc repentina converſio, uti Venetos perturbavit graviſſime, cum illatum prius eſſet bellum, quam indictum, & fœdere diſſoluto ſpes aliunde affulgeret nulla: ita Pontificis animum mirum quantum afflixit. Quare graves, & querelarum plenas ad Regem Ludovicum propterea exaravit: *Sperabamus*, inquiebat Papa, *in eodem REGNO RASCIÆ LATENTEM SUB MODIO LUCERNAM IPSIUS FIDEI CHRISTIANÆ, per miniſterium tuum ſuper candelabrum eminentius reponendam lucere clarius, & fulgere limpidius iis, qui longe ſunt, & qui prope. Sperabamus, quod dextera tua infidelium cervices indomitas, & tumentia colla humiliaret in Domino, & elata Schismaticorum conteret cornua: ſubactisque fidelibus, quos in dicto REGNO RASSIÆ furor tyrannicae poteſtatis angariat, beneficium redderet libertatis. Sed ecce extrema gaudii mœror occupat, dulcedo in amaritudinem verſa eſt, & laetitiae jubilum, doloris converſum eſt in clangorem. Fertur enim, quod pacis aemulus, ejusdem fidei inimicus, Dei negotia ſatagens impedire, inter Te, & dilectum filium, Nobilem virum Ducem Venetiarum diſcordiae ſemina ſpargere nititur, & Te usque adeo provocavit, ut robur potentiae*

(A) T. 4. Secretarum Innocentii VI. p. 165.

tiae tuae, quod adverſus ipſius fidei aemulos exercere decreveras, contra renatos fonte baptismatis experiri, convertereque proponas &c. Et infudiſſe Ludovicum exercitum Marchiæ Traviſinæ extremo Junio teſtis eſt Matthæus Villanus (A). Quibus ad hunc modum comparatis, ſtudia deinceps ſua, legatis in omnem partem miſſis, ad pacem inter Regem, ac Venetos reducendam convertit Pontifex. Sed quanquam verba optima Ludovicus Pontifici daret, fruſtratus vota ejus eſt, conatusque, producto bello Venetico in annum ſequentem MCCCLVII. Dum denique reſpublica Dalmatia omni, jureque in eam decederet. Id, quod tabulis publicis anno MCCCLVIII. Ind. XI. die Dominico XX. Februarii ſignatis feliciter perfectum eſt (B).

Stephanus Chrobatos oppugnat: Belgradum occupat: movet in Thraciam, ac moritur.

SERBL. Non erant ignota Stephano Imperatori Ludovici, & Legatorum apud Pontificem molimina, nec apparatus ejus latebant. Is tamen, ut excelſo erat animo, ſui ſecurus, aggreſſionem Regis Hungari opperiebatur. Quem ubi denique in Venetos deflexiſſe ſenſit, promotis verſus Dalmatiæ Venetæ fines juſtis copiis, parte illa Chrobatos expugnare aggreſſus eſt, parte altera Belgradum Ludovico ademit (C). Ipſe vero Imperator exercitu octoginta millium fortiſſimorum militum ſuccinctus, indicto Græcis, quibus ob Turcos in Europam accitos infenſiſſimus erat, bello, in Thraciam proceſſit, hos quoque, ſi Superis placeret, univerſa Cherſoneſo-Thaurica, & ultra Helleſpontum depulſurus. Sed, dum iter agit, Diampoli febre immedicabili proſtratus, cum diem extremum ſibi imminere ſenſiſſet, provinciarum Præfectos, ac armorum Duces ad fidem Uroſio filio Regi juveni ſancte ſervandam multis, gravibusque juramentis obſtrinxit: nec minimo chriſtianæ rei detrimento, magnam, quam a Deo ſortitus fuit, animam Creatori reddidit, exercitu omni in planctum verſo.

XIII. Diviſio provinciarum a Stephano adornata ob juventutem Uroſii filii.

BULG. Imperii præfecturas, vivens, valensque, teſte Laonico Chalchocondyla, retento ſibi ſupremo imperio, in hunc modum inſtituit, ac partitus eſt. *MACEDONIAM, qua finitima erat AXIO FLUMINI commiſit ZARCHO viro apud ipſum dignitate primario. Regionis partem, quæ PHÆRIS tendit ad AXIUM FLUMEN BOGDANO tribuit, viro bono, & rei militaris peritiſſimo. Provinciam, quæ a PHÆRIS excurrit ad ISTRUM CHRALI* (D), & *UNGLESI fratribus conceſſit, quorum alter Regius pocillator, alter equorum curator fuit. Ditionem ISTRO ADJACENTEM nactus eſt contribuente Rege VULCUS ELEAZARUS Branci filius. TRICA, ET CASTORIA obvenit NICOLAO ZUPANO: ÆTHOLIA detreta eſt PRIALUPI. OCHRIDAM, & re-*

(A) L. 6. c. 36. & 60. (B) Tabulas recitat quoque Cl. Georg. Pray T. 2. annal. Hung. p. 108. (C) Paulus Jolincius. (D) *Chralis* nomine hic Laonico venit *Vukaſinus*, quem Uroſius, Imperator malo ſuo Chralem, ſeu Regem inſtituit.

regionem PRILISBÆAM dictam PLADICÆ viro haud ignobili regendam dedit. Quæ idem Scriptor ultro sic prosequitur: *Commemoratos modo viros accepimus Europæ regionibus præfectos esse a Rege Stephano. Qui, ubi exhalavit animam, singuli suas regiones, quas a vivo gubernandas acceperant, retinuere, fœderibus inter se ictis, a se mutuo bello abstinere; Græcis vero, ut cuique opportunum fuisset, bellis admodum molesti erant.* Hactenus Laonicus, & ex eo Orbinus; qui præterea addit primos Regis, & Imperatoris Stephani consiliarios fuisse summos *Gregorium Cæsarem, Brajco, Raossav, & Branko Rassisaglich, & Voinam Cæsarem Thomam*, ac fratrem ejus *Voislav de Vojna, Milos* cum fratre suo *Raoslav Ledenich: Comitem Bratko: Obrad Ceonich*, & *Vukasinum Ceonich*, & fratrem suum *Uglieša*, & *Brankum Mladienovich*: & *Vojvodam Mircho*, qui lateri Stephani Imperatoris assiduo adhæsere.

SERBL. Divisionem provinciarum paulo aliter a Laonico Jolincius instruit: at neutram exactam, omnibusque numeris absolutam esse inde metior; quod ab utraque complures absint provinciæ, nec Acarnaniæ, quam Princeps *Simeon* a fratre Imperatore Stephano regendam susceperat, uspiam fit mentio. Porro ad partionem hanc Imperii, tam copioso numero instituendam descendisse Stephanum ea consideratione, ac consilio opinor: quod probe perspiceret multo difficiliorem fore multorum procerum, & pari potestate præditorum conspirationem in juvenis hæredis perniciem; quam cum unius fidei, moderationique & hæres, & provinciæ universæ submittuntur. Nam ex potentia in unum derivata, quam pronus gradus sit ad invadendam tyrannidem, recenti exemplo Joannis Palæologi hæredis, & tutoris Joannis Cantacuzeni abunde comperit. Sed, ut optima, cautissimaque sæpe consilia eventus destituit; ita hic quoque multiplici illa, & pari fere divisione, nec ambitioni, nec dissidiis procerum, nec conspirationi, quæ hæredis perniciem traxere, satis caveri potuit: & imperium, quod ex Græcorum dissidiis natum coaluit, ex pari procerum Serblorum ambitione, ac discordia divulsum interire debuit.

Bono quidem consilio, at eventu pessimo.

COLLOQIUM DECIMUM.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM, ET PER VICINAS PROVINCIAS IMPERATORE UROSIO IV. ET REGE VUKASINO AB ANNO MCCCLVI. AD LXXIII.

SERBL. Venetum pro Dalmatia bellum, quod Ludovicus Rex Hungariæ viribus omnibus geſſit, anno demum 1358. recepta univerſa provincia terminatum eſt. Eo durante nihil in Serbliam molitum eſſe Regem palam eſt. Quidquid igitur hoſtilitatis deinceps a Ludovico ſuſceptum fuit, id omne in Uroſii imperium incubuit, qui annos XVII. natus (A), anno 1357. corona imperii inſignitus eſt.

BULG. Antequam ad bella Uroſio mota deſcendamus, vitam ejus ex analium veſtrorum fide exhibe.

I. Uroſii IV. Imperatoris vita ex MS. Servico.

SERBL. Ibi ſic illa deſcribitur: Anno 6845. (B) Stephanus ex Helena Bulgara, Alexandri Imperatoris ſorore genuit Uroſium IV. moriensque ſucceſſorem inſtituit, adſtrictis ſevero Sacramento magnatibus ad fidem juveni Imperatori ſervandam, tuendasque ab hoſte ditiones. Anno 6864. (C) imperium auſpicatus Uroſius, Eccleſiam honoribus natæ Virginis in urbe Scopia Regum domicilio exſtruxit: cui & mater in monte nigro ſupra Segligovo, pari pietate, alteram conſecravit. Princeps juvenis cum facilis eſſet in omnes, mitiſſimaque indole, amorem omnium in ſe provocavit, ac dum ex maternis agebat præceptis, regiminis optimi ſpem mentibus ſuorum ingeſſit. At cum brevi rejectis ejus, & ſeniorum conſiliis, juvenes audire cepit, inſtar Roboami, ad extremum periit: &, ut viciniore utamur exemplo, ſicut Mi-

(A) Paulus Jolincius. (B) Reſpondet anno 1337.; ſed error in calculum irrepſiſſe videtur: & veriſimilior eſt Jolincii ſupputatio. (C) Eſt annus 1356.

Michaelem Bulgarorum Imperatorem ſervi ſui Baſilii, ita Uroſium immatura juvenum conſilia perdidere. Itaque anno ejus imperii XVI. (A) oſtenderunt ſe violatores Sacramenti complures procerum, ac præcipue Vukaſinus, qui licet ab Uroſio Deſpotæ dignitate, & mox etiam Regali Serbliæ, Romaniæque corona auctus eſſet, ad extremum tamen Imperatorem ſuum, mortalium ingratiſſimus, imperio, & vita ipſa exturbavit. Peremerunt itaque Uroſium Rex Vukaſinus, Ugliesa Deſpota, & Goico fratres, & quadrifariam partiti imperium Serblicum, ſervatis ſibi titulis *Regis*, *Deſpotæ*, ac *Cæſaris*, Amuratem Orchanis filium *Kneſium* nominarunt (B). Finiit vitam Uroſius in medio regni ſui cum imperio, hærede nullo relicto, & luctu patriæ maximo. Sepulchrum nactus eſt prope *Petricha* caſtrum in ædibus Beatæ Virginis aſſumtæ ſupra Nerodymie. Poſt lapſum annorum aliquot, cum beneficiis, prodigiisque inclaruiſſet, reliquiæ de ſepulchro levatæ, venerationi publicæ ſunt expoſitæ: quæ hodiedum amœnum exhalant odorem, & ſanitatem præbent accedentibus cum fiducia. Hactenus Manuſcriptum. Uroſii IV. Imperatoris feſtum, ut & hoc addam, Eccleſia noſtra ad diem ſecundam Decembris cultu ſacro proſequitur. Corpus in *Jaſak* Syrmii cœnobium translatum, claret miraculis. Ita princeps per vitam omnem, perfidia ſuorum, vilis, deſpectusque, a morte effulſit glorioſior.

Mors, ſepultura, & ſanctitas ejus.

II. Res Uroſii ex Cantacuzeno usque ad an. 1362.

BULG. Manca ſane, & hians narratio, quæ præter ortum, ac finem principis, vix quidquam ad publici notitiam conſignavit. Quare geſta ejus, quæque ipſo Imperatore evenerunt, aliunde repetenda, ſupplendaque veniunt. Joannes Cantacuzenus, Scriptor coævus (C), poſt exceſſum Imperatoris Stephani, initia malorum Serbliæ Simoni Stephani fratri adſcribit, qui Acarnania, Joannina, Aetholiaque, quam vivo fratre regendam ſuſceperat, haud contentus, primus in Uroſium ſigna extulit, adjunctis ſibi non paucis e procerum numero. Hæc regni Serblici, in principum cognatorum factiones ſciſſi, mala auxit, atque ad ſummum provexit ſucceſſio Helenæ Uroſii matris. Ea cum conſilia ſua negligi cerneret, & filio perinde, ac leviro diffideret, traductis ad ſe compluribus urbibus, nec contemnendis procerum ſepta viribus proprium, & peculiare ſibi regnum Pheris conſtituit: neutrum bello laceſſens, aut adjuvans. Cujus exemplo cum potentiores principes, infirmioribus ſubactis, ditiones, quibus præfecti erant, qua vi, qua dolis auxiſſent, vix jam erat aliquis, qui *Uroſio*, ceu Domino, ac Imperatori pareret. Igitur, qui partes ejus ſequebantur, velut amico, & armorum ſocio miniſtrabant auxilia: pari conditione

Diſſidia cum Simone patruo: & Helenæ matris ſeceſſio.

Factiones procerum.

(A) Annus XVI. imperii fuit Serblorum computu 6880, qui nobis eſt 1372.

(B) Sed hæc Imperii partitio animo tantum deſignata fuerit. (C) Cantacuz. L. 4. c. 43.

tione *Simoni* quoque ſtudebant alii: cum alii neutri decertantium opem ferrent; ſed ſpectatores belli inteſtini, eventum præſtolarentur, acceſſuri ſubinde ad victorem. Ita ferventibus per Serbliam diſſidiis civilibus, & regno in mille factiones ſciſſo, cum Prealimpus Theſſaliæ præfectus fatis functus eſſet, Nicephorus Deſpota ereptam ſibi nuper avitam regionem, facile iterum in ſuam poteſtatem redegit: cujus poſſeſſione, ut ſecurius, & a metu Serblorum liberior frueretur deinceps, repudiato filiæ Cantacuzeni thoro, Helenæ Serblorum Imperatricis ſororis nuptias ambivit. Sed is cum Albanos obſequium detrectantes bello perſequitur, vitam in prælio amiſit. Civilibus Serblorum diſcordiis animatus quoque Matthæus Cantacuzenus, ac *Boihnæ* Cæſaris colluſione fretus, adjecerat animum ad Pheras occupandas, ac Helenam regno deturbandam: in quas dum ſuccinctus Turcorum auxiliis infeſtus progreditur, prælio a Serblis cæſus, interceptusque, ac Joanni Palæologo Imperatori in cuſtodiam traditus, exutus ditione omni, turbandi finem fecit. Palæologus ad hunc modum liberatus ab imperii æmulo ſane gravi, auctusque Cantacuzeni urbibus, in Alexandrum Bulgarorum Imperatorem ſigna vertit: ereptaque ex manibus ejus Anchialo, & Meſembria; ut Turcorum potentiæ, qui per Thracias in dies res augebant, validius ſe opponeret, Caliſtum Patriarcham anno 1362. legatum ad Helenam Pheras deſtinavit, ad pacis mutuæ fœdera, bellique in Turcos, utrique graves, ſocietatem invitans. Sed quoniam parte altera Alexandrum Bulgarum Helenæ fratrem acriter oppugnabat, nec pacem, quanquam æquiſſima omnia offerenti, concedebat; negotiationi fœderis apud Helenam moras ipſe injecit, quam denique mors Calliſti legati abrupit anno eodem, in quo Joannes Cantacuzenus ſuam concluſit hiſtoriam, ut adeo intra hoc ſexennii tempus, quod ab anno 1356. ad Sexageſimum ſecundum evolvitur, & Simeonis civile bellum, & procerum factiones, defectionesque, & ſeceſſio Helenæ in Pherarum urbem, & ſubductæ Uroſii obedientiæ ditiones variæ, & recepta a Nicephoro Deſpota Theſſalia, & captivatio, ac ultima ruina Matthæi Cantacuzeni, tuto conſtitui poſſint. Bellorum Hungaricorum in Serbliam Cantacuzenus non meminit.

Nicephorus Deſpota recipit, & amittit Theſſaliam.

Matthæi Cantacuzeni clades, & captivitas.

Conatus Palæologi pro fœdere in Turcos, apud Helenam.

SERBL. Cum Cantacuzenus ad annum 1362. nos deſtituat, eſtne Scriptorum aliquis, qui aut neglecta ab eo ſuppleat, aut reſiduos imperii Uroſii annos proſecutus ſit, & geſta quævis ſive hoc ſexennio, ſive poſt ejus effluxum, annorum calculo diſtinxerit?

III. Narrationes aliorum de imperio Uroſii.

BULG. Chronologiam, quæ lux, & fax hiſtoriarum eſt, Latini perinde, ac Græci in poſtremis habuerunt: nec multo plura de infelici Uroſii imperio prodidere. Omnes, quod ſciam malorum initium ex Simonis patrui ambitione, belloque adverſus Uroſium geſto, ſeceſſione matris Helenæ, ac neglectu meliorum conſiliorum repetunt: quæ ego in primum Uroſii biennium confero. Annus tertius

ejus

ejus imperii ſalutis noſtræ 1359. inter civilia bella duorum ſummorum Serbliæ præfectorum, &, quæ his acceſſerunt, Hungarica bella effluxit, de quibus impoſterum locus dicendi erit. Annos tres ſequentes occuparunt motus, quos partim Nicephorus Deſpota in Theſſalia, partim Matthæus Cantacuzenus ad Pheras, ac denique Joannes Palæologus adverſus Bulgaros Helenæ fœderatos conciverunt. His malis ultimam manum addidit nimia Uroſii facilitas in augendo Vukaſino rege, & Deſpota Uglieſa fratre. Hinc enim invidia, ſuſpiciones, & mutuæ procerum diffidentiæ, colliſiones, bella ad invicem, oppreſſiones infirmiorum Dynaſtarum, inobedientia erga Uroſium, & poſtremo pernicies ejus, ac ruina originem traxit.

SERBL. Concordiam, quæ ob neglecta materna conſilia Uroſium inter, ac matrem biennio primo abrupta fuerat, reſtitutam rurſum fuiſſe ante annum 1362. colligo ex auxiliis ab Uroſio matri periclitanti adverſus Matthæi Cantacuzeni molitiones ſubmiſſis (A). Matris igitur viribus, conſiliisque adjutus impoſterum, Simone patruo devicto, bellis Hungaricis pace terminatis, ſublatisque e medio Nicephoro Deſpota, ac Matthæo Cantacuzeno, an dehinc felicius Uroſius gubernavit imperium?

Concordia reſtituta inter Helenam matrem, ac Uroſium.

BULG. Non defuere matris æque, ac fidelium procerum ſana conſilia, quibus, ſi aurem præberet Uroſius, & læſa majeſtas imperii in integrum reſtitui, & concordia præfectorum, ac ſubjectio reparari potuit, & regni pericula, hoſtesque averti. Monebant illi ſalubriter ex uſu imperii haud fore, ſi in Vukaſinum regem, & Uglieſam Deſpotam, quantum honoris delatum fuit, tantum etiam virium, potentiæque conferret; cum aucti utroque hominum animi facile in transverſum agantur: igitur poſtquam jam fratres illi ad Regis, ac Deſpotæ titulos provecti ſunt, provinciarum adjectione augendos non eſſe; ſic vero pertractandos impoſterum, ut magis nominis, ac titulorum ſplendore, quam opibus, viribusque emineant, ut, ſi quando eos honorum amplitudine efferri contingat, facile in ordinem cogi poſſint. Cæteros autem provinciarum præfectos, ne & ipſi potentia abuterentur, in curiam imperii alternis, ut minimum annis, geſti muneris rationem reddituros, evocandos eſſe, ut pridem ſapienter a patre, lege ſancitum fuiſſet, & vel confirmandos, vel transferendos, removendosve. Videri enim, qui plena authoritate fungantur, nec examini ſint obnoxii, vix diu in officio, ac inter recti limites conſtituros. Sed hæc conſilia ſaluberrima, cum per Uroſii facilitatem, qui probitate, ingenuitateque ſua metiebatur omnes, ante tempus emanaſſent, fuiſſentque detecta; cautos quidem, at non meliores præfectos

Helenæ, & procerum fidelium conſilia.

Neglecta ab Uroſio.

(A) Teſte Joan. Cantacuz. L. c.

ditionum reddiderunt. Hinc enim provenit, ut rarius deinceps, nec niſi armatorum ſtipati cohortibus ſe curiæ ſiſterent; ſuſpicionibus autem mutuis, odiisque flagrarent omnes. Ad quæ mala componenda cum Imperator mitiſſimus haud ſatis animi haberet, licentiæ fræna undique laxata ſunt, & vires, quæ in exteros hoſtes ferri debuerant, in mutuam rurſus perniciem colliſæ ſunt. *Vukaſinus* enim *Rex*, & *Uglieſa Deſpota* favoribus, molitieque Imperatoris abuſi, ſpecie augendi res ejus nunc hos, nunc illos armis divexabant, ſubigebantque, oppreſſisque infirmioribus, robur fere imperii ad ſe attraxerunt: & ad extremum, ſimulatione, larvaque poſita, obſequium Imperatori palam detrectarunt. Quorum exemplo, cæteri quoque procerum rebus augendis intenti, paulo poſt & ipſi dominationi Imperatoris ſe ſubduxerunt.

IV. Mores, & rapinæ procerum infidorum Vukaſini, & Uglieſæ.

SERBL. In horum numero præcipui fuere *Comes Lazarus* Greblanovich, qui per Milizam conjugem Imperatorem ſanguine attingebat; & gener Lazari Vukus Brankovichius: illi enim cum provincias Danubio, Savoque affuſas, *Terra Stephani regis* olim dictas, Hungariæ confines obtinerent, arctaque cum Hungaris neceſſitudine conjuncti eſſent, oppreſſis *Raoſavlichiis*, *Parcheviis*, aliisque Dynaſtis, qui per tractus illos terrarum amplis poſſeſſionibus ab olim donati fuerant, novis opibus res ſuas adauxere, ſic, ut nihilo inferiores Imperatore ipſo eſſent. Egit idem & *Nicolaus Altomanus*, qui a morte Cæſaris Vojſavi patrui, liberis ejus, ac conjuge toxico ſublatis, ad amplas, quas poſſidebat, ditiones Uſizenſem quoque Comitatum adjunxit. Arte conſimili excrevit & *Balſa* cum filiis, qui inde a Cataro per utramque Zentam ad Bosnæ fere fines potentiam ſuam dilatarunt. Denique & *Voibna* Cæſar, ejusque gener *Uglieſa* ex prædis aliorum dominatum ſuum per Romaniam, Laveriamque late propagarunt, ſui fere juris principes effecti. In hunc modum cum rapinis procerum diſcerpi imperium videret *Simon* Uroſii patruus, & ipſe fortunam ſecundo experiri auſus eſt: ergo ſuccinctus ſociorum aliquot auxiliis Scutarium applicuit; ſed hinc rejectus, fortunam æque, ac jura ſua accuſans, non diu poſt dolore animi exceſſit, *Stephano*, *Duca*, & *Angelina* prolibus poſt ſe relictis, quibus perinde iniqua fortuna fuit. Felicius arma promoverunt *Zarko*, *Bogdan*, *Branko* Mladieni filius, *Dean* cum *Dragiſa*, & *Conſtantino* filiis, *Momcilo*, & *Vlaſich*, qui cum multis aliis per Miigdoniam, Rhodopen, aliasque provincias proprios ſibi principatus conſtituerunt ſic, ut citra omne prælium, perfidia procerum, imperio avito exutum ſe ad extremum videret Uroſius, ſolo adhuc nomine Imperator. Is, cum de anguſta, quæ ſibi relicta fuerat, ditione, & ſexcentis aureis nummis, quos Raguſa annue Serbliæ Summo Principi penſitabat, ægre, ac multum infra Majeſtatem, vitam toleraret; conſilia demum de recuperando imperio agitare cœpit. Ergo tandem torpore excuſſo, hortatuque Lazari Comitis,

Item Lazari Comitis.

Nicolai Altomani.

Et Balſarum, aliorumque.

Bellum Uroſii in Vukaſinum infelix, ejusque cædes.

&

& Nicolai Altomani arma corripuit, & ſuccinctus utriusque auxiliis, ſero demum bello Vukaſinum aggreſſus eſt. Eo prælio Nicolai virtus apprime emicuit; ſed cum in acie a Lazaro deſertus eſſet, ex clade vix vitam extulit: Uroſius in Vukaſini manus venit, apud quem, cum infra dignitatem privati inſtar vitam aliquamdiu egiſſet, Raguſam fuga ſe ſubducere tentavit; ſed interceptus, manu Vukaſini clava ferrea capiti inflicta, exanimatus cecidit: inſigne humanarum viciſſitudinum ſpectaculum.

V. De Uroſii nuptiis, annis imperii, obitu, ac ſepultura, Latinorum ſenſus.

BULG. Latini Scriptores (A) Uroſium bis nuptias iniſſe ferunt: primum vivo patre cum Vulaici (B) principis Valachiæ filia, quam Orbinus Helenam, Du Fresnius Slavam vocat. Deinde hac repudiata ajunt ſuperinduxiſſe Vojſavi Cæſaris filiam, quam Du Fresnius Eliſabethæ nomine donat, ex neutra vero prolem ſuscepiſſe; atque, cum recuperando imperio dat operam, victum prælio, captumque, atque ad extremum a Vukaſino cæſum fuiſſe anno imperii XII. Chriſti MCCCLXVIII. & Sciarenik vico ignobili Scopienſis provinciæ tumulo illatum. Addunt iidem, ea triſtiſſima filii nece perturbatam Helenam, mox & ipſam Pheris, regnoque ceſſiſſe, & monaſticam, cui ſe in aula a longo jam tempore devoverat, profeſſam; triennio poſt, hoc eſt, MCCCLXXI. afflictam vitam finiiſſe (C).

Senſus Scriptorum domeſticorum.

SERBL. Noſtri Scriptores Uroſii vitam ad annum imperii XVI. hoc eſt principium anni 1372. produxere: ſepulchrum ejus prope arcem Petricha in ædibus aſſumtæ Virginis ſupra Nerodymie ſtatuerunt: nec de ſuperinducta conjuge altera vel verbo meminere. Nec ſatis diſpicio, quo tandem pacto illegitimum hoc conjugium, quod Orbinus, & Du Fresnius adſtruunt, cum pervulgata apud nos Uroſii ſanctimonia conciliem. Nec enim Græcorum illorum noſtris Eccleſiis probatur ſententia, qui freti imperialibus Anaſtaſii, Theodoſii, Valentiniani, ac Juſtini legibus (D) contra Dominicum effatum (E) doctrinam Evangelicam (F), Apoſtolicamque (G), ne quid de ſanctionibus canonicis dicam, matrimonia, ſeu conſenſu mutuo, ſeu ſterilitatis, aut aliis

---

(A) Orbinus, Luccarius, Du Fresne, Ritterus. (B) Quem priores *Vulaicum*, Jolincius *Laotam* vocat. (C) Jolincius ait, monaſticam profeſſam, & ſepultam in cœnobio montis nigri Segligova, quod ipſa erexerat. (D) Codice de repudiis. (E) *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Matth. 19. (F) *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper illam.* Marci 10. & Lucæ 16. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur.* (G) *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus: uxorem a viro non diſcedere; quodſi diſceſſerit, manere innuptam.* 1. Cor. 7. & ad Rom. 7.

aliis paſſim ex cauſis, non thoro ſolo, ſed ipſo etiam vinculo, grandi abuſu, quem etiam Imperator Joannes Cantacuzenus (A) damnat, ſolvebant.

Sententia noſtra de rebus iisdem.

BULG. De anno mortis, ac ſepulturæ loco, veſtris potius Scriptoribus, quam Latinis adhæreo. Et ex Urbani Papæ V. epiſtola ad Claram anno 1370. data, ſuperſtitem adhuc fuiſſe *Uroſium Serviæ Regem* impoſterum eruemus: quem denique nonniſi principio anni 1372. aut priore exeunte extinctum eſſe convincit Vukaſini pugna poſtrema cum Amurate, quæ pauco poſt Uroſii cædem tempore conſecuta eſt, & cum anno 1372. copulanda venit. Sed neque fidem meretur, quod Latini de repudio primæ conjugis, & nuptiis illegitimis, neſcio unde, hauſerunt. Hallucinari etiam videtur Orbinus, ſive cum primam conjugem Helenam appellat, ſeu cum eandem *Vulaici* Valachiæ principis filiam ſtatuit: nam ex eadem Urbani V. Papæ epiſtola, quam infra referemus, elucebit, Reginam Serbliæ *Anchan* nomine fuiſſe *Alexandri* olim principis, & *Claræ* filiam. Eam vero anno 1370. quo ea Pontificis litera emiſſa eſt, cum Rege marito vixiſſe, & Serbliæ præfuiſſe, non obſcure inde deducemus. Unde fit, ut aut nunquam ab Uroſio rejecta fuerit, aut damnato thoro illegitimo, dimiſſaque Vojſavi filia, rurſum ab Uroſio in regnum, thorumque revocata ſit.

VI. Inquiritur in religionem Uroſii.

SERBL. Exemto utcunque ſcrupulo de illegitimis Uroſii nuptiis cum Cæſaris Vojſavi filia, quas ego nunquam coaluiſſe credo. Quis tibi jam ſenſus de ejus Principis religione? A Romanis Sacris, & Pontificum obedientia alienum vixiſſe arbitror: & vix erit, unde oppoſitum doceas, poſtquam ipſe Innocentius VI. Papa anno Pontificatus VI. (B) in literis ad Joannem Gradenicum Ducem Venetiarum XVI. Kal. Auguſti datis eundem hunc *Uroſium Raſciæ Regem, DEI, AC FIDEI CATHOLICÆ HOSTIBUS* connumerat, & fœdus Venetorum cum eodem, licet juramenti religione firmatum, diſſolvit: & in literis ad Ludovicum Hungariæ regem III. Idus Auguſti inſcriptis, ſacrum bellum in *Uroſium* promulgari, cogique concedit, & *regni Raſſiæ terras; quæ OROSII ſe Regem Raſciæ nominantis tyrannidi ſubſunt.*

Defenditur a nota ſchismatis.

BULG. Præventum, occupatumque, hinc Petri Pactenſis nuncii narrationibus, inde Ludovici literis Innocentium, in eam denique abiſſe ſententiam, ut, & Stephanum Imperatorem patrem, & Uroſium Regem filium, Schismaticis, Eccleſiæque hoſtibus accenſuerit, extra omnem eſt controverſiam. At non primum id nunc factum, ut nuncii, legatique, ſeu zelo nimio abrepti, ſeu præjudiciis ſeducti, Summis Pontificibus obrepſerint, atque in errorem communem, in quo & ipſi

(A) Cantacuz. L. 4. c. 44. (B) Eſt annus Chriſti 1356.

ipſi legati verſati ſunt, Pontifices longe remotos induxerint, præcipue; cum nulla ex parte adverſa defenſio allata eſt, nullus accuſati, inſimulative patronus, aut miniſter ſe oſtenderet; nec eſſet, qui ſeu intemperantem zelum, ſeu alia legatorum errata Pontificibus aperiret. Quo quidem neglectu, defectuque peccavit, & non levem famæ ſuæ, ac regni commodis *Stephanus* Imperator labem aſperſit, periculumque *Uroſio* filio juveni, & prorſus innoxio, accerſivit.

SERBL. Exiſtimas igitur Petri legati accuſationes *Stephanum Imperatorem* facile apud thronum Pontificium diluiturum, & decreti in legatum quanquam immitioris rationem ſublevantem redditurum fuiſſe, atque ſuſpicionem mutatæ fidei, & reverentiæ in Sedem Apoſtolicam, amoliri a ſe, filioque potuiſſe?

BULG. Ita quidem ego de æquitate Romani Pontificis, ita de Imperatore Stephano, ac multo magis de Rege Uroſio ſentio, cui ob ætatem nulla adhuc tunc gubernii pars credita fuerat: & quos Innocentius VI. anno 1354. ut compertum eſt, in vere catholicorum Principum numero habuit, magnisque laudum præconiis extulit (A). Quorum, ſi inſuper literæ ad Papam redditæ, e tenebris archivi Romani eruerentur, luce meridiana clarius effulgeret, plena utriusque Principis cum Sede Apoſtolica, fideque conſenſio: nec aliud quid offenſionis hic interveniſſe, quam neglecta a Petro ſancto legato officia, titulosque Imperatori debitos, quos Stephanus jure occupatæ Romaniæ arrogabat, obtendebatque. Igitur fidenter affirmo, Regem quoque *Uroſium* cum *Helena* matre Eccleſiæ catholicæ dogmata complexos, ac obedientiam profeſſos fuiſſe non minus, quam Imperatorem Stephanum: illis enim potentiſſimi Imperatoris exemplum, inſtar mandati fuit. Certe *Uroſius*, qui patre tunc adhuc ſuperſtite, licet Regis nomine donatus, nullam tamen reipublicæ, aut adminiſtrationis partem attingebat; neſcio, qua fide, apud Innocentium Pontificem *inimici*, *hoſtisque Eccleſiæ Catholicæ* nomine, invidioſiſſime traductus ſit. Sed utcunque ſe hæc habeant, quod quæſtionem abſolvit, dubiumque omne perimit de fide Uroſii Catholica, eſt Vadingi teſtimonium (B). Is vero poſtquam retulit opera Innocentii Pontificis finem tandem bello Hungarico, Venetoque anno 1358. eſſe impoſitum, & Dalmatiam a Ludovico in fidem receptam, ſic in rem noſtram loquitur: *Superatis itaque multis difficultatibus, atque obtenta Pontificis facultate, ſelectum Ludovicus conſcripſit militem contra Faſciæ Regem: arces & munitiſſima quæque loca occupavit, ipſum Regem cepit. Sed cum poſtea in manus Ludovici ex formu-*

Et Catholicis adſcribitur.

Vadingi teſtimon. de Uroſii profeſſione catholica.

(A) Literas Innocentii VI. Colloquio IX. retuli. (B) T. 1. annal. min. ubi Vadingus hoc, & plura alia, ad diverſos annos ſpectantia, ſub annum 1356. collegit.

la ab Innocentio præſcripta juraſſet, inque fide, & obedientia tum Romanæ Eccleſiæ, tum Regum Hungariæ ſe futurum promiſiſſet, magnifice donatus, regno reddito dimiſſus eſt. Id, quod ad annum 1359. poſt pacem ſanctam cum Venetis, non alteri, quam *Uroſio*, qui Serbliæ Regio nomine tunc imperabat, eveniſſe debuit (A).

VII. Bella Hungarica in Serblos anno 1359. primum infelix, alterum felix, cui occaſionem præbuit Lazari cum Vukaſino diſſidium.

SERBL. Ferventibus per Serbliam civilibus bellis, principumque diſſidiis Ludovicum Regem Hungariæ recepta a Venetis Dalmatia, rebusque illic confirmatis, anno 1359. victorem exercitum in partem Bosnæ, Serviæ Regibus obnoxiam infudiſſe, conſtat ex Hungariæ Scriptoribus. Exercitui præerat Nicolaus Konth regni Palatinus, cui Nicolaus Strigonienſis antiſtes ſe comitem junxerat, ut, ſi ex voto expeditio cederet, res ſacras authoritate ſua iſthic extemplo conſtitueret. Vis Srebernico urbi primum admota fuit; ſed clade ab obſeſſis accepta, amiſſoque Sigillo Regio, nullo fructu in Hungariam diſceſſum eſt. At parte altera felicior armorum Regiorum progreſſus fuit. Matthæus Villanus (B), atque ex eo Raynaldus ad annum 1359. refert: duorum Principum mutuas inimicitias tranſitum Danubii, aditumque in Serbliam Ludovico paraſſe. *Hos*, inquit ille, *cum Raſſiæ Rex diu in concordiam adducere conatus, nihil proficeret; ira percitus, faceſſere, & ſe bello invicem inſectari juſſit. Ex quo, cum alter viribus potentior in æmulum ſigna infeſta circumferret; alter bello impar Danubii accola Hungaricas copias excivit, quibus adverſarium profligavit. Mox etiam Ludovicus Rex Hungariæ menſe Majo Danubii trajectu potitus, Raſciam, qua parte in æquam planitiem patet, victoriis percurrit; in montana, nemorumque receſſus fugiente Serviorum Rege, in quibus ſcrutari hoſtem tutum non erat. Ita victor Hungarus, cum nemo reſiſtere auderet, exercitum in Hungariam reduxit.* Hæc illi, qui, ut videtur, bella duo, una, ac continenti narratione ſunt complexi: *primum* quidem, quod inter Serblorum principes exarſerat: quos ego non alios fuiſſe exiſtimo, quam *Lazarum Comitem Danubii accolam*, & *Vukaſinum*, qui a Pheris ad Danubium usque majore potentia dominatus eſt, & quem Lazarus advocatis Hungarorum auxiliis profligavit. *Alterum* vero, quod *Ludovicus* mox ipſi Serblorum *Regi Uroſio* per ſe intulit. At de Rege capto, fideque catholica in manus Ludovici jurata, nemo, quod ſciam, præter Vadingum meminit.

Villani teſtimonium de eo.

Villanus cum Vadingo conciliatur.

BULG. Plus fidei Lucæ Vadingo, quam Villano, aliisque a regno remotis Scriptoribus tribuo. Is enim ex Fratrum minorum monumentis, qui per regna illa late ſparſi agebant, iſtud didiciſſe potuit;

(A) Nam Vukaſinus ſerius Regis nomen ab Uroſio adeptus eſt: nec unquam ab exteris pro Rege habitus: ſicut nec Uroſius pro Imperatore. (B) L. 9. c. 16. 22. & 32.

tuit; ac procul dubio didicit, quorum opera & hic Ludovicus uſus fuerit. Cæterum, & utrumque eſſe potuit, hoc eſt: ut & Serbliæ rex Uroſius primum in montana ſe fuga ſubduxerit, quod Villanus affirmat: & poſtquam, non ditiones, urbesque appeti, ſed obedientiam Romanæ Eccleſiæ, Regisque Hungariæ jus ſupremum urgeri cognovit, ultro ſe Ludovico obtulerit, juſtisque poſtulatis ſubſcripſerit, quod Vadingus teſtatur. Certe ex ſilentio aliorum Scriptorum immerito fides Vadingi hic in ſuſpicionem vocatur, qui id tam diſertis verbis, fidenterque affirmavit. Quid quod, cum iſte belli ſacri a Ludovico in Uroſium ſuſcepti finis, ſcopusque fuerit, vix credi poteſt, victorem receſſurum fuiſſe aliter, niſi impetrata ſibi, ac Eccleſiæ obedientia. Cæterum præter Vadingum Samuel quoque Timon (A) capti Raſſiæ Regis, fidemque catholicam profeſſi meminit: etſi in proprio Regis nomine, & in conſignando anno aberret; ac vulgari Scriptorum Latinorum præjudicio, orthodoxiam Regis, ad fictionem, ſimulationemque trahat. Liti filum præcideret Ludovici ea de re ad Innocentium Papam epiſtola, ſi nobis ad manum eſſet.

SERBL. Ut Ludovici teſtes literas non poſcam, & in fide Vadingi acquieſcam, adducor tam ſinceritate documentorum, quibus in ſcribendo hic auctor uſus eſt: quam etiam exemplo patris Imperatoris Stephani, propriaque filii Uroſii pietate. Denique & infelici, turbatiſſimaque per eadem tempora Serbliæ conditione: quæ cum per Simonis patrui ſeditionem, & colliſionem mutuam, ac inobedientiam procerum, tum & per Lazari Comitis tranſitum ſub clientelam Hungariæ; multum a ſplendore ſuo, valoreque deciderit; non erat profecto, cur ſupremo juri Hungarici Regis ſe ſubduceret, minime vero filiali Romanæ Eccleſiæ obedientiæ, cujus obſequio, cum patre Stephano, feliciſſimis illis, florentiſſimisque Serblici imperii temporibus, ultro, volensque ſe ſubmiſit, devovitque. Quare *Uroſium Imperatorem* Eccleſiæ Romanæ dudum antea devinctum, Ludovico agente, publica etiam, ſolemnique fidei conteſtatione, colligatum iterum fuiſſe concedo, Innocentio VI. Pontifice: quo ipſo ſedente, paucis ante annis, hoc 1355. deturbato Joanne Cantacuzeno imperium plene adeptus, etiam Joannes Palæologus obedientiam Sedi Apoſtolicæ juravit in manibus Pauli Smirnenſis Archi-Epiſcopi, plurimaque alia Eccleſiæ utiliſſima ſpopondit (B).

SERBL.

(A) In Synopſi Chronologica ad annum 1354. cujus verba exſcribo: *Ludovicus Stephanum Regulum Raſciæ, Deſpotam noſtri Hiſtorici vocant, prælio vincit, & capit: omnia tamen orthodoxa ſimulantem, libertati reddit.* (B) Juramentum Joannis Palæologi exſtat ad hunc annum apud Raynaldum N. 24. *Ego Joannes in Deo Chriſto fidelis Imperator* &c.

SERBL. Uroſio catholicis principibus aſſerto, quid jam dicturus es de *Lazaro Comite* Ludovici Hungariæ regis vicino, fœderato, & cliente: qui ſubinde Deſpotæ dignitate claruit, & quem Eccleſia Serblica non minus, quam Uroſium, ob virtutem perinde incorruptam, ac corpus, aris admovit, & Martyrem veneratur.

VIII. Lazarus Comes Serbliæ Catholicis aſſeritur.

BULG. Ut Lazarus Comes contiguas Hungariæ regiones obtinebat, ac Ludovico arcto fœdere, & clientelæ obſequio colligatus fuit, nec una, ac ſimplici vice auxiliis, opibusque Hungaricis adjutus eſt: ita eundem, & ſupremum Ludovici imperium agnoviſſe, & pari religionis vinculo, communi Eccleſiæ Catholicæ patri, Romano, inquam, Pontifici adhæſiſſe indubium eſt. Quis enim credat, Ludovicum religionis curam in principe fœderato neglexiſſe, quam tot ſuſceptis fatigiis, laboribusque procurabat in aliis, quos ab ea disjunctos putavit. Belli ſacri in Serbliam ſuſcepti, cum ſcopus Ludovico alius non fuerit, quam imperio ſuo, & Eccleſiæ Romanæ obedientiæ gentem illam adjungere; commune hoc religionis vinculum potiori jure a principe ſibi devincto exegit, impetraſſeque credendus eſt ab eo, quem toties opibus, armis, ac ſanguine proprio defendit, protexitque.

Innocentio VI. procurante, & Ludovico rege ejus, Uroſii, & Palæologi unionem.

SERBL. Procurante igitur Innocentio VI. & Ludovico rege piiſſimo operam navante, in concordiam cum Sede Apoſtolica, communionemque rediit præter *Joannem Palæologum*, *Uroſius* quoque *Serviæ Imperator*, ac *Lazarus Comes*. An vero ſucceſſores etiam Pontifices pari zelo ſtuduerunt aggregare disjunctos, quorum multi adhuc alii per Serbliæ imperium, vicinasque regiones rerum potiti ſunt.

IX. Succeſſorum Pontificum Romanorum pii conatus in Turcos, & promotionem unionis.

BULG. De ſimilibus ſucceſſorum Pontificum conatibus in aggregandis ad corpus Eccleſiæ viris principibus, ſucceſſuque optimo, plenæ ſunt eorum epiſtolæ, ac cumprimis Urbani V.. qui in locum Innocentii anno 1362. electus eſt. Is, cum Turcorum potentiam per Europam increſcere, & Græcos pene oppreſſos cerneret, ad Græcanicum ſchisma e medio tollendum graviſſimis literis Joannem Imperatorem anno 1365. hortatus eſt, ſimulque de Rhodiorum equitum, ac Genuenſium maritimis auxiliis ſecurum reddidit (A). Atque, cum ſequente anno idem auguſtus per oratores etiam Urbano obedientiam filialem detuliſſet, Pontifex ad perducenda pia conſilia ſtimulos addidit (B), indicavitque Ludovicum Hungariæ regem, fortiſſimum Chriſti athletam, itinere terreſti cum cruce ſignatis in Turcos moturum, maritimo autem Cypri regem, & Amadeum Sabaudum Palæologo affinitate junctum auxilio venturos. Sed quoniam metus non ex vano ſubortus eſt, ne acceptis auxiliis Græci, ut ſæpe antea illuderent, datamque

(A) T. 3. Secret. p. 78. (B) T. 4. Secret. p. 34.

tamque fidem fallerent: per literas alias (A) Sacramentum Ludovici de bello Turcis inferendo, in annum ſequentem Pontifici extrahere placuit, dum nempe ſolemni profeſſione fidem, ac unionem certius teſtaretur, ac confirmaret Imperator: & Ludovico author fuit, ut aliorſum interim arma verteret. Sed Palæologus morarum impatiens Ludovicum per ſe ipſum Budæ convenit (B): & cum dato Sacramento ſpopondiſſet ſe cum filiis ad fidei, & Romanæ Eccleſiæ obſequium accedere, Ludovicus quoque pari Sacramenti religione ſe ad ejus defenſionem obſtrinxit. Pontifex vero pactis utriusque ratihabitis, formulam, ex qua Palæologus fidem profiteretur, præſcripſit datis ad Palæologum literis X. Kal. Julii anno IV. miſſisque in omnem partem legatis totus in id incubuit, ut principes occidentis ad belli ſacri in Turcos ſocietatem colligaret, cui bello in Amuratem Ludovicum ducem præfecit.

Ludovici Regis bellum in Bulgariam An. 1368. & Bulgariæ ſtatus.

SERBL. Ludovicus cum promtum, expeditumque haberet exercitum, ſive quo Græco Imperatori proximior fieret, commodiusque inde Palæologo ſuppetias ferret, ſeu a Straſimiro Bulgariæ principe Vidini imperante offenſus, ſeu zelo fidei promovendæ, juriumque regni ſui ſtimulatus, in Bulgariam inopinatus irrupit (C). Trifariam tunc diviſum fuerat Bulgariæ imperium: extremam, ſeu ponto Euxino proximam cum Preslava, & Thraciæ, Romaniæque parte obtinebat *Michael*, intermedia Bulgaria cum regum ſede *Ternobo* parebat *Sismano*: ſuperiori parti, Vidinoque *Straſimirus* imperabat, & pro infelici temporum illorum conditione, ſinguli ambitioſo *Imperatoris* nomine abutebantur, quod Majorum virtus olim, cum latiſſime dominabantur, jure conquiſivit, & uni ſemper proprium eſſe voluit. Ludovicus, capto *Vidino*, in quo Straſimirus Regiam fixerat, ipſum quoque Straſimirum in poteſtate habuit, ac Kemlekum Zagrabienſis Diœceſeos caſtrum in cuſtodiam transmiſit, ejusque imperio ſubjectam Bulgariæ partem emenſus victoriis, trimeſtri ſpatio occupavit univerſam. An vero tam lato armorum progreſſu, illa Bulgariæ regione, res catholica incrementi aliquid acceperit, me quidem latet: id probe novi, nec Græcorum Imperatorem auxilii, opisque aliquid, nec Turcos detrimenti quidquam a Ludovico accepiſſe: quanquam identidem hinc Palæologus, inde Romani Pontifices ſtimulos ſubderent, & oblati Sacramenti fidem in memoriam reducerent, ipſaque periculi vicinitate brevi ad Hungaros tranſituri, ad corripienda arma ſacra, erigendumque crucis vexillum provocarent.

Captum cum Rege Straſimiro Vidinum.

Religionis Catholicæ propagatio apud Bulgaros.

BULG. In recens occupata Bulgariæ portione, maxima rei catholicæ commoda Ludovicum attuliſſe palam eſt. Vix enim provinciam

(A) T. 4. Secret. p. 246. (B) Anno 1366. (C) Anno 1368.

ciam adeptus, continuo viros apoſtolicos ex ordine minorum in eam immiſit. Regio omnis Manichæorum Patarenorum colluvie ſcatebat, aut Græcis erroribus involuta fuit. Octoni non amplius Sacerdotes de Bosnæ Vicaria vaſtam hanc arenam ingreſſi fuerant, &, quod ſingulare fuit Dei beneficium, dierum quinquaginta arcto ſane curriculo, plusquam ducenta hominum millia aut baptismalibus undis, ejurata Patarena hæreſi, abluerunt; aut dedoctis erroribus, damnatoque Schismate ad unitatem Eccleſiæ aggregarunt: indicio certiſſimo, ignorantia, & magiſtrorum defectu potius, quam malitia plerosque eatenus a vero abluſiſſe. Converſorum nomina in publicas tabulas redacta Ludovicus ad miniſtrum ordinis Minorum generalem transmiſit, ſubſidiarias copias in hanc magnam meſſem ardenter efflagitans. Is vero, ut pio Regis zelo obſequeretur, ad miniſtrum Provinciæ Sancti Franciſci Aſſiſſium, prælegendam illic, Fratribus ad indulgentiam Portiunculæ affluentibus, epiſtolam, in hæc verba exaravit: *Chariſſime Miniſter! Heſterna die ab inclyto Rege Hungariæ Ludovico, & Vicario Bosnæ quasdam literas omni jucunditate ſpiritus lætiſſimas lætus accepi. Grandis prorſus in meditationibus exardere cepit ignis, & ſuccenſi fervoris prodita favillæ, & animatio quædam potens, & valida ad converſionem infidelium populorum. Illis ſiquidem literis intimatum eſt mihi, quod recenter per ſervos ſuos Fratres noſtri ordinis Vicariæ Bosnenſis tam magna, & mirabilia Dominus operatur: ut quamvis multi ſint numero, nullo tamen modo ſufficiant currentes ad ſacræ generationis lavacrum baptizare, & miniſtrare hominibus Sacramenta. Unum e pluribus intimare cupivi ad petitionem Chriſtianismi, & devotiſſimi Regis Hungariæ. Vicarius meus Bosnæ ad illam patriam regno, ac Vicariæ contiguam octo Fratres noſtri ordinis ſibi ſubditos deſtinavit, qui infra quinquaginta dies ultra ducenta hominum millia baptizarunt. Et, ne forte de numero ſcrupulus oriatur, juſſu Regis omnes baptizati in ſcripturam publicam ſunt redacti: illius tamen regionis, ut ſcribitur, nondum tertiam partem converterunt. Sperant tamen firmiſſime aperiri eis oſtium fidei, Domino Jeſu Chriſto, quidquid reſiduum fuerit, in caulam Dominicam congregante. Currunt enim cum ſuis gentibus PRINCIPES INFIDELES: juvenes, & virgines: ſenes cum junioribus turmatim confluunt ad baptisma. HÆRETICI ſimul cum SCHISMATICIS ad veritatem fidei orthodoxæ, ad unitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ revertuntur. Ipſorum etiam SACERDOTES, ET CALOGERI ſub jugo fidei efficiuntur humiles, qui in ſua hæreſi nimis antea fuerant pertinaces. Aedificare voluerunt loca noſtræ Religionis quam plurima, ut fructus virtutis, unitatis, & fidei perſeveret. Lætentur igitur Cœli, & exultet terra, & omnis lingua Dominum glorificet: terra ſiquidem mota eſt, & Cœli diſtillaverunt a facie Dei Sinai, pluentes his diebus ſolito abundantius pluviam bonam, quam ſegregavit Dominus hæreditati ſuæ, hæreditati utique Fratrum minorum; ut non reperiatur in eis vacua lexe Chriſti; ſed eorum manibus repleatur multitudine gentium converſarum. Unum eſt tamen, quod ſpirituali huic gaudio doloris aculeum intermiſcet: meſſis quidem multa, ſed operarii valde pauci. Ecce regiones jam albæ ad meſſem;*

Literæ miniſtri Generalis Fratrum minorum de converſionibus ſtupendis.

Principum quoque, ac Sacerdotum.

messem; sed non sunt, qui sufficienter metant, & fructus in vitam æternam valeant congregare. Propterea mihi intimatum cum fletibus, quod si numerus fratrum non augeatur, immensus fidei fructus negligitur, atque dimittitur, & perduntur animæ, pro quibus Salvator pretiosum suum sanguinem fudit. Perditur tota illa BULGARIA POPULOSA, quam Rex ille invictissimus Hungarorum, dudum potenter obtinuit; & PRÆCIPUE CIVITAS ILLA BINDIN FAMOSA NOSTRIS, ET MAGNA, & ubi fratres in copiosiori numero destinantur. PATARENI, ET MANICHÆI sunt amplius solito dispositi baptizari, & ad Christum, verum lumen converti, si non deficerent, qui viam hujus luminis demonstarent. Piissimus Rex præfatus cernens de multis nationibus, & regnis multos in eodem sancto proposito, admiratione repletur & gaudio, devote præstolans, ut ex ipsis fratribus partium diversarum ad DIES MILLIA transmittantur, quos valde religiosè collocare disponit: adeoque zelo fidei catholicæ, & conversionis infidelium fidelissimus Rex effervet, ut etiam proprium corpus vellet exponere, & pro conversione gentium, seipsum totum dare. Igitur exurgant viri religiosi, imitatores filii Dei, filii Beati Francisci, & ad laborem messis viriliter se accingant, in exultatione metant, & in labores seminantium fideliter introeant, ut & qui seminant, & qui metunt, pro granis purissimis in horreis Domini congregatis, panem suavissimum in regno Domini in mensa Christi glorioso manducent. Tu vero, Minister! omnibus fratribus convenientibus ad sanctam indulgentiam Portiunculæ, præsentes literas distincte, & intelligibiliter legi facias, seu legas: eosque, quantum vales, ferventer, & efficaciter exhorteris, ac constanter inducas ad capiendum fructum tantæ salutis: ut cum omni promtitudine se disponant, eisque ex parte mea denuncies, ut, si qui Spiritu Dei tacti illic voluerint proficisci, ad meam præsentiam debeant alacriter, & secure venire, ut obedientia, & benedictione percepta, suum jactantes cogitatum in Domino, inspirationem dictam liberius, & securius exequantur. Vale in Domino, & ora pro me.

SERBL. Inter has tantas, talesque Ecclesiæ Catholicæ progressiones per Bulgariam, nullane pars fructus spiritualis ad *Serblos, Rasciosque* Bulgariæ contiguos dimanavit?

BULG. Ad *Rasciam* quoque, *Bosnamque* opera eorundem Apostolicorum virorum, salutis fructum eximium dimanasse testis est eorundem relatio Urbano V. facta, atque a Pontifice eodem literis consignata: qui, ut in tam ampla messe paucitati operariorum consuleret, *Colocensem*, & *Chanadiensem* antistites ad copias subsidiarias eodem destinandas excitavit: Ludovico autem Regi tam uberes, lætosque fructus per *Bulgariam*, *Rasciam*, *Bosnamque* gratulatus, ad prosequendum Dei opus, juvandosque consilio, auxilio, ac favore Episcopos, quibus sacra subsidia cogenda imperaverat, rogavit, & hortatus

Conversiones per Bulgariam, Rasciam, & Bosnam.

est: en epistolam (A): *Charissimo in Christo filio Ludovico Hungariæ Regi illustri! Replevit ingenti gaudio mentem nostram acceptissima Deo, & nobis relatio nuper per dilectos filios Joannem de Rheno, & Andream de Perusio ordinis Fratrum Minorum de* BULGARIÆ, RASCIÆ, ET BOSNÆ *venientes partibus, nobis facta, inter cætera continens: quod inspirante illo, qui, ubi vult, spirat, ad tuam inductionem, & cooperationem piissimam, & fratrum dicti ordinis in dictis partibus commorantium prædicationem multa millia personarum utriusque sexus, relictis damnabili schismate, aliisque erroribus, quibus erant, & fuerant omni tempore involuti, ad lumen veræ fidei, ac unitatem, & obedientiam Sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ, & magistræ cunctorum fidelium redierunt. De quo non solum nobis, sed universæ congregationi fidelium talia sentientium, quam tanta multitudine augeri procurasti devotissimis studiis: & Cœlesti etiam Curiæ ingentem lætitiam attulisti. Nam si teste veritate, quæ Christus est, super uno peccatore pœnitentiam agente, angelis Dei est gaudium; quanto majus illud existimandum existit, quod de tantæ multitudinis conversione noscitur exoriri. Proinde itaque Deo, a quo omne datum optimum progreditur, gratias referentes, & tuam Christianissimam Serenitatem dignis laudum præconiis extollentes, plenis affectibus rogamus, & hortamur eandem, quatenus hujusmodi tua studia laudanda continuans, venerabilibus fratribus nostris Archi-Episcopo Colocensi, & Episcopo Chanadiensi, quibus per Apostolicas literas mittimus, & mandamus, ut de Sacerdotibus, qui curam gerant conversorum hujusmodi, solerter provideant, & eisdem fratribus ad alios cooperante Domino convertendos, assistant: velis pro reverentia Dei, & tui, & nostro ineffabili præmio, & reverentia Apostolicæ Sedis, dare consilium, auxilium, & favorem ad conversionem aliorum schismaticorum, hæreticorum, & infidelium, quibus regnum tuum vicinum existit; omnem, quam poteris, prout de Te sperat Sancta mater Ecclesia, operam præbiturus.* Datum apud montem Flasconem, II. Idus Julii anno VI. qui est Christi 1368.

SERBL. At, an prorsus nihil, quod ad aliquem Serbliæ principem nominatim pertineat, & ex quo ejus cum Romana Ecclesia unio certius constet, Archiva Romana suggerunt? Utinam hæc universa semel Pontificum zelus, ac liberalitas publico aperiat, indulgeatque. Fructus sane uberrimus inde existeret.

X. Balsæ Zentæ principes ad gremium Ecclesiæ redeunt.

BULG. Ex clarioribus Serbliæ principibus viris, *Balsarum gentem* fuisse, ac fratres Strasimirum Georgium, & Balsam *partis Albaniæ, Zentæ*, aliarumque amplarum ditionum Dominos exstitisse in confesto est: quorum Georgius per Milizam, Regis Vukasini gener fuit. Hos vero nominatim, ac inter primos damnasse Schisma, & ad Ecclesiæ gremium se retulisse testis est Urbani V. epistola (B) ad eosdem anno 1368. exarata, ut sequitur: *Nobilibus viris Strasimiro,*

&c.

(A) T. 4. Secret. Urbani V. p. 130. (B) T. 6. Secret. p. 104.

& Georgio, ac Balſæ fratribus gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Spiritus noſter exultavit in Domino, qui ſicut ex relatione venerabilis fratris noſtri PETRI EPISCOPI SUACIENSIS latoris præſentium, per vos ſuper hoc ad noſtram præſentiam deſtinati, percepimus, miſericorditer dignatus eſt vobis tribuere intellectum: ut relictis ſchismatis, & errorum tenebris, in quibus hucusque ambulaſtis, incipiatis animabus veſtris, & ſubditorum veſtrorum prudenter conſulere, & lumen agnoſcere veritatis: intendentes ad obedientiam, & devotionem Sacro-Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matris, & magiſtræ cunctorum fidelium, reverenter, & cordibus ſinceris accedere, in eisque perpetuo remanere: ac a nobis, qui, licet immeriti, ſumus in terris Chriſti Vicarius, inſtrui, qualiter debeatis in via mandatorum Domini ambulare. De iis igitur laudandis principiis, Deo, qui vos ſua gratia prævenit, & ſi pura intentio in mentibus veſtris viget, ſequatur indubie; devotas gratias agimus, & vos plurimum commendamus: intendentes vos, ſi noſtris, & dictæ Eccleſiæ mandatis devote parebitis, in filios ſpirituales recipere, & tenere, ac proſequi favoribus opportunis. Ut autem mereamini in gratiam reconciliationis admitti, ac obtinere Apoſtolicæ Sedis benevolentiam, & favores, a moleſtiis Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, aliorumque Catholicorum, obedientiam dictæ Romanæ Eccleſiæ, præſertim Civitatis Colocenſis, quam jam diu a vobis, ſeu a te, GEORGI! hoſtiliter moleſtari percepimus, curetis penitus abſtinere: ut in iis, & aliis veſtram intentionem puriſſimam oſtendatis. Super quibus, & aliis per vos agendis in dictæ veſtræ reconciliationis negotio præfatum Epiſcopum duximus informandum: cui ſuper iis, quæ vobis ex parte noſtra retulerit, velitis fidem indubiam adhibere. Datum apud montem Flaſconem Balneo-Regienſis Diœceſis, VIII. Kal. Junii anno VI. Exſtat quoque ad eosdem gratulatoria Urbani de damnato ſchismate (A), qua una hortatur, ut Epiſcopi a Sede Apoſtolica miſſi conſiliis obſequantur. Notat præterea Raynaldus ex Vaticano Regeſto anno eodem 1368. Epiſcopos quatuor ex ordine Minorum in *Albaniam*, vicinasque regiones ad fidem latius propagandam dimiſſos, quos Urbanus *Straſimiro*, *Georgio*, *ac Balſæ Geuciæ Zupanis*, Archi-Epiſcopo Dyrrachii, ac univerſis Albaniæ Catholicis ſollicite commendavit. Et perſtitiſſe hos Principes ad extremum in devotione adverſus Sedem Apoſtolicam teſtantur poſteriorum Pontificum epiſtolæ (B). Tam conſtans autem, ſinceraque fuit in Sedem Petri pietas, & affectio principis Georgii ex Straſimiro nati, ut univerſum ſuum principatum amplum ſane, & per Albaniam, Serbliamque late diffuſum, ſupremo Eccleſiæ Romanæ imperio ſubmiſerit, quin & poſt ſtirpis ſuæ defectum, hæredem, ac ſucceſſorem inſcripſerit, quam pietatem, munificentiamque acceptavit, commendavit, ac ratam habuit Bonifacius IX. (C). Præter Balſarum progeniem *Nico-*

Georgius Romanam Eccleſiam hæredem inſtituit.

(A) T. 6 Secr. Urbani V. p. 104. (B) Apud Raynaldum Nr. 2. in Bonifacio IX.
(C) Raynaldus ad annum 1391.

laum quoque *Altomanum* potentiſſimum Chulmiæ principem, qui a Voiſavi Cæſaris patrui deceſſu poſt annum 1366. oppreſſis hæredibus, ditiones ſuas inde a Ruguſæorum urbe ad Dimum usque flumen, Syrmiique limites dilatavit, conjunctum cum Sede Apoſtolica fuiſſe conjicio ex Gregorii XI. literis (A) datis ad Bosnæ Vicarium, quibus poteſtatem fecit fratribus minoribus in ditione *Nicolai*, territorio nempe *fori de Bonrich*, domicilia duo erigendi: nam cum ea citra annutum, opemque Nicolai conſtitui haud potuerint, eſt hoc ipſum argumento, principem eundem non modo conjunctum, ſed & ſtudioſum, faventemque religioni catholicæ fuiſſe.

Aſſeritur Catholicis & Altomanus Nicolaus.

XI. An. 1369. Ladislaus Valachiæ P. Vidinum Hungaris eripit.

SERBL. Lætiſſimos hos rei catholicæ, per Serbliam, Bulgariamque progreſſus, perturbavit, interrupitque Ladislaus Baſſaradus princeps Valachiæ Alexandri filius, qui anno 1369. incipiente a Bulgaris Rex acclamatus, Vidinum Sedem Regiam, popularium proditione occupavit, ejecta inde rurſus Ludovici Hungariæ regis militia, & viris Apoſtolicis ad hos motus, novosque belli tumultus, aut dilapſis, aut furore Calogerorum peremtis.

Martyrium FF. Minorum ibid.

BULG. Martyrium quinque Fratrum minorum (B) ad annum 1369. Vidini die XII. Februarii in odium fidei occiſorum, & prodigia, quæ tunc ad eorum corpora virtute divina patrata ſunt, refert Vadingus ex Piſano. Ab invidia cædis impiæ abſolvit is Ladislaum, omneque crimen in victos diſputatione publica, furentesque propterea Calogeros confert. Ladislaus enim non religionis catholicæ odio, ſed Bulgariæ, & Straſimiri Imperatoris affinis ſui cauſa, id belli in Ludovicum ſuſcepit: receptoque Vidino, quoad vixit, Amuratem bello perſecutus eſt, acerrimus chriſtiani nominis vindex. Aſt & hæc perturbatio brevi deſiit, pace inter Ladislaum, & Ludovicum compoſita, & Straſimiro Imperatore libertati reddito, atque in avitam ditionem jam anno 1371. reſtituto (C): quem captivitate ſolutum, catholicum in provinciam rediſſe, dubium eſſe nequit.

Straſimirus, Bulgariæ redditus an. 1371.

SERBL. Unde tu hoc poſtremum, & quo vade tam fidenter aſſeris? Hungarici Scriptores (D) de abdicato ſchismate altum ſilent, idque unum adſtruunt: obſequium coronæ Hungaricæ in manus Ludovici juraſſe, atque deinceps in fide perſeveraſſe, pactaque tunc jurata conſtanter expleviſſe.

Straſimir. catholicus.

BULG. Atqui inter pacta facile præcipuum fuit, ſchismatis abjuratio, & fidei catholicæ confeſſio. Nec in dubium id vocare licet,

(A) Gregor. XI. T. 2. Secret. p. 35. (B) Erant ii Antonius Saxo, Gregor. Tragurienſis, Nicolaus Hungarus, Thomas Fulginas, & Ladisl. Hung. (C) Paulus Jolincius. (D) Thuroczius, Bonfinius.

licet, cum ſacri belli in Straſimirum moti cauſa præcipua eſſe debuerit, religionis catholicæ vindicatio, propagatioque. Et perſuadet hoc Ludovici pro fide orthodoxa per captam Bulgariam dilatanda zelus ardens, ſtudiumque: tum & Uroſii Serbliæ, & Palæologi Conſtantinopoleos Imperatorum exempla, quorum primum nonniſi Eccleſiæ conciliatum Raſsiæ regno reſtituit: alterum vero non aliter, quam unione cum Eccleſia Romana in pactum deducta, in amicitiam, fœdusque recepit. At dolet animus, quod hæc, quamcunque certa, nullo aperto teſte, documentove confirmare adhuc poſſim. De Straſimiri filia Dorothea poſt captum patrem, in Regia Ludovici catholice educata, collocataque ſubinde Tvartko I. Bosnæ, Raſciæque Regi, teſtem habeo Maurum Orbinum: eſt quoque teſtis Urbani V. epiſtola anno 1370. ad *Claram Valachiæ* principem data, filiam ejus *Imperatricem Bulgariæ*, catholicorum numero pariter acceſſiſſe: hæc vero ipſa Straſimiri conjux fuit, ac mater Dorotheæ: nam alii duo Straſimiri fratres, qui per eadem tempora partes alias Bulgariæ Imperatorio nomine moderati ſunt, *Michael* quidem *Mariam Joannis Palæologi* filiam, *Sismanus* vero *Braidam Lazari Serviæ Comitis*, *ac Deſpotæ* natam in conjugio habuere.

Item filia ejus, ac uxor.

SERBL. Tot, tantorumque gentis noſtræ principum conjunctionem cum Romana Eccleſia coronavit Joannes Palæologus Conſtantinopoleos Imperator, cum anno 1369. Romam iter iniit, & jam tertium abdicato ſchismate in facie Eccleſiæ catholica dogmata complexus obedientiam filialem Urbano V., ac ſucceſſoribus Chriſti Vicariis iterato Sacramento ſpopondit, editoque in univerſum ſcripto publico, talem ſe teſtatus eſt, non ſine grandi plurium, qui adhuc extra Eccleſiæ conſortium degebant, proventu. Nam, ut magna vis exemplorum eſſe ſolet, in pia veſtigia Reges etiam, principesque traxit: juvat de hoc audire Raynaldum: *Concitavit*, inquit: *Palæologi exemplum animos aliorum Regum, ac principum, qui tenebris Græci Schismatis involuti erant, adeo, ut plures eorum in ſinum Eccleſiæ redire conſtituerint, ac populi pariter eorum imperio obnoxii incorruptam fidem, projectis erroribus profiteri decreverint. Quibus, ne deeſſet Pontifex, Apoſtolicis literis fidei formulam comprehenſam edidit:* Sed nec ſupervacaneum erit, ipſam hac de re Urbani V. epiſtolam in medium adferre (A). Ea ſic habet: *Sane, cum, ſicut accepimus, nonnulli Reges, & Principes, & alii Chriſtiani tam Clerici, & Eccleſiaſticæ perſonæ Religioſæ, & etiam Sæculares, quam Laici, qui extra obedientiam dictæ Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus, damnabiliter permanſerunt, & hactenus permanere noſcuntur, ad dictæ Eccleſiæ redire, ſeu venire deſiderant unitatem, ac obedientiam, & reverentiam debitam, & devotam. Nos volentes eos dictæ fidei profeſſionem, quam debent facere, ſalutari edocere doctrina, infra ſcriptam formam, quam in talibus ſervare con-*

Joannes Palæologus fidem profitetur Romæ an. 1369.

Et ejus exemplo reges nonnulli, ac principes.

(A) T. 4. Secretarum Urbani V. p. 257. incipit: *Ad propagationem.*

consuevit dicta Ecclesia, præsentibus fecimus annotari: volentes, ac mandantes, quod quilibet, qui fuerit, seu est schismaticus, & præcisus a præfatæ Ecclesiæ unitate, & ad eam redire voluerit, dictam professionem in manibus alicujus Prælati, vel Clerici, aut Religiosi catholici, & præfatæ Ecclesiæ communionem habentis faciat in ipsa forma, quæ talis est. Moxque recenset formulam, quam ipsam Clementinam fuisse Michaeli Palæologo quondam præscriptam, satis constat. At, qui illi Reges, qui Principes, quis Clerus, populique exstiterint, in quorum animis exemplum Joannis Palæologi, accessioque tantam vim exeruit, ut & ipsi ad gremium Ecclesiæ reverti exoptarent, admittique, quis nobis edicet? utinam & regiones, & nomina sic comparatorum in scripta retulisset, atque ad posterorum memoriam distincte consignasset Pontifex optimus.

Conjectura nostra de iisdem.

BULG. Non fallar fortassis, si per Reges, Principesque eo loco designatos intelligam *Michaelem*, & *Sismanum* Bulgariæ imperantes, fratres *Strasimiri Vukasinum*, præterea potentissimum Serblorum principem cum fratribus *Uglieša Despota*, & *Goico Cæsare: Voihnam* denique *Bogdanum*, *Zarkum*, *Deanem*, *Dragasem*, & *Constantinum*, aliosque, qui per *Mygdoniam*, & *Rhodopen* tunc rerum potiebantur: ad hæc & *Valachiæ*, *Moldaviæque* principes: hos enim omnes, ut vicini erant Orientis imperio, & Ludovici regno, tam *Urosii* principis, quam *Palæologi* exemplum, & Ludovici potentissimi zelus, pietasque ad salutis viam ineundam invitare facile potuit. Verum, quoniam nec Urbanus Papa, nec Raynaldus in particularia Principum, Regumque nomina præivere, idcirco, quæ nos ex eorum generalibus, modo dictis Bulgariæ Regibus, Romaniæque Principibus accommodavimus, intra conjecturæ limites dicta sunto, dum clariora, certioraque affulgeant. Valachiæ, Moldaviæque Vajvodas anno 1370. Romanæ Ecclesiæ insertos fuisse, docebunt Urbani V. & successoris Gregorii XI. epistolæ, quas mox referemus.

SERBL. Urbani V. epistolam ad *Claram* dudum antea relaturum te receperas: nunc ergo, & ejus, & filiarum causa, quarum una *Urosio Serviæ*, altera *Strasimiro Bulgariæ* Imperatori nupta fuit, profer in medium.

XII. Clara Alexandri Valachiæ P. vidua, catholica.

BULG. Clara, Alexandri Valachiæ principis, qui anno 1350. decessit (A), Ladislao filio principatus successore relicto, vidua, & piissima princeps, apostolicis fratrum Minorum prædicationibus instituta, dudum antea Ecclesiæ Catholicæ se aggregaverat: quin & filiarum unam *Bulgariæ Imperatricem* Strasimiri conjugem, Ecclesiæ eidem ad-

(A) Luccarius.

adjunxerat: ut vero alteram quoque filiarum, *Anebam* nomine, *Serviæ Reginam*, *Uroſio* nuptam, ad gremium Eccleſiæ ejusdem adduceret, Urbanus author, hortaturque illi exſtitit, datis anno 1370. ad Claram literis, quibus pro oblatis divo Petro donis regiis grates dixit. Epiſtolæ tenor eſt: *Urbanus* &c. *Nobili mulieri Claræ relictæ quondam Alexandri Vajvodæ in Valachia viduæ ſalutem* &c. *Lætamur in Domino, dilecta Filia! ſibique gratias agimus ex intimis noſtri cordis, quod, ſicut fide digna relatione didicimus: Tu Spiritus Sancti lumine illuſtrata, & per eximiæ devotionis opera, & multiplicium virtutum excercitium jugiter Altiſſimo famularis: & inter alia CHARISSIMAM FILIAM NOSTRAM IN CHRISTO IMPERATRICEM BULGARIÆ ILLUSTREM NATAM TUAM a ſchismate, ac erroribus hæreticalibus, in quibus diutius fuerat, retraxiſti. Verum, quia habere diceris, ALTERAM NATAM, VIDELICET ANCHAM, REGINAM SERVIÆ ILLUSTREM adhuc in ſimilibus ſchismate, & erroribus permanentem; charitatem tuam excitamus quatenus, UT MULTOS LUCRI FACIAS JESU CHRISTO: DICTAM REGINAM, aliasque utrius ſexus perſonas ſchismate, ac hæreſibus maculatas, ad præfatæ fidei, extra quam non eſt ſalus, coneris convertere puritatem. Cæterum devotionem tuam ex eo, quod Beatos Apoſtolos Petrum, & Paulum, eorum baſilicas, ac nos etiam de calicibus aureis, & paramentis pretioſis pro Divinis obſequiis honoraſti, dignæ commendationis attollentes præconio, liberalitati tuæ provide gratiarum referimus actiones.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum, XIV. Kal. Februarii, anno VIII. qui eſt Chriſti 1370.

Urbani V. literæ ad eam.

Filiam unam Bulgariæ Imperatricem ad unitatem reduxit.

Monetur, ut & alteram Serviæ Reginam Anchan reducat.

SERBL. *Ancham* Serviæ *Reginam* vocat; quia ſummos Serviæ principes Pontifices Romani nunquam *Imperatoris*, ſed Regum duntaxat, titulo ornabant. Eandem fuiſſe *Uroſii* conjugem, tum inde concludo, quod conſtet, huic a patre Stephano, & deſponſam, & collocatam fuiſſe principis Valachiæ filiam; & vivo eodem, Pontifices alium Serviæ Regem haud agnoverint. Certe *Vukaſinum*, licet Uroſius *Chralem* dixerit; Roma tamen eundem in Magnatum duntaxat numero, & ordine habuit, ut videbimus ex Gregorii XI. literis ad Ludovicum, infra referendis. Porro, cum Urbanus *Anebam*, *Serviæ Reginam*, pro ſolemni Romanorum more, neq *viduam*, nec *relictam* nuncupet, conſequens plane eſt, anno hoc *Septuageſimo* in vivis egiſſe Uroſium; in Servia autem eandem cum marito amplis adhuc ditionibus præfuiſſe, eruitur ex verbis illis Pontificiis: *ut multos lucri facias.* Quæ cum ita ſint, falluntur Orbinus, aliique, cum Uroſii uxorem *Vulaici* filiam faciunt, & *Helenam*, aut *Eliſabetham* nuncupant: falluntur quoque, cum thoro depulſam fuiſſe ſcribunt, & gravi hac macula pervulgatam apud nos Uroſii ſanctimoniam notant: cujus converſionem, cum Urbanus in litris iisdem Claræ ſocrui non commendet, indicio eſt, eundem jam tunc partium catholicarum exſtitiſſe: id, quod tu antea certioribus argumentis, & Vadingi teſtimonio eviciſti.

Ancha, uxor Uroſii, cum marito regnabat adhuc anno 1370.

XIII. Invitatur & Ladislaus Valachiæ P. ad unionem ab Urbano Papa.

BULG. Urbanus Papa, qui piam ſuam ſollicitudinem de *Anna* Serbliæ regina Claræ filia diſerte explicuit, paribus curis Ladislaum Baſſaradum Claræ privignum complexus eſt, & peculiaribus literis anno hoc eodem convenit: en literas: *Urbanus* &c. *Nobili viro Ladislao Vajvodæ Valachiæ gratiam in præſenti* &c. *Fide dignorum relatione percepimus, quod, licet ejusdem Paſtoris, videlicet Domini noſtri Jeſu Chriſti fidem profiteris, tamen extra ovile præfatum, ſcilicet gremium, & obedientiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ, matris, ac magiſtræ cunctorum fidelium, extra quam non eſt ſalus, ex antiquo ſchismate in te a tuis antiquis prædeceſſoribus derivato moraris, & multiplicibus erroribus involutus exiſtis. Nihilominus, quia credens forte, te in ſtatu ſalutis exiſtere, impios Turcos Catholicæ fidei hoſtes pro Dei, & præfatæ Sedis reverentia perſequeris, & tuos reputas inimicos. Sed dolemus ab intimis, ſi non certas legitime: cum nonniſi legitime certamen exercenti legitimum corona æterni præmii ſecundum Doctorem gentium tribuatur. Tantoque ferventius tuam ſalutem hiſcimus, quanto, ſi in toto corde tuo convertaris ad Dominum, futurus victorioſior Chriſti pugil veroſimiliter exiſtimaris. Quare Magnificentiam tuam hortamur in Domino, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quatenus relicto ſchismate, & erroribus univerſis, per inſtructionem catholicorum, & religioſorum virorum, quorum multi in tuo dominio, præſertim ex operatione DILECTÆ IN CHRISTO FILIÆ NOBILIS MULIERIS CLARÆ NOVERCÆ TUÆ, non ſolum Catholicæ, ſed claris dictæ fidei virtutum meritis inſignitæ, moram trahere aſſeruntur: ad ovile præfatum ſecurus advenias, in eo cum aliis Chriſti fidelibus perpetuo permanſurus, & ſalutis æternæ præmia recepturus. Nos enim, ſi hoc fideliter, & ſincere egeris, Te ut filium dilectiſſimum habere proponimus, ac tibi in tuis, ac terræ tuæ negotiis Apoſtolicæ Sedis favoribus aſſistere.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum VI. Idus Aprilis, anno VIII. qui eſt Chriſti 1370.

Quam & amplexus videtur.

SERBL. Et victas dediſſe manus Ladislaum, non eſt, cur dubitem: ſi, quæ per regionem ejus egere Pontifices, attento animo conſiderem. Illuc Fratrum Minorum ſubſidiariæ copiæ ab Urbano anno eodem immiſſæ ſunt (A). Et anno 1372. a Gregorio XI. ſucceſſore poteſtas facta eſt Fratribus majore numero recipiendi, conſtituendique Cœnobia cum Eccleſiis (B). Illuc denique anno 1374. cum fixum eſſet Epiſcopatum novum invehere, de præficiendo Sedi Antonio de Spalato deliberabat Gregorius (C). Hæc enim omnia argumento ſunt, Ladislaum principem Eccleſiæ Romanæ conjunctum, faventemque ejus incrementis fuiſſe.

BULG.

(A) Vide epiſtol. *Ad excolendam vineam.* II. Nonas Auguſti, anno VIII.
(B) Gregorius XI. T. 2. Secr. p. 35. epiſt. *Decet providentiam.* (C) Gregor. T. 4. Secr. p. 55. in literis ad Archi-Epiſcopos Strigon. & Coloc.

BULG. Sub idem fere tempus, quo Urbanus Ladislaum Valachiæ principem ad gremium invitabat Eccleſiæ, Dux Moldavorum *Lazko* virorum Apoſtolicorum prædicatione Catholicorum acceſſit numero, teſte Raynaldo, & cum votis ardentibus expoſceret, in *Sereti* oppido, Epiſcopo catholico Sedem conſtitui, quod optaverat, ab Urbano large impetravit, dato Sedi Epiſcopo *Andrea de Cracovia* ex ordine Minorum (A). Huic Gregorius XI. ſucceſſor, anno 1372. de conſtantia in fide gratulatus eſt, & de uxoris pertinacia indoluit; nec tamen ratum habuit propoſitum ſibi a Duce divortium (B).

Uti & Lazko Moldaviæ Princeps.

SERBL. Per vicinos principes paulum divagaſti, ad Uroſium, qui ultimus e domo Nemania Serbliæ imperio præfuit, ſermonem revocemus, poſtquam ad ea jam tempora appulimus, quibus infidi proceres, dejecto dudum a majeſtate principi, vitam mox etiam ademturi ſunt, umbramque ipſam Imperatorii nominis, quæ adhuc reſidua fuerat, ſimul cum Uroſio delebunt. Id, quemadmodum evenerit, accipe. *Vukaſinus*, *Uglieſa*, & *Goiko* fratres, Marnæ, & Marniavæ filii, in Hlievno oppido anguſtis domi rebus natales ſortiti, cum animi fortitudine, ac belli artibus præſtarent, a Stephano Imperatore ad ſumma provecti, ille Pincernæ, alter Proto-Spatharii, poſtremus Magni Logothetæ muneribus in aula functi ſunt. Atque cum illi variis præliis Turcos Europam ingredientes attriviſſent, Theſſalonicam vero in extremum diſcrimen adductam ſub tributum Serviæ adegiſſent, moriens Stephanus his fratribus potiſſimum tractus totius, qui a *Pheris* excurrit, præfecturam, velut maxime bellis obnoxiam commendavit. Horum natu major, cum ad Deſpotæ dignitatem ab Uroſio provectus, ac mox etiam *Chrales Serbliæ*, *Romaniæque* renunciatus fuiſſet, Uglieſa in Deſpotæ honores ſuccedente; ambo ad *Lazari* præpotentis *Comitis* oppreſſionem cum primis animum adverterunt: ſed ab hoc Hungarorum auxiliis ſuffulto fortiter rejecti, in vicinum cujusque agrum impetum facere, nulloque diſcrimine hoſtilem in modum prædas agere, honeſtiſſima imperii Uroſio augendi ſpecie abuſi, haud deſtiterunt, donec ex tot latrociniorum impunitate, ac ſucceſſu, parem Regio nomini, ac dignitati provinciam ſunt adepti. Tunc vero poſita ſenſim larva, laxataque erga Imperatorem reverentia, attractis etiam paulatim in ſe, quas Helena, & Imperator neglexerant, regni curis, eo demum magnitudinis excreverunt, ut Imperatoria Uroſii, Helenæque authoritas quotidie deſpectior pene extingueretur; cuique vero Præfectorum, viribus ultra modum aucti, juſtum metum incuterent, odia in

XIV. Vukaſini Regia natales, ac geſta, ejusque fratrum.

ſe

(A) Urbanus V. T. 8. Secr. p. 129. & 131. (B) Gregor. XI. epiſt. ad *Lazkonem* VIII. Kal. Febr. anno II. qui eſt Chriſti 1372.

ſe omnium provocarent, nemo autem eſſet, qui licentiæ, & auſibus eorum ſe auderet opponere. Malum hoc diu toleratum eſt: cujus ad extremum impatiens Uroſius, cum remedium undique ſollicite conquirit: *Lazarus Comes*, & *Nicolaus Zupanus Altomanus*, pridem execrati præpotentes, ac omnium fortunis inſidiantes *Chralem Vukaſinum*, & *Uglieſam Deſpotam*, authores denique Uroſio Imperatori fuere, ut adverſus inviſos, & ſui impotentes homines, copias cogeret, arma corriperet, hisque, & Deo favente detractum recuperaret imperium. Offerebant ambo auxilia, opesque univerſas, adfuturi armorum ſocii, paremque cum illo belli aleam experturi. Ergo prælium acre committitur, anno, ut videtur 1371. Diu anceps victoria fuit, decertante fortiſſime Nicolao Altomano: Sed cum *Lazarus* neſcitur, qua de cauſa deſeruiſſet aciem, fuſo tandem, profligatoque Nicolao, Uroſius in Vukaſini manus venit, & privati inſtar, nulloque honore domi eſt retentus. Unde cum anno exeunte fuga ſe Raguſam ſubducere molitur, fratrum conſilio, & Sacrilega Vukaſini manu ferali ictu capiti inflicto exanimatus eſt princeps meliore ſorte digniſſimus. Ita imperium Serblicum, quod ex Græcorum diſſidiis Stephanus Rex erexerat, ex domeſticis pariter diſſidiis in Uroſio filio deſiit, nondum expletis ab erectione annis ſeptem, & viginti. Sublato ad hunc modum Uroſio, & mox etiam Helena Pheris excedente, aucto hinc rurſus principatu Vukaſinus, vires omnes in *Lazarum*, ac *Nicolaum* belli incentores, adjutoresque primo vere comparabat; ſed nimii, præcipitesque Turcorum per Europam progreſſus, a quibus plus periculi imminere ſentiebat, dilata in æmulos vindicta, vim ejus omnem, roburque in Orientem averterunt: jam enim Amurates e Cherſoneſo Thracica egreſſus, Didymoticho, Radeſto, ac Hadrianopoli potitus Joannem Palæologum ad armorum ſocietatem, tributumque adegerat, majoraque in dies moliebatur (A). Quem dum validiſſimo LXX. Millium exercitu aggreditur, victoriam ampliſſimam obtinuit, at mox etiam, exercitu diſſolutius agente, corrupit: nam a permodica Turcorum manu nocte concubia oppreſſi; Deo, ut videtur vindice, terrorem in victores immittente, partim Turcorum gladiis, partim mutuis cædibus interiere, aut Hebri, ſeu Marizæ fluminis fluctibus abſorpti ſunt. Clades ad Ciarnomenum accepta, ſcribitur, ſunt, qui iisdem aquis, & Vukaſinum in fuga hauſtum ferant: Orbinus equi beneficio e fluctibus eluctatum, Nicolai Harſœvich armigeri manu peremtum tradit. Corpus Vukaſini ſeu hoc, ſeu illo modo enecti, ad Sanctum Demetrium in Suſizam Raſsiæ oppidum perlatum, tumulo eſt conditum: Uglieſæ, & Goici fratrum cadavera nuspiam reperta ſunt. Ita re-

Bello capit Uroſium, & perimit anno 1371. exeunte.

Ejusdem in Turcos bellum, victoria, clades, interitus, ac ſepultura anno 1373.

(A) Paulus Jolincius dupplici bello Vukaſinum ſimul appetitum tradit, excitante Laota principe Valachiæ, hinc Straſimirum Bulgariæ reſtitutum, inde Turcos, ad vindicandam Uroſi cædem.

regnum a Vukasino fraude quæsitum, & rapinis, sacrilegaque manu Urosio ereptum, non altas radices egit: Deo innocentis Urosii sanguini vindictam properante.

Joannes Unclis fit Rex post Vukasinum: & mox monachus.

BULG. Post hanc cladem gravissimam, inclinatis licet, & labantibus Serblorum rebus, nondum conclamatum erat; si, qui dudum divisi erant Procerum animi, coalescere in unum possent: *Joannes Unclis*, filius, nisi fallor, Uglieſæ Despotæ, titulos *Regis Romaniæ, Serbliæque* arripuit quidem, sed non diu sustinuit, proceribus Thraciæ, Romaniæque panico terrore potius, quam vi armorum Turcicorum subactis, & nec viritim se opponere, nec in unam aciem colligere audentibus. Pauco igitur post tempore regnum ab Helena Imperatrice Pheris constitutum Turcæ sub tyrannidem adegere: Bogdanus vero, qui cladi superstes fuit, Dragases item, ac Constantinus Zarci filii cum aliis plurimis se ultro in clientelam Turcorum contulerunt, & spe freti, servitium deditis tolerabilius fore, quam subactis, tributa, & armorum societatem ultro pacti sunt. Ita desertus ab omnibus *Joannes Unclis*, desperatis ex hac procerum ignavia rebus, & ipse damnato Regio, quod assumserat nomine, in montem Atho se contulit, & purpuram cum monachali habitu commutavit: cujus memoriam frustra alibi quæsieris, quam in cœnobio *Simonis Petræ*, quod denique ingressus est, ubi paucula hæc de eo leges (A): *Monasterium Simonis Petræ, quod in cacumine petræ cujusdam fundavit Simon Asceta in honorem Nativitatis Christi: post Simonem piissimus SERVIÆ, ET ROMANIÆ REX JOANNES UNCLIS, cum precibus memorati Simonis, filia ejus ex gravi, & incurabili morbo sanata esset, Sancto viro dedit facultates multas, & totam monasterii fabricam absolvit, ac demum ipse monachus effectus est, ibique obdormivit in Domino, depictusque est in triclinio ad fornicem fenestræ, quæ mare respicit.* Infirmum, & perbreve *Joannis* regnum fuisse, tam Scriptorum de eo silentium, quam Serbliæ status, quem posthac exhibituri sumus, docebit.

Serblorum procerum accessus ad Amuratem, ejusque progressus.

SERBL. Postquam Serblorum pars magna imperii, qua per Thraciam, Romaniamque diffusa erat, uno velut ictu procubuit: nullumne a Gregorio XI. qui per id tempus Romæ sedebat, afflictis Serblorum rebus obvenit, aut quæsitum est auxilium?

XV. Gregorii P. XI. conatus pro Serblia apud Ludovicum Hungariæ Regem.

BULG. Sollicitudo hujus Pontificis in conciliandis principum Christianorum animis, qui magno Serbliæ infortunio divisi erant, atque animandis in Turcorum perniciem, notior est, quam ut ejus epistolas, hoc pio fine quaquaversum emissas, isthuc inferre oporteat.

(A) In proscynetorio S. montis Atho a Joanne Comneno medico in Valachia sermone Græco vulgati anno 1701. typis edito.

Sed diſcordiæ principum cum arte nulla ſedari poſſent, & novæ inſuper indies emergerent; ad Ludovicum Hungariæ regem bellica virtute, ac pietate conſpicuum, Poloniæque acceſſione præpotentem, ſe totum applicuit. Hunc ergo, nec unis literis, nec uno, ac ſimplici argumento, ad arma ſacra induenda ſollicitavit, & anno Pontificatus ſui ſecundo Chriſti 1372. percepta triſtiſſima Serblorum cladis fama; proprii etiam periculi propinquitate, ac magnitudine objecta, ad ferendam proſtratis opem animare conatus eſt. Literarum initium eſt: *Audi, Fili!* (A) ubi Idibus Maji ſic ſcribit: *Diebus non longe præteritis multiplicati rumores de diverſis partibus ad Sedem Apoſtolicam perduxerunt, quod impii Turci, atroces hoſtes chriſtiani nominis, ſuper nonnullas partes Græciæ in gravi multitudine irruentes, ſubactis quibusdam Magnatibus regni Raſiæ* (B), *tunc in eis dominantibus, & eorundem populis profeſſione chriſtianis, licet ſchismatum, & hæreſum multitudine fœdatis, & impietatis erroribus depravatis, lata terrarum ſpatia occuparunt, & usque ad tui Hungariæ, & præfati Raſſiæ regnorum, nec non Albaniæ, & Sclavoniæ confinia pervenerunt: & venire ad maritima, & portus obtinere maris Adriatici formidantur.* Hortatur proinde, ut proprii etiam periculi conſideratione motus, occurrat bacchantibus, potentiamque a Deo acceptam in hoſtes chriſtiani nominis convertat. In quem finem & maritimas Venetorum vires Regi conciliare aggreſſus eſt.

Ludovicus bellum ſacrum in Turcos indici poſtulat.

SERBL. Ea Pontificis exhortatione, periculique vicinitate, ac cumprimis fœdere, quod Turci cum Tartaris adverſus Hungariam colligaſſe ferebantur, perculſus Ludovicus anno 1373. legatos ad Gregorium deſtinavit, ac literis datis notum fecit: *A non longis temporibus, ac præſertim a viginti menſibus amplas terras Imperiorum Romaniæ, & Bulgariæ, & Regnum Raſſiæ, aliasque partes profitentium nomen Chriſti, quamvis ſchismaticorum, Turcos invaſiſſe; & relatis magnis victoriis pene evertiſſe: atque cum Tartaris ad regnum Hungariæ quoque invadendum armorum ſocietatem junxiſſe* &c. Orabat proinde Rex, ſacrum bellum edici, promulgarique, ſpondens ſe evoluto menſe Majo anni inſequentis ſacras copias in perſona adverſus Turcos educturum. Quo pio Regis propoſito, ut par erat collaudato, Pontifex continuo promulgandi, urgendique ſacri belli negotium, Strigonienſi per Hungariam, Gnesnenſi per Poloniam, Jadrenſi Spalatino, ac Raguſæ per Dalmatiam Archi-Epiſcopis demandavit, cavens tamen iisdem literis, ne æs a fidelibus conferendum, in alios quoscunque uſus verteretur (C).

Decernitur a Gregorio P. XI.

BULG.

(A) Gregor. XI. T. 2. Secr. p. 32. (B) Hinc patet, *Vukaſinum* non *Regis*, ſed Magnatis loco a Pontificibus habitum. (C) Incipit: *Dudum multorum.* Avenione, X. Kal. Aprilis anno III. ad Archi-Epiſc. Strigonienſem, & Suffraganeos.

BULG. At conatus isti pulcherrimi, & pium Regio propositum in irritum denique abierunt adeo, ut ne promulgatum quidem sacrum bellum fuisse, constet ex Gregorii XI. ad Ludovicum anno 1375. scriptis (A). Sed nec pacta olim cum Palæologo inita a Rege expleta sunt, quanquam inde Palæologus, hinc Romanus Pontifex revocata etiam in memoriam dati Sacramenti religione urgeret (B). Rex enim sive ob denegatas a Pontifice decimas, seu aliter offensus, aut quamvis alia causa impeditus, cognita etiam gravissima clade, excidioque Vukasini, Magnatumque Serblorum per Romaniam oppressione, Palæologi item, ac Bulgarorum, quos omnes ad pensitationem tributi, & armorum societatem adegerat; nihilominus ad bellum Amurati inferendum adduci nunquam potuit, maximo rei christianæ, ac Serblicæ, cumprimis & Imperiorum Bulgariæ, ac Constantinopoleos detrimento, vix aliquando, aut sero nimis corrigendo, reparandoque.

Ludovicus nihil agit magno rei christianæ detrimento.



COLLO-

(A) Incipit: *Meminimus.* Avenione V. Kal. Nov. anno V. (B) Incipit: *Significavit nobis.* Avenione, V. Kal. Febr. anno V.

COLLOQIUM UNDECIMUM.

DE STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM SUB DESPOTIS QUATUOR, LAZARO I. STEPHANO, GEORGIO, ET LAZARO II. AB ANNO MCCCLXXIV. AD MCCCCLVIII.

SERBL. Poſt proſtratum Serblorum robur in Romania; Turcis occupatis in Thraciæ partibus edomandis; quatuor Vukaſini filii, *Marcus* cognomento Kralievich, *Joannes*, *Andreas*, & *Demetrius* ad reſiduas paternas ditiones per Serbliam, Theſſaliam, Albaniam, & Peloponeſum late ſparſas refugerent, inde, ſi Superis placeret, paternam ulturi mortem, & abreptos Romaniæ tractus vindicaturi. Verum nec iſthic diu pacatis eſſe licuit, aut ſublime aliquid cogitare, molirive. Nam jurati Vukaſini hoſtes, æmulique *Lazarus Comes*, & *Nicolaus Altomanus*, poſtquam Turcorum vires in Romania, ac Zagoriæ provincia edomanda diſtineri ſenſuerunt, continuo & ipſi in Vukaſini filios hac parte arma expedivere, ad nihilum, ſi eſſe poſſit, progeniem illam redacturi. Igitur *Lazarus* parte una in regiones eorum involans *Vuko* quidem genero *Achridam*, & *Prilisbæam*, vetus Pladicæ patrimonium reſtituit, ſibi *Priſtinam*, & *Novoberdum* cum omni *Niſtæa* ditione aſſeruit. Nec Segnius Altomanus, qua ditiones eorum attingebat, cuncta ad ſe attraxit. Denique & Balſa Georgius, quanquam ſororem ipſorum Milizam in conjugio haberet, *Prisrenum*, atque alia multa circumvicina ſibi ſubdidit, ac procedente tempore ipſa quoque Caſtoria Marcum filiorum natu maxium exuit, ſic, ut ad extremum præter Locridem, & Argos in Peloponeſo, aliud fere nihil miſeris Principibus remaneret. Ea calamitas adegit demum fratres juvenes, ut ſe Amuratis clientelæ permitterent, ejusque opem adverſus hoſtes domeſticos implorarent, quæ res denique Turcis in interiora Serbliæ aditum aperuit.

1. Vukaſini filii a Lazaro, & Altomano debellato.

BULG. Tam perturbato regni Serbliæ ſtatu, fuitne, quem Reipublicæ ſtudium, & patriæ amor tetigerit? vel, qui in Amuratem

ad

ad Serbliæ totius excidium excubantem, vires, roburque collegerit, copias inſtruxerit, arma expediverit, & rapinis ejus ſe quoquo modo oppoſuerit? Joanni Unclis tale quid meditandi, & viriliter ſe Turcis objicere paranti, ob ignaviam procerum, nihil ex voto ceſſiſſe jam alias diximus.

SERBL. In Serblia ipſa expeditas quidem copias Lazarus, Altomanus, & Balſæ habebant: quas, ſi concordibus ſtudiis in unum conjungerent, pares Amuratis potentiæ, & reſiſtendo futuri erant. At illi in diverſa longe ſtudia animos declinarunt, & ſuis quisque rebus per alterius ruinam augendis intenti, Rempublicam perdiderunt. Altomanus, cum inde a prælio adverſus Vukaſinum pro Uroſio ſuſcepto, iras, & vindictam adverſus Lazarum foveret, quod in acie maximo ſuo periculo deſertus fuiſſet, Comitem Lazarum dolo perdere, & acceſſione ejus provinciarum vires ſuas augere conſtituit. Igitur ſpecie curandæ in iis rerum anguſtiis ſalutis publicæ, ad amicum congreſſum *Lazarum* evocat, &, ne fraudis eſſet ſuſpicio, cum pauco comitatu, definitoque numero inermes conveniunt. Ibi, poſtquam de Republica collocuti ſunt, per erumpentes ex inſidiis ſocios Altomanus Lazarum nihil tale cogitantem aggreditur, & impacto ferali, ut videbatur, in pectus ictu, equo deturbat. Credebant omnes exanimem: quare in cæteros Lazari comites arma expediunt: quorum, dum alios in fuga proſternunt, alios acrius perſequuntur, Lazarum proſtratum longe poſt ſe relinquunt. Sed hæc proditorum in alios converſio Lazaro ſaluti fuit: Cum enim crux e collo dependens feralem ictum retudiſſet, ſuſtinuiſſetque, atque interim armiger ad proſtratum principem, captum reduxiſſet equum, Lazarus ex deliquio ſibi redditus, armigero conſpecto ſe humo extulit, & equo inſcenſo, celeri fuga proditorum manus evaſit. Ferunt tunc Michaelem Davidovich, & Zarko Mereſichium dynaſtas periiſſe (A).

Diſſidia Lazari, & Altomani. Hujus perfidia, & eversio.

BULG. Tam enormem Nicolai Altomani perfidiam, cum Hungariæ, Bosnæque principibus per legatos nunciaſſet Lazarus, facile omnes in fœdus ſuum excivit: atque, ut primum vires collegit, ſuis, ac fœderatorum ſuccinctus copiis in Altomanum movit, ulturus perfidiam. Sed cum iſte ſive ſceleris conſcientia, ſive, quod bello aperto impar eſſet, prælio ſe committere non auderet, atque de urbe in urbem fugitaret, regiones ejus ferro, ac igne delevit: tandem vero improbum Uſizæ nactus, obſedit, cepit: &, quanquam graviora promeritum, oculis mulctavit.

SERBL. Amplæ, quas Nicolaus obtinebat regiones inter Lazarum, & Tvartkum Bosnæ Banum belli ſocium diviſæ ſunt; vici-

Ditiones Altomani diviſæ inter Lazarum, & Bosnæ Banum.

(A) Ritterus in Servia illuſtrata.

niores quisque sibi asseruit: & cum maritimas *Trebinam*, *Canalim*, & *Dracsevizam* prior occupasset Balsa, ad extremum & hæ *Tvartko* cesserre: id, quod anno 1374. evenit. Hæc dum per Serbliam geruntur, collapso interim penitus in Romania Serblorum regno, & *Joanne Unclis Rege* cœnobium Simonis petræ ingresso (A), Lazarus Despotæ Serviæ dignitatem sibi asseruit, Regis Rasciæ, Bosnæque titulo, ac honore Tvartko Bano relicto: cui, cum etiam Ludovicus Rex Hungariæ affinitate junctus faveret, nequiquam obluctante Balsa Georgio, Tvartkus regium nomen ad successores Bosnæ principes, Lazarus Despotæ dignitatem ad suos transmisit. Et quia Despotæ in Serblia quinquennio ante Reges Rasciæ, Bosnæque desierunt; colloquium præsens Despotis quatuor, qui se ordine exceperunt, postremum Regibus tribuemus.

II. Res, & gesta Lazari ex Jolincio.

BULG. Paulus Jolincius (B) Lazarum a Serbliæ proceribus Imperatorem proclamatum fuisse, anno 1374. tradit, quod Milizam Regii sanguinis principem thori sociam haberet: atque, cum anno sequente Isaias Hiero-Monachus montis Atho Lazaro in memoriam revocasset anathema, quo olim a Callisto Constantinopoleos Patriarcha Stephanus Imperator Episcopi omnes, universaque Serblia confixa fuerat: advocasse *Sabam Serviæ Patriarcham*, initoque super hac re colloquio, eundem Isaiam cum aliis tribus Atho montis monachis Theophane, Sylvestro, ac Nicone Constantinopolim ablegasse ad impetrandam e vinculo solutionem, benedictionemque, Joannes Palæologus VI. Imperator, & *Philotheus Patriarcha* supplices magna benevolentiæ significatione acceperunt, & condonato delicto (C) Patriarcha anathemate Serviam solvit: atque, ut beneficium luculentius esset, Pechiensem Serviæ Patriarcham crysobulo confirmarunt, juribusque parem *Patriarchis universalibus* effecerunt: ac additis duobus aliis Monachis Matthæo, ac Mose ad Lazarum remiserunt. Nondum nuncii advenerant, cum *Saba* Pechiensis Patriarcha decessit, & *Ephrem* in locum ejus suffectus est. Postquam autem nuncii rediere, coacta Cleri, ac Nobilium Synodo, absolutio, benedictio, & crysobulum in publicum lecta sunt, peractaque ab Ephrem Patriarcha liturgia, Lazarus pompa solemni anno 1376. Imperiali diademate coronatus est: Vuko Brankovichio Despotæ honor obtigit. Hactenus Jolincius.

SERBL. Quæ de quæsita absolutione, & Bulla aurea confirmato Pechiæ Patriarchatu a Jolincio narrantur, eminentem Lazari pie-

(A) Descriptio montis Atho. Ibi in cœnobio Simonis petræ visitur icon Joannis Serviæ, & Romaniæ Regis in triclinio ad fornicem fenestræ versus mare. (B) In Introductione in historiam Serviæ. (C) Credebatur hoc contractum, ob expulsos Servia Græcos Episcopos.

pietatem, & pacis ſtudium cum univerſis Dei Eccleſiis commendant: nec eſt, cur hæc oppugnem. *Imperialem* autem *Calyptram*, aut *Cralis* titulos, quanquam hos ei Ducas (A) conſtanter tribuat, ſumſiſſe aliquando Lazarum, non aſſentior: Sed nec temporum, aut fortunarum ejus conditioni ſatis conveniebant ampla illa nomina. Quare verius fortaſſe fuerit Deſpotarum corona, & honore tunc a Palæologo ornatum fuiſſe, quo & ſucceſſores deinceps uſi ſunt. Nunc de ejus natalibus, geſtisque quædam in medium proferamus.

BULG. De Lazari cognomento, natalibus, titulis, dignitate, conjugio, liberis, bellisque varia nec concors eſt Scriptorum ſententia: juvat audire ſingulos. Leunclavius (B) Eleazarum Bulcovicium: Laonicus Chalcocondylas (C) Bulcum Eleazarum: Luccarius L. 2. cum Orbino Greblanovibum vocant. Jolincius Imperatorem: Ducas Cralem nuncupat, & Stephani Serbliæ Regis filium fuiſſe exiſtimat (D). Nec minor variatio eſt in deſignanda conjuge. Orbinus, & Luccarius volunt fuiſſe Milizam Uglieſa patre natam. Phrances (E) Joannis Cantacuzeni filiam. Eundem ſocietatem armorum cum Tvartko Bosnæ principe coluiſſe, & Ludovico Hungariæ Regi clientelæ obſequio devinctum vixiſſe, perhibent omnes: cujus etiam auxiliis identidem protectum fuiſſe, jam alias meminimus. Luccario teſte fuit ſub Stephano Imperatore primum Katunar: (F) de Vitaniza, & Koſſarichi: variis deinceps dignitatibus perfunctus, bello Bosnenſi exercitui Dux præfuit, & ad extremum regionem Iſtro adjacentem, *Terra Regis Stephani* dictam, regendam nactus (G), & vivo Uroſio, & a fatis ejus rexit, nec modicis acceſſionibus auxit, Orbinus cum Luccario duos ipſi filios adſcribit *Stephanum*, ac *Vukum*; filias quinque, *Maram* nuptam Vuko-Brankovichio, *Helenam* Nicolao Garæ Macsvæ Bano, ac poſtea Hungariæ Palatino, quæ a fatis hujus, ſecundis nuptiis illigata eſt Sandali Hranichio Chelmi Vajvodæ (H). Tertiam *Deſpenam*, quæ primum nuptias iniſſe fertur cum Susmano Bulgarorum Imperatore, quem Laonicus Odryſiorum regem, alii Moldavorum principem effinxerunt: poſt cujus deceſſum Georgio Straſimiro Balſæ Zentæ Domino copulatam volunt. Quartam filiarum *Vukoſavam* Milos Cobilichio ex oppido Tientiſio præcipuæ nobilitatis, & fortitudinis heroi in aula Lazari educato collocatam fuiſſe, author eſt Orbinus. *Millieva* ultimo genita conſenſu Scriptorum omnium, poſt cædem Lazari, a matre *Miliza*, & fratre *Stephano* Deſpota, Bajazeti I. Sultano uxor data eſt, quæ ſimul cum conjuge in Tamerlani captivita-

Eadem ex Scriptoribus aliis.

(A) Ducas c. 3. (B) Leunclavius in Pandectis. (C) Laonicus L. 1. (D) Ducas c. 3. (E) Phranzes L. 1. c. 13. (F) *Katunar* Rittero interprete eſt *Vice-Comes*. (G) Laon. Chalchocondylas. Orbinus. (H) Luccarius annal. Ragus.

vitatem incidit. Eam Ducas Mariam nuncupat, & ex pactis pacis Bajazeti traditam affirmat. Hæc de prolibus. Post Ludovici decessum, turbatis Hungariæ rebus per electionem Caroli parvi in Regem; & a cæde hujus Maria Regina in captivitatem abducta desciviſſe ab Hungaris Lazarum, Macsvam provinciam in potestatem redegiſſe, ejectoque Hungarorum præsidio occupasse Belgradum, evertisseque, scribit Orbinus, qui & duo ejus cum Turcis bella commemorat; primum ad Pristinam anno 1385. gestum; alterum octuagesimo nono, quod cum Amurate I. in campo Cossovo commisit: quæ duo Ducas in unum contraxit.

Eadem ex MS. Servico.

SERBL. At historicus noster (A) Lazarum in urbe Prilaz, patre Pribazio stirpe Baronum vetusta genitum, in aulam Stephani Imperatoris adscitum, & conjugio Milizæ sanguine Regio Nemanico ortæ donatum, cognatis Regis adscriptum refert. *Miliza* enim, cujus idem genealogiam contexuit, erat *Uratki* filia, filii *Demetrii* Zupani, filii *Stephani* magni Knezy, filii *Vulcani*, quem nos *Regem Dioclie*, *Dalmatiæque* fuisse, jam alias diximus. Nec ergo fuit filia Uglieſæ, qui cum fratre Vukasino perpetuas adversus Lazarum inimicitias gessit: Sed neque Joannis Cantacuzeni filiam fuisse, constat ex ejusdem L. 3. (B), ubi omnes liberos suos recensuit. Ex Miliza autem Nemanica domo orta suscepit filios, primo: *Stephanum*, quem historicus noster ait, fuisse non *Serviæ* tantum, sed *Zentæ* quoque, & *partium Bosnæ*, *ac Hungariæ Despotam*; deinde *Vukum*, qui cælebs vitam peregit, ac denique *Lazarum*, quorum nos fata, tristemque exitum in Stephano Despota perstringemus. Filias numerabat quinque: *Maram* Vuko-Brankovichio; *Vukosavam* Baoso Zentæ principi; *Despenam* Susmano Bulgarorum Imperatori; *Helenam* Nicolao Garevichio; *Millievam* denique Bajazeti Sultano nuptam. *Cralis* titulum Lazarum nunquam arrogasse, & multo minus *Imperatoris* in confesto est. Eum historia nostra manuscripta constanter *Knezium* appellat: Orbinus *Comitem*: *Despotam* nihilominus & fuisse, & a viris principibus eo titulo ornatum esse certum est. Nam & Albertus ipse Hungariæ Rex hoc honoris vocabulo eundem affecit (C). Belgradum, quod Ludovicus victo Urosio anno 1359. recepisse videtur, post fata Ludovici durantibus Hungariæ turbis, occupavit, suique juris fecit: id vero Lazarum nec evertisse, nec restituisse Hungaris imposterum ostensuri sumus. Eundem non una tantum, aut altera vice, neque tam fero, quam Scriptores notant, cum Turcis manus conseruisse, ipsa Turcorum licentia, rabiesque invadendi omnia, abunde persuadet. Quare verisimile prorsus est, Lazarum auxiliis subvenisse Susmano Bul-

(A) MS. Servicum. (B) Cap. 32. (C) Albertus Rex in privilegio Ladislao filio Nicolai Gara dato anno 1438.

Bulgarorum Imperatori genero ſuo anno 1373. quando ille Turcorum armis appetitus eſt: & iterum biennio poſt ſe Turcis oppoſuiſſe, cum Amurates a Vukaſini filiis evocatus *Priſtinam* regiam olim Vukaſini ſedem obſedit: & tunc quidem rebus infectis Amuratis ab urbis mœnibus redire coactus eſt (A). Sed & anno 1381. per ſuos armorum Duces Zrep, & Vitomirum ad Dubranizam Turcis cladem attulit (B). At annus 1386, quo Murat Sultan ad Plochnik exiit, & Niſſam urbem in poteſtatem redegit, nefaſtus prorſus Lazaro fuit: Nam urbis ejus, multorumque in ea Nobilium captivatio in eas demum anguſtias Lazarum conjecit, ut & penſitationem tributi, & armorum ſocietatem paciſci neceſſe habuerit. Veniſſe tunc in pacta mille armatos, & quinquaginta argenti Vakia in annos ſingulos Hanivaldus perhibet (C). In fœderis iſtius obſequium anno, qui ſecutus eſt 1387. Amurati ad bellum Caramanicum in Aſiam, Vajvodam cum ſtipulato copiarum numero ſubmiſit: at mox etiam ſive facti ignominia, ſive principum vicinorum hortatu, ſeu denique oratione, ac argumentis Vajvodæ ſui nuper ab Aſiana illa expeditione redeuntis perſuaſus, a pactis reſiliit, ſervitutem excuſſit.

Lazarus Amurati ſe ſubdit: at mox deſiit.

BULG. Intereſt noſſe, quo tandem argumentorum pondere Lazarum, pium ſane, Deumque timentem Principem a pactis per Sanctum Dei nomen juratis, Vajvoda dimoverit?

SERBL. Argumenta Vajvodæ, quibus Lazarus ad jugum excutiendum adductus eſt, ex Hanivaldi Murat Dragoman (D) accipe: *Non convenit* -- ajebat Vajvoda, *Nobilitati tuæ, Amuratis ſervum agere, illi militare, ſigna ipſius ſequi, pro illo ſanguinem fundere. Nec juramentum, quanquam invocato Dei nomine præſtitum poteſt te ſtringere, ut Chriſti Dei hoſtem adjuves, ad chriſtianæ Religionis excidium, quo omnes Turcorum conatus aſpirant. Sed fac, ſervemus illi fidem: quid vero hac ſervata a Barbaro ſperare licebit, niſi, ut debellatis opera noſtra aliis, ad extremum & ipſi ſacrificemur, ac victima cadamus. Aſt ferrea te cogit neceſſitas ad parendum: unde vero hæc? Dic! obſecro, quo tandem te præcellat Barbarus? Non es illi par robore? At crede mihi, nos Serbli ſumus, qui bello Caramanico hoſti terrorem incuſſimus: nos, qui vicimus. Noſtro robore confidit Turca, qui, ſi vires undique colligat, ſummum centum armatorum millia in campum educet. Numquid non potes tantundem? audeo dicere, & hoc, & amplius te poſſe, atque apparatu incomparabiliter meliore, modo non deſit voluntas: ac præcipue, ſi chriſtianos Principes, qui te circumſtant, ac præſtolantur alacres, auxilio advoces. Horum fœderatis viribus Turca conferri nequit; nec eſt, quod metuas, ut a chri-*

Argumenta, quibus ad defectionem impulſus eſt.

(A) Ritterus. (B) MS. Servicum. (C) In Murat. Dragoman. *Vakia* eſt menſuræ genus Turcis proprium. (D) Apud Leunclavium.

chriſtianis deſeraris: eſt illis charius Chriſti nomen, ac Religio, quam ut te deſertum prodant, qui in tuo ſuum ipſi periculum probe agnoſcunt, atque ita animo comparati ſunt, ut malint omnes, in vicini, quam propriis ædibus, ignem reſtinguere, cujus ipſi jam calorem perſentiscunt. Atque hæc oratio, conceptaque in Deum fiducia, cujus cauſa agebatur, tantum in Lazari animo potuit, ut continuo ab obligata Amurati fide recedere decreverit, & legatis ad Hungaros, Bosnenſes, Albanos, Bulgaros, verbo in omnem partem dimiſſis, de nova hac animi ſui deſtinatione, & rebus, conſiliisque Turcorum edocuerit: fœdus denique, ac armorum ſocietatem in Turcos ſanxerit. Caſtriotus Scanderbegi avus, cui tunc Scutarium parebat, collaudato Lazari propoſitó, ac Principum chriſtianorum fœdere, quanquam confideret magnopere in unitorum principum viribus; aſtu tamen prius, ingenioque cum verſipelli hoſte experiendum putavit, & robur hoſtile antea victoria incruenta frangendum duxit. Igitur conſilium ſuum, ac rationes, quibus id obtineri poſſe confidebat, ſingulis depromſit: quas, ubi approbari percepit: Muratem fidenter adit, præſentem Bosnæ regni ſtatum, & nova ejus principis conſilia explicat, ac ad extremum declarat: ſi Murati adlubeat, ſe ad irrumpendum in Bosnam promtum, paratumque eſſe modo expertum armorum ducem cum delecto exercitu ſibi, ſuisque jubeat aſſiſtere; nec ſe dubio ullo teneri provinciam ſpe citius in Muratis manus venturam, Muſulmanus vero expeditionis ſocios ampliſſimis ſpoliis ditaturum. Placuit Sultano Caſtrioti oblatio: igitur Lala Schachinem ducem expertiſſimum cum delectis copiis Caſtrioto adjungit, atque, ut in Bosnam irrumpant, deſpolient, metuque omnia compleant, in mandatis dat (A). Turcæ, cum ex Caſtrioti conſilio, velut improviſi, turmis in omnem partem diviſis licentioſius procurrunt, divaganturque, a Bosnenſibus clam præmonitis, hic, atque illic inter montium fauces intercepti, conciſique, ſpolia cum vita paſſim reliquerunt. Lala Schachines, cum mille tantum viris ſtipatus in exercitum Bosnenſium incurriſſet, amiſſis prope omnibus, ægre vitam fuga extulit. Ad XV. Turcorum lectiſſimorum Millia tunc conciſa feruntur. Atque hæc eſt illa victoria, ob quam Tvartkus Raſciæ, Bosnæque rex potiori jure gratulari debuit, quam de altera, quam anno ſequente 1389. Tragurienſibus ſuis per literas, quas Lucius recenſet (B), nunciavit. Cladis totius author, & architectus Caſtriotus fuit, qui motus omnes Turcarum, conſiliaque aperuit; vias, anguſtiasque, quas occupandas haberent, edocuit, ac fortaſſe a cæde Turcis inferenda, nec ſuas, ſuorumque manus abſtinuit. Murates, qui tunc in Anatolia cum Græcorum principis filia nuptiarum ſolemnia celebrabat, ubi tantæ cladis nuncium accepit, tot fortiſſimorum mor-

Lazari fœdus cum Chriſtianis.

Caſtrioti aſtus.

Turcorum clades in Bosna.

(A) Philippus Hanivaldus. (B) Lucius L. 5. c. 3. & Paulus de Paulo in memoriali.

mortibus vehementer ſane indoluit. At poſtquam præterea de dolo chriſtianorum, & Lazari, ac Susmani defectionem comperit, toto animo vindictam ſpirans, Alibaſam quidem continuo in Susmanum Bulgariæ Imperatorem, & alterum Bulgariæ principem, qui Varnam cum ditione Dobrucenſi obtinebat, immiſit, ferroque, & igne ſævire juſſit: Ipſe vero auxiliis Aſianorum principum, filiorumque properare juſſis, non diu poſt ad Calipolim trajecit, excidium Lazaro Serviæ Deſpotæ, omnibusque chriſtianorum principibus, ſi poſſet, illaturus.

III. Expeditio Amuratis in Bulgariam, & Serviam.

BULG. Expeditionem Bulgaricam Alibaſæ ſupra vota proſpere cecidiſſe hiſtoria Turcorum perhibet. Nam præter urbes plurimas Susmanum quoque in poteſtatem redegit anno 1389. hyemis rigore nondum dilapſo. Vere autem ineunte vires maximas in Lazarum promovit. Atque ut rem, quam Hanibaldi hiſtoria fuſe proſequitur, paucis finiam; prælio commiſſo in campo Coſſovo, cadente hinc Murate inde Lazaro, victoria ad extremum a Bajazete Muratis ſucceſſore ſtetit. Pugnæ, & cædis utriusque principis narratio varia eſt, & multiplex. Sunt, qui Amuratem, dum hoſtem victum perſequitur, a Triballo pedite ſagita confixum velint (A). Sunt, qui victorem Amuratem, dum Bajazetes victos, fugientesque perſequitur, pugnæ arenam ingreſſum, & pererrantem, a ſeminece milite enectum ferant (B). Nec deſunt, qui dicunt, virum Serblianum legati ſpecie, mulos ſeptem onuſtos ſaccis, velut pacem ære redemturum, ad Muratem adduxiſſe, & prima ſalutatione, læthale vulnus ſica brevi inflixiſſe: quo mox a Turcis conciſo, ſacci arena onuſti comperti ſint (C). At Græci, inquit Laonicus Chalcocondylas, volunt non præliantem; ſed ſtantem in acie, accinctumque ad ineundam pugnam, a Triballo, qui conſcio, annuenteque Lazaro transfugium ſimulaverat, contorta haſta peremtum: Triballo quoque poſt editam cædem ingentem, fortiter occumbente. Hunc Ducas (D) primæ Nobilitatis juvenem: Orbinus Miloſum appellat, nec haſta, ſed pugione brevi facinus abſolviſſe, ait. Jolincius Milos Obilichio ſocios adjungit Joannem Boſanchich, & Milan Toplichanin. Nec minor inconſtantia eſt in iis, quæ de Lazaro narrantur. Primæ, quas dixi, relationes, nec capti, nec occiſi Lazari meminere. Græci teſte Laonico ſcribunt, poſt Amuratis necem, Bajazetem inſtauraſſe prælium, & Lazarum in acie peremtum. Orbinus ait, peremto Amurate primo prælio, Turcos fugam reſpexiſſe: mox tamen virtute, hortatuque Ducum in arenam revocatos, dum acrius pugnam renovant, & Lazarus pro equo feſſo recentem conſcenſurus ex prima acie, & oculis ſuorum ſe ſubducit; Serblos terrore panico cor-

Pugna in campo Coſſovo, cædes Amuratis, & Lazari.

Cauſæ cladis Serblorum.

(A) Laonicus Chalcocondylas. (B) Philippi Hanivaldi hiſt. (C) Liber de variis Turcorum dolis. (D) Ducas. c. 4.

correptos, ordines cepiſſe deſerere, fugamque inire, a qua poſtea nec Lazari conſpectu, reverentia, aut oratione retineri potuerint. Ferunt tunc Lazari generum Vukum Brankovichium, integris copiis, quas Jolincius ad ſeptem millia delectorum computat, fugæ initium feciſſe, occupandæ provinciæ ſtudio, & conflata cum Turcis clam colluſione. Quare in tanta rerum perturbatione ad extremum & Lazarus fugam inire coactus, dum paululum a via militari declinat, in foveam cum equo præceps lapſus, hoſtium manu peremtus eſt. At Lonicerus ex Turcorum annalibus vivum captum, & ſub papilione in Amuratis animam agentis conſpectu decolatum refert. Pugnatum eſt in Coſſovo, ſeu merularum campo, quem medius decurrens Sitniza fluvius perluit, ad extremum ſe miſcens Danubio. Corpus Amuratis Pruſam ad Majorum ſepulchra delatum eſt: viſcera in loco humata ſunt pyramide, aut turri verius ſuperſtructa, quæ hodieque exſtet: cui ad cædis memoriam brachium quoque *Miloſi* argento obductum, appenſum ſit. Lazarum ſepulchro Ravanizæ illatum conſtat, ubi diu poſtea corpus viſebatur, involutum ſindone auro diſtinPugnatum eſt an. 1389. cta, quam Miliza conjux contexuit. Hæc varii. *Vulatko Vukovich*, qui Bosnenſibus auxiliis præfuit, cum paucis ex pugna cruentiſſima evaſit, quæ anno 1389. die XV. Junii commiſſa fuerat: die XX. menſis ejusdem Turcis iisdem Bosnam invadentibus cladem redditurus parta inſigni victoria, de qua tantopere Tvartkus in datis ad Tragurienſes literis gloriatus eſt (A). Vuko Brankovichio & Jolincius, & manuſcripta Serblica proditionis notam inurunt, quam tamen alii ab eodem removent. Ritterus (B) mutuis Procerum diſcordiis, & nimio Turcorum contemtui cladem acceptam adſcribit: fugæ occaſionem ex mutato equo, & cædis ſubſecutæ modum ex lapſu in foveam cum Orbino repetit. Albertus autem Rex Hungariæ, & Imperator, rem ſimplicius narrans, recente adhuc hujus pugnæ memoria, utrumque in prælio cecidiſſe affirmat (C). Inter hæc tam varia, quid veſter hiſtoricus?

SERBL. Manuſcripti noſtri verba ipſa profero: *Judicio*, Amurates victus. inquit, *Divino Magnates Serbliæ infelices eſſe ceperunt. Prima Januarii ſol obſcuratus eſt. Et vere ineunte progreſſus contra Serviam Oman Amurat filius Orchani, cepit pugnare cum Lazaro, & cecidit gladio Ser*Bajazetes victor. *vico, occiſus a Milos. Amurato ſucceſſit Bajazit filius, qui bellum cepit cum Knezio Lazaro. Vajvodæ Lazaro infideles facti fugam iniere Vuk Brankovich, & alii. Qua ſuorum perfidia viſa, & ipſe fugæ ſe dedit. Fugientem boſtis aſſecutus, ictu læthali proſtravit: proſtratus exclamavit:*

FOE-

(A) Lucius L. 5. c. 3. epiſtolam recenſet. (B) In Serblia illuſtrata. (C) In privilegio Ladislao Gara dato anno 1438. *Ipso denique Lazaro, & Amurat Turcorum Domino in conflictu perſonali mutuis bellis inter ſe commiſſo, debita carnis utrinque reddente.*

FOEDERIS VIOLATIO ME DEPREHENDIT: moxque vitæ finem impoſuit XV. Junii. Corpus ejus collocatum eſt in Priſtinæ Epiſcopatus ede ſacra, ubi annos duos, & menſes octo terra ſepultum jacuit. Ex quibus colligo, prælia duo commiſſa fuiſſe: primum cum Amurate feliciter, eoque congreſſu Lazarum victorem exſtitiſſe: at bellum inſtaurante Bajazete, deſertum a ſuis, in fuga vitam poſuiſſe, & corpus a Serblis accurrentibus ſubductum. Filios e conflictu incolumes rediſſe, ex iis, quæ ſequentur, compertum eſt.

IV. Religio Lazari.

SERBL. Expirantis Lazari poſtrema verba, quæ retuliſti, aperte indicant, manum Dei vindicem, ob violatum fœdus, agnoviſſe, & animo pœnitente, contritoque ſpiritum emiſiſſe. Quem ego, nec vana, ut opinor, conjectura, ſicut Hungariæ Regibus, ita Eccleſiæ quoque Romanæ conjunctum, ac obſequentem vixiſſe alias docui: nec aliud, niſi clariora in id monumenta exopto.

Ejus ſepultura, & ſanctitas.

SERBL. Lazarum non pœnitentium modo, ſed & Sanctorum Martyrum albo nos adſcribimus. Certum Sanctitatis argumentum præbet, quod corpus ejus exacto biennio, & octo menſibus ſub terra, ad Milizæ conjugis, & Stephani Deſpotæ filii preces, e Priſtinenſi ſepulchro levatum, non illæſum modo, ſed & amœnum exhalans odorem compertum eſt. Quare magno pietatis ſenſu per piam conjugem, Deſpotam, Clerumque, ad cœnobium Ravanizenſe, quod ipſe conſtruxerat, & largiſſime donaverat, delatum, in templo aſcendentis Domini expoſitum, jam abinde honore, cultuque Sanctorum affici (A) cepit, & velut Martyr, ac Chriſti athleta hodieque colitur. Unde tandem poſt multos quietis annos ad Verdnik Syrmii cœnobium translatum, manet usque modo illæſum, magnoque concurſu populi frequentatur, ac colitur ad diem XV. menſis Junii.

V. De Stephano Lazari ſucceſſore, ac filio.

BULG. Lazaro patri continuo ſucceſſit Stephanus, cujus, ſicut initia principatus, ita quoque progreſſus turbatiſſimus exſtitit. Nam & victoris Bajazetis graſſationibus vehementer attritus eſt: & Vuki Brankovichii, ac Maræ ejus conjugis ſororis ſuæ, filiorumque ipſius Georgii potiſſimum, quin & fratrum propriorum *Vuki*, ac *Lazari* ſeditionibus, armisque appetitus eſt: qui omnes non modicas provinciarum portiones ab eo decerpſerunt, majore malo publico, quam ſuo commodo. Sed nec minora pericula ſubiit poſt captum Bajazetem a Tamerlane, contendentibus pro imperio Bajazetis filiis, Solimano, & Moſe primum, tum iterum Moſe, ac Mahumete, & poſt hunc a filio Amurate II. Cujus vires, etſi domeſticis diſſidiis, & urbium jacturis contractæ admodum, & in anguſtum adductæ eſſent,

(A) MS. Servicum.

ne tamen regnum Serbliæ corrueret, funditus, ad miraculum usque ſuſtinuit annos octo, ac triginta.

Res ejus ex MS. Servico usque ad cladem Bajazetis.

SERBL. Annorum totidem decurſu regnum Stephani noſtra quoque definit hiſtoria. Nam cum regimen auſpicatus eſſet a cæde patris anno 1389, finem impoſuit anno 1427. Diſſidia, quæ cum Vuko affine exercuit, hiſtoricus noſter ſilentio præteriit: Vuki mortem ad annum 1399. affixit. Bella Bajazetis Bulgarica copioſius proſequitur. Ternovum Bulgarorum Regia cum arcibus, urbibusque circumpoſitis in Bajazetis poteſtatem venit 1392. Prælium Sigismundi Hungariæ regis, quo ad Nicopolim robur, & ſpes Chriſtianorum proſtratæ ſunt, ad annum 1396. affixit. Anno autem 1398. Ravanizam combuſtam, & Vidinum, atque Nicopolim rurſum a Turcis ſubacta tradit. Hinc devolvitur ad bellum Tamircani Tartarorum principis in Aſia cum Turcis commiſſum, quo Bajazetes cum Millieva conjuge ſorore Stephani captus eſt. Ex hoc prælio redux Conſtantinopolim Stephanus, filium Vuki Brankovich Georgium ſororium ſuum pariter reducem, captum illic detineri juſſit; quem tamen brevi novas turbas daturum Rodp. captivitati ſubduxit: ipſe provinciam ſubiit, & Deo ſoſpitatori cœnobium, ædemque SS. Trinitatis honoribus dicatam ad fluvium Reſſavam excitavit. Hæc usque ad Bajazetis interitum, annumque 1402.; nec plura noſter.

Item ex aliis.

BULG. Turcorum annales, Ducas Michael, ac Maurus Orbinus multa alia per hæc tempora, ac diſtinctius ſuppeditant. Murat Dragoman (A) refert, Bajazetem a victoria anni 1389. in Coſſova parta, continuo in omnem Serbliæ partem copias emiſiſſe ad prædas agendas, arcesque ſubigendas. Igidbego Serblia demandata eſt: Ferisbegus ad Vidinum edomandum tranſiit: Bajazetes ipſe, belli nervum præciſurus Serblis, argenti mineras ad Cratovo ſitas cum urbe, ac provincia cognomine, & Scopiam, omnemque ejus tractum in poteſtatem redegit. His addit Ducas (B), Stephanum a proceribus electum principem, poſtquam primus Turcorum furor ſubſidit, ad Bajazetem placandum, plurima argenti talenta doni loco obtuliſſe, &, quanquam terrarum parte mulctatus eſſet, auctius tributum, armorum ſocietatem, fidemque perpetuam obligaſſe, datis etiam obſidibus: tuncque demum a vexanda Servia Bajazetem deſtitiſſe. Sed nuptiæ, quas idem Ducas inter conceſſæ pacis pacta refert, paulo ſerius oblatæ, ſecutæque ſunt. Arma deinceps in Bulgariam converſa fuiſſe a Bajazete, Turcorum æque, ac Serblica teſtatur hiſtoria. Inter eas vero Turcorum per Bulgariam graſſationes, nec Serblia a præliis vacua fuit. Nam vix liberata a Turcorum inſultibus, bello inteſtino conflictata eſt (C).

Bella domeſtica Serblorum.

Vukus

(A) Philippi Hanivaldi. (B) C. 4. ad annum Hegiræ 791. Chriſti 1390. (C) Orbinus.

Vukus Brankovichius, cum Mura conjuge, ac filiis, fax belli fuit. Cum enim partem unam Serviæ ſibi præripuiſſent, nec ab altera, quam Stephano Deſpotæ, fratribus ejus, ac Milizæ matri reliquerant, vexanda manus abſtinuerunt. Miliza ergo ad Bajazetis patrocinium implorandum adacta eſt: qui pro æquitate rei Vuko novi tumultus authori inſignatus, arma continuo intulit, exutumque urbibus, ac ditione omni, in carcerem compegit, univerſaque præter *Svechan*, & *Jellek* arces, Milizæ, ac filiis in manus tradidit: Maræ autem Vuki captivi conjugi portionem ratam aſſignavit, ex qua cum filiis Gregorio, Georgio, ac Lazaro pro dignitate vitam ducere poſſent. Hæc, quo ſolidiore vinculo firmaret Miliza, Bajazetem ſibi generum adſcivit oblata in thorum Millieva filia. Rebus in hunc modum compoſitis, Vukus Brankovichius e carcere dimiſſus, obiit anno, ut diximus 1399. Quare audiendi non ſunt, qui ſcribunt Vukum hunc a Moſe captum Philippopoli, ac carcere elapſum, a Balſa Georgio ad quem confugerat exprobrata Lazari traditione, conſcia Miliza capite mulctatum. Sed quas Vuko Bajazetes detraxerat ditiones, Mara conjux vidua pro ſe, ac filiis recepit connivente Bajazete, nec adverſante fortaſſis Miliza matre, ac Deſpota Stephano.

Quibus finem imponit Bajazetes.

Vukus Brankovichius moritur anno 1399.

SERBL. Cum Tamirchanus in Aſiam irrupiſſet Bajazetes quoque in Aſiam trajecit. Caſtra ejus, & Serbli ſecuti ſunt: Gregorius, & Georgius Maræ filii cum Lazaro natu minimo in Serblia remanente: tum, & Stephanus Deſpota, & Vukus frater, cum quinque haſtatorum lectiſſimorum millibus: Miliza matre cum Lazaro juniore filio ad provinciæ gubernium domi relictis. Eo prælio Gregorius in Tartarorum manus venit: Stephanus Deſpota poſtquam herois inſtar, ad Tamirchani ſtuporem, acerrime decertaſſet, inclinatis jam undique Turcorum rebus, Bajazetem, cum ſorore Millieva ad receptum adducere conatus eſt: id cum perſvadere homini non poſſet, Sulimanum ejus primogenitum, magno ſuo malo, cladi periculoque ſubduxit, atque ad capeſſendum paternum in Europa imperium, ſalvum Conſtantinopolim perduxit. Ab Emanuele, qui tunc imperio præerat, ambo cum honore accepti ſunt: Sulimanus ſupplex, cum Auguſti opem imploraſſet, ita demum inter eos convenit: pollicebatur Sulimanus præter Peloponeſum Theſſalonicam quoque, cum oppidis ad Strimonem Zetunium uſque ſitis redditurum, oppidis præterea urbi vicinis a Panydo uſque ad ſacrum oſtium, & hinc uſque Varnam, cum arcibus cunctis litori Euxino impoſitis Imperatori deceſſurum: qui cum Stephanum quoque ſoſpitatorem ſuum largis perinde promiſſionibus ceſſionibusque urbium, ac ditionum oneraſſet: Auguſtus cum Stephano ſtudia auxiliaque ſua viciſſim ad conciliandum Sulimano Europæ imperium addixere. Poſt quæ confecta Emanuel Imperator Stephanum corona, & inſignibus Deſpotarum exornavit: atque ne eſſet, qui bene

VI. Serbli auxiliantur Bajezeti contra Tamirchanum.

Stephanus Deſpota Sulimanum cladi ſubduxit anno 1402.

Coronatur ab Emanuele Imper. in Deſpotam.

ceptis obsisteret, Georgium Maræ & Vuki filium, qui pariter ex infelici prælio redierat, ad preces Stephani custodiendum suscepit. His Constantinopoli peractis Stephanus, cum Vuko fratre in provinciam revertit anno 1402. (A) promissis auxiliis Sulimano adstiturus.

VII. Sulimanus favente Emanuele, & Despota: ad Europæ imperium provehitur.

BULG. Stephano Despota, ac Emanuele Imperatore favent ibus, accessio Turcorum Europæorum ad Sulimanum brevi facta est: communi ergo acclamatione omnium, primus post Bajazetis interitum Sultanus salutatus est. Sed non diu pacato esse licuit. Moses enim alter Bajazetis filius accitus a Mirche Valachiæ Vajvoda, ejusque favore, ac viribus adjutus, tractis in partes suas multis Turcorum copiis gravem Sulimano seditionem movit, nec nisi multis præliis magnaque sanguinis profusione finiendam. Ad cujus partes, cum Georgius quoque Maræ filius captivitati Constantinopolitanæ subductus, accessisset, atque ab eo caput gentis Serblicæ constitutus, unitis Mosis, & principis Valachiæ viribus in provinciam introductus esset; Serblia novum belli theatrum evasit (B). Ingressus Georgii gravibus Serbliam motibus succussit, nec uni prælio occasionem præbuit. Ut autem hostium vires divisæ erant, ita Stephanus quoque suas divisit: & Mosem quidem aggressus Despota in tripolio infra Grachanizam prælio fudit: at Vukus frater Despotæ, quem Georgio opposuerat, ab hoc vicissim clade affectus est (C): qua victoria recte usus Georgius non modicam provinciæ partem sibi vindicavit. Sed affluentibus interim Hungaricis auxiliis, Despota, & Georgium non levibus damnis affecit, nec ignobiles victorias de Turcis reportavit. Testis earum est Sigismundus Rex Hungariæ, qui in literis suis ad Burgundiæ Ducem, & Flandriæ Comitem datis scribit (D): *Stephanum Ducem Rassiæ se sibi subjecisse, & contra Turcas magna potentia profectum, acceptis a se magnis auxiliis, victorias aliquot reportasse.* Inter hos domesticorum bellorum motus *Miliza* Despotæ mater, in monachatu Eugenia dicta die XI. Novembris anno 1406. hac mortali vita soluta est (E), quam anno 1408. Gregorius Georgii frater ex Tartarica captivitate redemtus, pariter secutus est (F). Mors ejus novis rursum tumultibus occasionem præbuisse videtur; nam anno eodem Despota *Sitnizam* populatus legitur (G): nec defuisse ipsi Hungarorum auxilia inde conjicio, quod scriptores Hungarici (H) Sigismundum Hungariæ regem post Bosnam domitam per Serviam, & Rassiam exercitum traduxisse ferant; &

Moses Sulimano fratri opponitur. Hinc bellum Stephani, cum Mose & Georgio sororio.

VIII. Moritur Miliza Stephani mater: & Gregorius sororius.

Vinde-

(A) Ducas. (B) Ducas MS. Servicum. (C) Orbinus. (D) Mayerus in Annalibus Flandricis ad annum 1404. & ex eo Spondanus. (E) MS. Servicum. (F) Idem. (G) Idem. (H) Cl. Georg Pray ad an. 1408.

Vindekius ſcriptor coævus (A) aſſerat Sigismundum cum Deſpota transegiſſe.

SERBL. Vix finitis his bellis cum Georgio; Stephani Deſpotæ durities in fratres novi rurſus belli inteſtini ſemen fuit. Nam cum Vukus, & Lazarus fruſtra a fratre terrarum portionem repeterent, ad auxilia a Moſe imploranda, cum multis Nobilium adacti ſunt. Moſes, ut Turcæ ad fovenda chriſtianorum diſſidia prompti ſunt, Auranoſcum, cum triginta millibus in Deſpotam immiſit: quibus cum & Georgius copias ſuas conjunxiſſet; ipſos ſex menſes Serviam Stephani non aliter, ac hoſticum populati ſunt (B). Ea calamitas adegit demum Stephanum ad pacis conſilia, cum fratribus Vuko & Lazaro, Georgio ſororio; ac Moſe demum ipſo. Igitur deſerto Sulimani fœdere; Moſi in cujus partibus jam fratres, & ſororius erant, & ipſe acceſſit, fideique juravit. Quare cum anno 1410 Sulimanum inter, ac Moſen bellum in Romania recruduiſſet, Stephanus quoque, cum fratribus, ac ſororiis Moſen ſecutus eſt. Inſtante prælio Vukus, ac Lazarus Moſe deſerto in caſtra Sulimani tranſiere. Stephanus Deſpota non niſi jam inclinata Moſis acie, Conſtantinopolim, cum copiis ſe ſubduxit, unde incolumis per Valachiam in Serviam rediit. Huc cum *Vukus* etiam, ac *Lazarus* fratres contendunt, donatam ſibi a Sulimano occupaturi Raſſiam: a profligatis Moſis copiis intercepti ſupplicioque affecti, vivendi turbandique finem fecerunt (C). Moſis gladio, & ſororius eorum Lazarus Georgii frater in Plovidno ſexta Julii eſt peremptus (D). Adhærebat nihilominus Moſi Georgius quam conſtantiſſime, adfuitque prælio, quo anno 1411. debellatus denique Sulimanus peremptus eſt. Victor Moſes, cum Selybriam oppugnandam ſuſcepiſſet, Georgius vitæ ſuæ inſidias ſtrui ſenſit: quibus ut ſe evolveret, oppugnationis ſpecie feliciter, cum copiis in urbem ſe injecit: unde in avitas terras redux, a Stephano Deſpota avunculo in gratiam, ac filii locum receptus, fide deinceps maxima conſtantiaque adhæſit, & non minus quam patrem coluit, fidus in bellis omnibus adjutor.

Bellum Stephani Deſpotæ, cum fratribus.

Deſerto Sulimano, Moſi adhæret Stephanus.

Sed mox, & hunc deſerit.

IX. Moſes varios principes Serviæ perimit. Sulimanus occiditur.

Georgius a Moſe deficit, & cum avunculo Stephano Deſpota in gratiam redit.

BULG. Moſes ab olim jam Imperatori Emanueli, & Stephano Deſpotæ Sulimani fautoribus infenſus, cum nuper in prælio a Stephano, & poſtea ad Selybriam a Georgio Stephani ſororio deſertus fuiſſet, in utrumque vindictam, & arma comparavit. Igitur anno ſecundo novi ſui imperii Serbliam ingreſſus, urbes tres expugnavit, deſolataque omni provincia captivos innumeros abduxit. Deſpota præpotentis hoſtis furore perculſus provinciam ad

Moſes Serbliam vaſtat, & Emanuelis imperium.

(A) Vindekius c. 19. (B) Orbinus ad an. 1409. MS. Servicum ad 1410. (C) Orbinus MS. Servicum. (D) Idem MS.

tempus deſeruit (A): & Moſes Serbliæ clade, ut videtur, ſatur, converſo Conſtantinopolim itinere, in vicina urbi deſæviit, per Duces vero Theſſalonicam, & quæcunque Emanueli a Sulimano donata fuerant, vi admota recepit. Emanuel implacabilem in Moſe cernens hoſtem, atque in ſui excidium intentum, de Mahumete tertio Bajazetis filio in Europam advocando, ac Moſi objiciendo conſilium agitare cepit, perduxitque (B).

X. Emanuel Mahometem in Moſen evocat.

SERBL. De vaſtitate Serbliæ per Moſen illata, paulo aliter, & diſertius noſtrum manuſcriptum. Igitur moviſſe ait: Moſen in Serviam anno 1411. & *Irvanograd* oppugnaſſe; ſed fruſtrato ibi conatu, ſigna adverſus Bulguros convertiſſe, eosque diſſipaſſe. Anno autem 1413. repetiviſſe Serviam, & Stephano ad *Urbricam* clade affecto, *Cruſevaz*, *Stolak*, & *Coprian* multasque alias arces evertiſſe, innumeris e chriſtiano populo gladio peremptis. Sic colluctanti, cum hoſte potentiſſimo Deſpotæ, Georgium Theſſalonica, ex Boſna Sandalem Hranich, & Petrum Vajvodam copias adduxiſſe: affluxiſſe quoque auxilia Hungarica ſub ſignis Joannis Maroth Machvæ Bani (C). Quanquam autem tam amplo inſtructus exercitu par futurus Moſis viribus crederetur Deſpota, ſatius tamen viſum eſt omnibus prælio decretorio abſtinere, ne provinciam principemque unius conflictus aleæ exponerent. Ita dum velitationibus agitur, evocatus a Manuele Auguſto Mahometes, urbem que jam ingreſſus, referre denique pedem ex Raſſia, Romaniamque repetere cœgit Moſen.

Chriſtiani auxiliares Stephani contra Moſen.

BULG. Poſt eruptiones aliquot ex urbe Conſtantinopolitana in Moſen minus proſpere tentatas, Mahometes anno ſequente, adjunctis ſibi Tartarorum, Manuelis, & Serblorum ſub Georgii ductu copiis, in apertum campum prodiit, & ad Iskram fluvium Bulgariæ proſpero plane ſucceſſu, cum Moſe conflixit. Nam profligata acie adverſa, cum Moſes vulnere accepto inter paludes latitaret, a perſequentibus cunctaque ſcrutantibus deprehenſus, familiari Turcis nece, faucibus eliſis interiit anno, ut chronologiæ variant, juxta Annales Turcorum 1415; ex noſtro manuſcripto 1414; & ex Ducæ Michaelis calculo 1413.

Bella Mahometis in Moſen.

Moſes victus perimitur.

SERBL. Mahometes rivali perempto imperium aſſecutus, Emanueli Auguſto velut fortunæ ſuæ Authori, erepta a Moſe, gratus rurſum reſtituit (D). Legatos Chriſtianorum principum a Stephano Serviæ Deſpota, Valachis, Bulgaris, Duce Joanninorum, Deſpota Lacedemonis, ac principe Achajæ ſubmiſſos clementer excepit, paceque cum omnibus firmata, ſolemni Turcorum formula, frangenti

Mahometes I. adepto imperio pacem, cum Chriſtianis fangit.

(A) Ducas c. 19. (B) Idem ibidem. (C) Orbinus. (D) Ducas c. 20.

frangenti fidem Deum infeſtum imprecatus eſt (A). Sultani hujus illiciis captus filius Alexandri Bulgariæ principis Suſmano geniti, deſerto Chriſto ad Mahometi ſuperſtitionem tranſiit, & Sultanum in Aſiam ſecutus bello in Cineitem geſto adfuit, quo victo exutoque ditione avita, filio Alexandri filii Suſmani (B) provinciam Cineitis regendam tradidit; Cineite viciſſim in Bulgariam translato ad Nicopolis gubernium. Sed Bulgari apoſtatæ breve in Aſia regimen fuit. Nam cum in Periclizem Muſtafam novæ apud Mahumetanos ſectæ authorem, audacius quam prudentius invehitur, a ſectæ aſſeclis in anguſtiis Stiliani montis deprehenſus circumventusque, cum ſenis ſuorum millibus conciſus, dignum impietate finem accepit. Nec Cineiti Nicopoleos præfecto fides duravit. Is enim Muſtafæ Mahometis fratri in Valachiam ex Aſia profecto ad occupandum imperium, illico cum copiis ſe adjunxit, & rebellionem fovit: ſed quæ tunc quidem uno prælio diſſipata eſt, ex Turcorum calculo ad annum 1417. Profligatus Muſtafa, ac Cineites, cum Theſſalonicam confugiſſent, ab Emanuele conſervati ſunt, data nihilominus Mahometi fide, vita ejus comite non emittendos. Anno 1419. Mirche Valachiæ Vajvodam mors abſtulit: & anni ejusdem die 21. Januarii Conſtantinus quoque Bulgarorum Imperator vivendi finem fecit (C).

BULG. Apud Orbinum, ac Du Fresnium nec Alexandri Suſmani filii, nec Conſtantini Bulgarorum Imperatoris memoria occurrit. Et Phranzes (D) Suſmano inter præliandum occumbente anno 1374. Bulgariam in Turcorum poteſtatem veniſſe tradit. Dreslerus autem Suſmano a Bajazete capto in prælio, ſcribit filium, ut patri vitam ſervaret, Mahometi præſtigias complexum; ac variis poſtea in bellis fideli opera navata, exercituum, ac provinciarum præfectura donatum fuiſſe affirmat Leunclavius (E). Quoniam vero accuratior iſtorum disquiſitio ad Bulgariæ hiſtoriam ſpectat; hæc variantia iſto loco indicaſſe ſufficiet: Ego plus authoritatis, ac fidei manuſcripto veſtro, & Michaeli Ducæ defero; quorum ambo ad poſteriora tempora Bulgariæ principes perduxerunt, nec hiſtoriam eorum in Suſmano finiunt, quemadmodum, nec Phranzes ipſe.

SERBL. Cum poſt longos turbines, Mahomete I. regnante tranquillum parte una a Turcis affulſiſſet: parte altera Chriſtiani Veneti annis abhinc aliquot Balſam Zentæ principem turbari aggreſſi ſunt. Balſa, cum annis aliquot fortuna varia cum Venetis decertaſſet; anno demum 1421. quietem nactus, dato provinciæ ſuæ gubernatore Stephano Maramonte, in Raſſiam ad Stephanum Deſpotam

XI. Venetorum, & Stephani Deſpotæ bellum pro Zenta, & Pax.

(A) Ducas c. 20. (B) Ducas c. 21. (C) MS. Servicum. (D) Sed Phranzes de parte Bulgariæ intelligendus eſt. (E) L. 5. Hiſtoriæ Muſulmanicæ.

tam avunculum conceſſit, ubi anno ſequente 1422. morbo oppreſſus vitam abſolvit. Qua morte percepta, cum rurſus Veneti Zentam bello appeterent, Deſpota Scutarium abiit (A): atque ut diſertius Orbinus ſcribit, admoto exercitu Zentam recepit ſic ut præter Scutarii arcem Budua ſola, ac Dulcinium in Dominio Venetorum manſerit. Bello confecto anno 1422 ad defenſionem provinciæ Stephanum Mazarecham Vajvodam reliquit; illo vero a Venetis paulo poſt cæſo, Georgium ſororium cum novo exercitu anno 1423 eodem deſtinavit, donata & in ipſum translata omni provincia: qui rem auſpicato aggreſſus, pactis bonis cum Senatu Veneto anno 1425 pacem compoſuit.

Stephani ſeveritus in Srebernicenſes.

BULG. In Boſna quoque ad Srebernizam anno 1419 turbarum aliquid coortum fuerat, cum loci incolæ acceptum a Stephano Deſpotæ gubernatorem nece crudeli ſuſtulerunt. Barbarum facinus eodem excivit Deſpotam anno 1420: quod tamen ſeverius qu m par erat, ultus eſt. Nam reis vario ſupplicii genere peremptis, innoxios quoque Raguſæos Mercatores, ſuſpicionibus potius quam delicti indiciis excitatus, Belgradum carcere macerandos transpoſuit. Nec valuere apud iratum Deſpotam ſive preces ſupplices Paſchalis Reſti, quem Raguſa de ſuorum ſalute ſolicita oratorem transmiſerat; nec Georgii principis patrocinium; qui fidelem ſtrenuamque Raguſæorum operam, oppugnante Srebernicum Tvartko, in memoriam Avuncolo irrito conatu revocabat, hisque promeritis, Raguſæis non accuſatis non convictis veniam gratiamque implorabat (B).

Stephanus non obiit anno 1421.

SERBL. Hactenus recte Orbinus. At cum Stephanum Deſpotam Srebernici juſto Dei judicio apoplexia correptum, equo delapſum, expiraſſe anno 1421 ſcribit, fallitur magnopere, nec ſibi, nec ſuæ in Zentæ principibus narrationi conſtat. Zentana Stephani Deſpotæ expeditio quam Orbinus ad annum 1422 retulit, & Zentæ donatio transcriptioque in Georgium ſororium facta anno 1423 convincunt penitus, Stephani obitum hic non recte anno 1421 illigatum eſſe. Stat nihilominus alterum, quod ad annum 1421 ait, Georgium principem Belgradum acceſſiſſe, & Raguſæos carcere exemptos libertati reſtituiſſe; ac denique illo jam anno Georgium a Raſciis pro Domino, ac Deſpota agnitum cultumque fuiſſe. Et confirmat diſerte faſſio, quam Georgius de bonis ſuis Hungaricis pro Paulo Brini Marchione cognato celebravit; modo eadem, ut fide jubet Samuel Timon (C) jam anno 1422 in Eccleſiæ Budenſis Capitulo conſcripta fuerit: in ea enim Georgius princeps *Deſpoti Regni Raſſiæ*, &

(A) MS. Servicum. (B) Orbinus. (C) Timon novæ Hungariæ c. 7.

& *Albaniæ Domini* titulis insignitus legitur. Sed hoc consortii honoris, & regiminis, non mortis Stephani est indicium.

BULG. Pacem, quam cum Serblis coluerat Mahometes I. Amurates quoque II. qui anno 1422 patri successit, ratam habuit firmavitque: anno 1423 Emanuele Augusto Budæ apud Sigismundum agente, per suos, ac Stephani Despotæ legatos, Sigismundum quoque ad pacis consilia flexit (A). Conflaverat enim ipsi bellum frater Mustafa cum Cineite in Asia, quod mox in Europam quoque intulere. Eo vero prospere debellato, ut Hanibaldi historia perhibet, Despotæ Stephano pacis consiliatori urbes multas restituit, atque inter cætera munera exquisitos falcones quinque donum misit. Ex hoc Muratis favore conceptam lætitiam turbavit mors Maræ sororis Stephani, & matris Georgii Despotarum, quæ in annum 1425 incidit (B).

Mahumeto succedit Amurat II. a. 1422. pacem cum Christianis confirmat.

SERBL. At multo magis, commutatus præter opinionem Amuratis in odium animus, & inopinus ac hostilis in Serviam incursus sævaque ad Crusevaz populatio, quæ anno 1426 illata est. Causam ejus hanc refert Hanivaldus: commovit, inquit, Amuratem in Stephanum, quod Sangiagbegi cujusdam filium Pasabegum jure, & arbitratu suo in carcerem compegisset. Hanc ergo, ut interpretabatur injuriam Turcico nomini illatam, occupata plurima Serviæ parte severe ultus est. Amurate per Serviam grassante, ex gravissimo pedum dolore, quali nunquam antea, lecto affixus hærebat Stephanus, mortemque vicinam præsagiens, nec jam par laboribus, in Georgium, quem antea consortem regiminis adlegerat, universam negotiorum molem solicitudinemque solemni cessione transtulit. Produxit nihilominus vitam æger ad diem XIX. Julii anni 1427 quo nullis relictis liberis, humanis excessit, illatus paterno tumulo Ravanizæ (C).

Abrumpit cum Stephano Despota.

Moritur Despota Stephanus 1427.

BULG. Georgius anno 1427 Serbliæ gubernium in solidum auspicatus, Ragusæorum legatis Marino Resti, & Joanni Gondola, post exposita gratulationis officia, orantibus, privilegia more decessorum confirmavit (D). Initia regiminis sui fœdasse, ac iras in se omnium provocasse Georgium ferunt annalium Hungariæ scriptores, quod castrum Golumbaz Danubio adsitum cum agro amplissimo duodecim auri numum millibus Amurati vænum dedisset; quod postea dum Sigismundus rex obsidione tentat recipere, a Turcis cum clade rejectus est (E).

XIII. Succedit Georgius fororius Turcæ Columbazium occupant.

(A) Cl. Georg. Pray & alii. (B) MS. Servicum. (C) Idem. (D) Orbinus. (E) Pray & alii passim.

Georgius ab imputata venditione defenditur.

SERBL. Iraſcerer, & ipſe Georgio, niſi eum ab hac calumnia turpique nundinatione Ducas Michael, manuſcriptum noſtrum, atque Turcæ ipſi defenderent abſolverentque: in quibus nullum prorſus nundinationis veſtigium; ſed vis ſola, & hoſtilitas occurrunt tam ante quam poſt occupatum Golumbazium, & jus ab Amurate in universam Serbliam prætenſum. Audiamus Ducam (A): *Poſtquam*, inquit, *Murates Adrianopolim venit, Deſpotam Serviæ Stephanum Lazari filium, Bajazetis ſororium* (B) *fato ceſſiſſe reſcivit: ergo ab ejus ſucceſſore Georgio, per Legatos totam Serviam repetit.* Nempe perſvaſum ſibi habebat Murates, jus omne in Serbliam ad ſe rediſſe, poſtquam Stephanus Deſpota absque liberis deceſſit, & ſtirps Lazari in eo extincta eſt: ſive id juris fundaverit, in ſupremo illo, quod jam dudum Turcæ arrogabant, in Serbliam dominio, quam feudi inſtar reſpiciebant; ſive in affinitate Bajazetis avi ſui cum Stephano. Legationi cum morem non gereret Deſpota exercitum Serbliæ infudit, armis proſecuturus, quod ratione evincere non valuit. Igitur anno 1428 (C) *arces aliquot Serviæ*, ut Hanivaldus ſcribit, *urbesque occupavit, & oppugnavit arcem, quam Turcæ GUGER-ZINLIK ſeu COLUMBARIUM vocant, & regem Hungariæ, qui ad obſidionem ſolvendam adfuit cum exercitu, in fugam conjecit.* Hæc Ducas, & Turcæ: & anno rurſus ſequente, excitante Iſaco, arma Serviæ inferre parabat. Scriptor autem noſter domeſticus ad annum vigeſimum octavum de *Columbazio* hæc habet: *Jeremias Golubzium abiit, & tradidit ſe Turcis, & populati ſunt BRANICHEVO, anno quo Georgius Serviæ Deſpota gubernium ſuſcepit.* Atqui Columbazii ſuſcepta per Turcas oppugnatio: Jeremiæ ad urbis defenſionem exmiſſio: Sigismundi ad ſolvendam obſidione urbem, acceſſus, qui non niſi precibus Deſpotæ impetratus eſt: populatio deinde, quæ occupato Golumbazio ad *Branichevum* illata eſt: denique bellum, quod anno iterum ſequente imminebat, omnem venditionis colluſionisque cum Amurate ſuſpicionem amovent, & a turpi nundinationis nota Georgium abſolvunt.

Vera cauſa belli Turcici in Georgium detegitur.

XIV. Pace facta, Amurates novum bellum molitur. Cauſa belli.

BULG. Poſt mulctatum tot urbibus Georgium, quid rurſus Amuratem impulit, ut anno ſequente vigeſimo nono nova clade Serviam involvere deſtinaret? Ac qua tandem arte ingruentem tempeſtatem a terris ſuis avertit Georgius?

SERBL. Explanant utrumque Turcorum annales (D) Iſacbegus finium Serviæ præfectus, cum nulla in Chriſtianos procurſio ex

(D) Ducas c. 30. (B) Bajazetem Stephani *Sororium* appellat, quod ſororem ejus in conjugio habuerit Millievam, etſi nullam ex ea prolem ſuſceperit. (C) Hiſtoria Turcica Hanivaldi. (D) Apud eundem.

ex voto cederet, & quoties irruptionem tentarat, vacuis ſemper manibus, nec raro clade accepta rediſſet, totius fortunæ invidiam in Georgium Deſpotam conferebat: hunc eſſe, qui conſiliis ſuis exploratis occurreret, apparatuque vicinis per celeres nuncios indicato, aggreſſiones omnes irritas faceret: ac propterea ut Georgio infenſus fuit, ita querelis aſſiduis Amuratis animum in Deſpotam inflammabat; ac tandem perſvaſit, ut terras nuper condonatas remiſſasque ad ſe iterum reciperet, bellumque de novo moliretur. Molimina Iſaci non latuere Deſpotam, quibus ut iret obviam Baſſas quidem profuſis plurimis argenti talentis demereri ſategit, Sultanum vero, ut ad pacis conſilia reflecteret ſupplici legatione convenit. Offerebat Mariæ filiæ ſuæ connubium, ac dotis nomine magnos terrarum tractus ad *Alæ Kiſar* ſeu albam arcem Drino fluvio affuſos: additoque tributo ex principatu reliquo, liberum in Boſnam commeatum; Hungaris autem excurſoribus fines præcludendos pollicebatur. Hucuſque miſerum principem ferrea neceſſitas adegit. Quibus quidem eo negotium perduxit, ut ſuffragio Baſſarum condiciones acceptæ, & pax impoſterum promiſſa ſit. Sed Orbinus, ſerius ad pacta connubialia deſcendiſſe Georgium, nunc vero ſola tributi, ac militiæ ſponſione placaſſe Amuratem author eſt: quod multo verius videtur. Quæcunque autem pacta tunc inita fuerint, pax diuturna non fuit: nam poſtquam anno 1431 Theſſalonicam e Venetorum manibus eripuit: anno qui ſecutus eſt, converſis in Serbliam copiis Braſevo, & Cruſevaz urbes cum arcibus circumpoſitis deditione occupavit; & cum irrito conatu oppugnaſſet *Novoberdo*, & *Sreberni gtado*, hyeme urgente Adrianopolim copias reduxit: ubi nova rurſum legatione Deſpotæ placatus, quædam ex nuper captis reſtituit (A). Ad annum eundem 1432 affirmat hiſtoricus noſter Deſpotam Georgium Sigismundo Belgradum cum tractu ſuo terrarum, pro terris Hungaricis ceſſiſſe, & portenta quædam, quæ vicinum Serbliæ excidium nunciabant, recenſet: inter hæc, ait, exauditos a parte Savi fluminis tubarum clangores terribiles; viſos ex aere in urbem labi ignes, quanquam innoxios; immanes prorſus turbines ædium plurimarum tecta convulſiſſe; ac denique obſervatos in templis, neſcio quos volatus ſacrarum iconum. Auxit terrorem Myſus ille, qui inter effuſas lacrymas, ejulatus urbem percurſans repetitum væ inclamabat. Poſt quæ narrata, tandem ad annum 1433 defigit Catharinæ Georgii filiæ cum Ulrico III. Celejæ comite, conciliante procul dubio nuptias Sigismundo Imperatore, qui Barbaram eadem Celejenſium domo genitam in conjugio habebat, & annis ab hinc aliquot, nempe 1427 Tvartkum Boſnæ Raſciæque regem permoviſſe vide-

Georgius Deſpota fit tributarius.

Ejus filia Catharina nubit Ulrico Celejæ Comiti.

(A) MS. Servicum.

videtur, ut Hermanum II. Barbaræ patrem, omnemque ejus progeniem hæredem ac ſucceſſorem regnorum ſcripſerit.

XV. Inquiritur in annum quo Serbli Belgradum Hungaris tradiderunt.

BULG. Recte ne annus nuptiarum Catharinæ cum Ulrico conſignatus ſit, chronica Celejana diriment (A). Vetus autem inter ſcriptores lis eſt quis Deſpotarum, cui Regum, & quo demum anno, pro amplis in Hungaria ditionibus Belgradum reſignaverit? ut adeo ſcriptori veſtro qui annum 1432 fixit, continuo aſſentiri non valeam. Sunt qui Lazaro I. Deſpotæ eam permutationem tribuant (B) factamque velint anno 1387 quo Sigismundus renunciatus eſt Hungariæ rex. Thurozius (C) eandem ad annum 1425 diſtulit: quam manuſcriptum veſtrum in annum 1432 rejecit: hi vero, Georgio & Sigismundo cambium tribuunt: nec deſunt tamen, qui idem ad Regis Alberti tempora transferant (D). Liti modus certiſſimus poneretur, ſi primævam ac originariam donationem ſeu verius cambium archiva in publicum efferrent: hoc cum hactenus a nemine productum viderim, ratiocinio probabili annus permutationis veſtigandus erit. Ne Lazaro I. qui ademerat, reſtitutionem Belgradi tribuam, moveor cumprimis Alberti regis privilegio Ladislao Nicolai Garæ filio anno 1438 elargito, in quo Lazarus Deſpota hortatu Nicolai generi ad obſequium coronæ Hungariæ fidemque a qua deſciverat, revocatus anno 1387 ſcribitur, nulla prorſus Belgradi reddidi mentione injecta: ibi de Nicolao Gara Albertus ſic loquitur: *Lazarum Deſpotam Raſciæ ſocerum ſuum ab obedientia Regia declinantem, ſuæ circumſpectionis induſtria, ſolitæ obedientiæ reduxit in gremium, debita coronæ Regiæ obſequia redditurum* (E). Altum hoc Alberti in loco tam opportuno, de Belgrado ſtudiis Nicolai recepto, ſilentium, argumento mihi eſt, urbem a Lazaro reſtitutam non fuiſſe: qui enim minora Nicolai recenſuit, ampliſſimum hoc in Rempublicam meritum, ſi contigiſſet, præteriturus ſilentio non erat. Adde, quod Orbino teſte anno adhuc 1420 in Stephani Deſpotæ filii Lazari manibus, ac poteſtate Belgradum extitiſſe certum ſit, quo ille mercatores Raguſæos Srebernici interceptos in carcerem miſit. Sed neque annus 1432 verus legitimusque permutationis annus fuit: nam illam vivente Stephano coaluiſſe, ipſe titulus *Deſpotæ partium Hungariæ*, quo in manuſcripto veſtro donatur, ſatis convincit: nec enim diſpicio quarum *Hungariæ partium Deſpota* inſcribi potuerit, quam earum, quæ Belgradi permutatione obvenerunt. Fallit quoque Turozii calculus, qui id anno

1743

(A) P. Eraſmi Frölich. Hany aliorumque. (C) Laonicus Chalcocondylas. Ritterus. (C) Thuroczy P. 4. c. 20. (D) Wolfang. Lazius. Thomas Ebendorff. Haſebachius. Orbinus. (E) Privilegium, per extenſum vide in Hung. Diplom. Mathiæ regis apud Cl. Steph. Kaprinai p. 354.

1425 affixit, ſi quod fide jubet Timon (A) faſſio de bonis illis Hungaricis, pro Marchione Paulo Brini de Verona a Georgio Deſpota jam anno 1422 celebrata eſt: nam cum faſſio Georgium bonorum Dominum jam fuiſſe ſupponat, permutatio quæ radix erat Dominii, ſuapte natura præire debuit. Multo autem magis patulus illorum error eſt, qui permutationem ad Alberti regis tempora diſtulerunt; cum in literis fœderis anno 1433 inter Eugenium Papam, & Sigismundum pro Imperiali diademate initi, cæteros inter teſtes ſubſcriptus legatur *Matico Talocius Comes Kevienſis, & Capitaneus Nandor Albenſis*, ſeu Belgradi præfectus. Igitur dum ex privilegio primævo certiora edoceamur, ſtatuo: cambium bonorum Hungaricorum pro Belgrado, anno 1421 coaluiſſe, quo Georgius in regiminis conſortium a Stephano eſt aſſumptus, & quo ipſo, Orbino teſte, Belgradum adiit, & captivos Raguſæos libertati reſtituit. Coaluit autem ea permutatio ſano ſanctoque utriusque Deſpotæ conſilio: ſic enim, & Serbliam ſuam ex vicino Hungarorum præſidio, ac viribus ſecuriorem a Turcorum rapinis reddebant; & in caſum fatalem, quo Serbliæ principatu proturbarentur, ſibi familiæque refugii ſedem parabant, ex qua interim opum tantum affluereet, quantum dignitati exulis principis ſuſtentandæ ſufficeret.

Eruitur annus 1421.

SERBL. Faſſionem a Georgio Deſpota de bonis Hungaricis pro Paulo Brini celebratam, ſi tibi ad manum eſt, age huc etiam infer.

BULG. Recenſuit eandem Pater Samuel Timon (B) in hæc verba ex literis manuſcriptis: *Nos capitulum Eccleſiæ Budenſis, omnibus Chriſti fidelibus tenore præſentium ſignificamus, quibus expedit univerſis. Quod illuſtris Princeps Georgius Deſpotus Regni Raſciæ atque Dominus Albaniæ: onera ſeu quælibet gravamina univerſorum fratrum, proximorum, & conſanguineorum ſuorum, & præcipue conthoralis ſuæ Dominæ Elenæ, nec non filiorum ſuorum Stephani, Gregorii, & Lazari ſuper ſe recipiens, & aſſumens, coram nobis perſonaliter conſtitutus, ſponte propoſuit, & confeſſus exſtitit hunc in modum: quod quæ conſanguineum ſuum legitimum, egregium Paulum Brini de Verona filium quondam Michaelis Ducis de Verona filium quondam Michaelis Ducis de eadem, Marchionem Bosnenſem de cognatione Stephani Regnorum videlicet Raſciæ, Bulgariæ, Boſnæ atque Albaniæ quondam Imperatoris, juris ordine mediante de quibuscvis rebus, bonis, ac tenutis, & pertinentiis ſuis univerſis portio tangit, & concernit, tanquam unum hæredem, ac filium ſuum, pro eo perſonaliter contulit eidem quinque caſtra ſua puta: caſtrum princi-*

Faſſio Georgii Deſpotæ ſuper bonis Hungaricis pro Belgrado acceptis.

(A) In imagine novæ Hungariæ c. 7. (B) Apud eundem ibidem, & in Annal. Hung. ad annum 1425.

principaliter Zolnik cum oppidis ſcilicet Zolnik, cum tributo in eodem exigi ſolito. Nec non Charanza cum tributo in eodem habito ſeu auri, & argenti fodinis: ac Boborna cum auri & argenti fodinis nec non tributo in eodem exigi ſolito. Et caſtrum Theoczak, Szerdahel cum tributo in eodem habito: Chetertekhel cum tributo in eodem exigi ſolito, ac ſingulis vicinalibus poſſeſſionibus, & utilitatibus quas ab eisdem regere, & poſſidere ſoliti ſunt. Item Oſſorienſe: item caſtrum Vilagosvar cum oppidis videlicet Syri cum tributo in eodem habito: nec non Galſa, ac poſſeſſione Meſth cum tributo ſeu Aranyag cum aliis poſſeſſionibus, & utilitatibus, quas ab antiquo ab eodem gubernare conſveverunt in Zarand. Item caſtrum Salankemen, & vadum in eodem habitum: nec non poſſeſſiones Olczar, Garafalva in Sirmienſi. Ac caſtrum Becze in inſula Titiæ habitum, & oppidum ſimiliter Becze, ac tributum ac vadum in eodem habitum: nec non poſſeſſiones Uifalu Szentkiral, Bodog Aſzonfalva Szentendred. Vegenye, Echebida, ac tributum, ac vadum in eadem habitum: nec non oppida Straka, Baczalbida, Becskereke & tributum in eodem exigi ſolitum: ac poſſeſſiones Irmes Nyilas, Cbingrad, Aradi, & tributum in eodem exigi ſolitum in Torontalienſi. Item eodem modo poſſeſſiones Chereg, ac tributum, ac vadum in eodem habitum: nec non Feterrive, Szent Péter, Arculith, & tributum in eodem exigi ſolitum ac Aſzonfalva, Peczer nec non tributum, ac vadum in eodem habitum in Bachienſi. Item oppida, Thur, ac tributum in eodem exigi ſolitum, & Thiſſa Varsan vocatorum in de Zolnok comitatibus exiſtentium habitorum, omni jure, quo ipſe *poſſediſſet*, *donavit* &c. Datum in vigilia Nativitatis Virginis glorioſæ anno Domini MCCCC-XI. (A). Opinor hanc faſſionem pro Paulo Marchione conceptam fuiſſe, quod ſive oblivione, ſive quavis alia cauſa primævæ donationi Regiæ cambioque inſertus haud fuiſſet: quo quidem errori ſubventum, & pro æquitate conſultum fuit juribus Marchionis Pauli (B). Sed his per excurſum dictis, redeamus in ordinem, ac cætera Georgii Deſpotæ proſequamur.

Hungari ab obſidio Columbani a. 1435 rejecti.

Memorant Annales Turcorum ad annum 1435 Hungaros Columbazium oppugnaſſe, inde tamen a Sinan Beglerbego, & Vidinenſi Sinanbego cum clade repulſos: vereor igitur, ne hæc, quanquam infelix oppugnatio, ut Turcorum gens ſuſpicax eſt, Georgio Deſpotæ velut authori, crimini data ſit, atque propterea novum malum acciverit.

SERBL.

(A) A Typo Timonis, ac fors etiam manuſcripto, quod præmanibus habuit, X. primum ſeu decas, quæ annum 1422 compleat, quem ipſe profitetur, abeſt ſeu Typi errore, ſeu etiam attritione. Anno enim 1412 qui illic Romanis numeris exprimitur, Georgius Serviæ Deſpota non fuit. (B) Paulus, qui hic *Brini* ſcribitur, ab aliis *Birini*, ac fors melius legitur.

SERBL. Id quidem concordiam tunc non abrupit: & ſuſpicio, quæ de fide Georgii Deſpotæ oborta fuerat, aut victoriæ lætitia oppreſſit, aut imminente Caramanico bello, quod Amuratem anno 1436 excepit, diſſimulatione, arte Turcis familiari, transmiſſa eſt. At confecto in Aſia bello, anno adhuc eodem, ſuggerente Iſacbego communes illos motus, conſentientesque, quibus ex Europa Hungari, ex Aſia Caramanus Turcos appetebant, non alio incentore ſuſcitari, foverique, quam Georgio Deſpota: nec pacem fore quoad Deſpota utrorumque mediator non deleatur: perſvaſus Amurates, novos rurſus in eum belli apparatus inſtruebat. Id cum ſuboluiſſet deſpotæ, ut imminentem tempeſtatem a provincia averteret, Sultanum per legatum rogare inſtitit, ut Maram filiam, futuram fidei ſuæ certiſſimum pignus, in thori ſociam clementer admitteret: & tunc veriſimilius *Alzekiſar* dotem conſtituit, & Boſnæ alia pernicioſa, ac Hungaris ingrata, quæ antea reculimus, addixit. Oblata tranquillo animo acceptavit Amurates, & per Saraciam pacta ſponſalitia confirmavit, fide data, acceptaque a Deſpota. Nec diu poſt ſeu per Saraciam (A), ſeu per Chalilem (B) Sultani familiarem Adrianopolim ſponſa perducta eſt. Turcorum legatos magna pompa a Georgio exceptos, & filiam in manus regio apparatu conſignatam tradit Ducas: hyeme autem eadem a Joanne VII. Imperatore Semendriam adveniſſe Georgium Philantropænum, qui inſignibus, & honore Deſpotæ Georgium exornavit. Qua ipſa occaſione, teſte Leunclavio (C) oranti Georgio Sultanus poteſtatem fecit Semendriæ meliori ordine ſtruendæ, muniendæque.

XVI. Novæ bellorum ab Amurate.

Georgius Deſpota nuptiis filiæ, bellum avertit anno 1436.

Coronatur in Deſpotam.

BULG. Ne ſic quidem optatæ pacis fructibus ſocero diu frui licuit, Padulacho homine chriſtianis perinfenſo aurem Amuratis identidem vellicante, & generoſum principis animum, ex Serviæ occupatione, ſpebus maximis implente. Svadebat, ut Semendriæ caſtrum, ac divites auri, argentique fodinas a Socero Deſpota recipiat: Semendriam, quoties collubuerit, ſecurum in Hungariam tranſitum aperturam: fodinas, tantum auri argentique ſuffecturas, quantum edomandæ, ac ſubjugum mittendæ Hungariæ univerſæ ſatis ſit. Hæc cum non ſurda aure transmiſiſſet belli, gloriæque avidus princeps, ſocerum per legatos ad ultro faciendam Semendriæ deditionem hortari inſtitit: cui Georgius parte altera, nunc attenuatum principatum excuſabat, poſtea datam fidem, ac demum ſanctum affinitatis vinculum in memoriam revocabat. Quibus quidem etſi nihil profecturum ſe probe noſſet; tempus tamen, modumque hac mora injecta obtinuit, anona, aliisque ad bellum ſuſtinendum, extrahendumque neceſſariis, complendi, muniendique præſidia. Ita dum ultro citroque legati

XVII. Amurates petit Semendriam a Georgio Socero.

(A) Ut vult Ducas. (B) Ut vult Orbinus. (C) In Pandectis.

legati commeant, Semendria Gregorio filio, ac Thomæ Cantacuzeno commendata (A) ipſe in Hungariam cum Lazaro filio auxilia quæſiturus conceſſit (B). Murates ubi legationibus ſe nihil effecturum ſenſit, vaſto cum exercitu anno 1438 Serviam ingreſſus, Semendriam arcte circumſedit, ac menſium trium acerrima oppugnatione fatigavit, quam demum deficiente anona Gregorius cum Cantacuzeno, pacti prius ſibi, ac omnibus ſalutem libertatemque, dedidere. Ferunt Stephanum Gregorii fratrem tota hac expeditione Amurati comitem adfuiſſe: quos ambos ubi in poteſtate habuit, adverſus *Novoberdo* progreſſus, urbem eam, *Borch*, *Oſtrovizam*, *Ravanizam*, ac *Scopiam* cum tota fere Servia occupavit, & victor cum Stephano, ac Gregorio Adrianopolim rediit: unde Didymoticum, ac denique in Cappadociam ſub cuſtodia futuros transpoſuit, nec diu poſt improborum adductus conſiliis, nihil reis principibus, crudelis affinis, contra datam fidem, exemplo a Græcis accepto, ferro candente viſum, oculosque exemit. Albertus Rex, qui exeunte anno trigeſimo ſeptimo Sigismundo ſucceſſerat, licet a Deſpota, Hungariæque proceribus primum periculi, tum obſidionis Semendriæ admonitus, multis precibus ad ferendam opem fatigaretur: turbatis tamen domi rebus ex Bohemorum cum Polonis adverſum ſe conſpiratione, auxilio tam promto, quam præſens Deſpotæ poſcebat neceſſitas, adeſſe non potuit. At cum anno ſequente trigeſimo nono Belgrado etiam vim maximam admoviſſet Amurates, hoc denique periculo excitus (C) ad ſolvendam obſidione urbem properavit. Nec tamen ultra Danubii, ac Tibiſci confluentes pervenit, ſive, quod a Statario milite minus inſtructus operiendum cenſeret, ſive, quod ventris profluvio correptus, quem ducebat exercitus, magnam partem langueret; ſeu, quod virili defenſione Joannis Auranæ Prioris, Matkonis Talocii Bani Sclavoniæ fratris Amurates a mœnibus magna clade depulſus fuiſſet, ſeu denique procerum nonnullorum perfidiam inſidiasque veritus, re nulla tentata caſtris abſceſſit: in reditu ventris profluvio, quod nimio peponum eſu contraxerat, VI. Kal. Novembris abſumtus, ſpem omnem auxiliorum Deſpotæ præcidit (D).

Georgius belli metu in Hungariam tranſit.

Amurates Semendriam occupat a. 1438 & excoecat filios Georgii Gregorium, ac Stephanum.

Idem anno 1439 Belgradum irrito conatu oppugnat.

XVIII. Itineratio Deſpotæ Georgii, & reditus in Hungariam anno 1441. ad Uladislaum I. Regem.

SERBL. Deſpota per Hungariam diu, ac fruſtra divagatus, in oriente, Italiæque partibus auxilia quærere decrevit: quare inito per Dalmatiam itinere navi Veneta *Antibarim* in urbem ſuam adpulit

(A) Orbin. Laonicus. Hungari *Stephanum* ſolum ad defenſionem relictum ferunt: Hanivaldus utrumque Stephanum, & Gregorium. MS. Servicum neutrum; quos Hadrianopoli apud ſororem tunc moratos ait. (B) Ducas. Hiſt. Turc. MS. Servicum. (C) Ducas. Timon novæ Hung. c. 18. Annales Turc. Veranzii & Hanivaldi. MS. Servicum. (D) Cl. Pray, & alii.

adpulit (A): ibi cum ab Amurate insidias sibi strui sensit, & neque *Buduæ*, quo se subduxerat tutus videretur, ad Raguſæos veteres amicos concessit, quorum fide, consilioque confirmatus, post electum anno 1440 Uladislaum ex Polonis Hungariæ Regem, navigio Raguſæorum Scardonam promotus, inde terrestri itinere ad Uladislaum anno 1441 pervenit, clementissimeque acceptus est. Hoc ergo rege spes rursum melior Despotæ oborta est. Nec longa mora interjecta bellum Turcis illatum est, atque in Romaniam usque multiplici eorum clade (B) est productum. Quibus Hungarorum progressibus, & Caramani in Asia motibus adductus denique Murates est ad exquirenda, amplectendaque pacis consilia. Qua subscripta, ac Sacramento firmata, Despota in integrum restitutus, urbes æque, ac filios anno 1443 recepit.

Bellum sacrum Amurati infertur, & Georgius, Pace facta, restituitur provinciis, an. 1443.

BULG. Non placuit ea pax Italiæ principibus, qui ex Amuratis in Asiam adversus Caramanum profectione, atque ex classe sua, quæ reditum ad Callipolim, copiisque Asianis in Europam commeatum præstruxisse ferebatur; Turcorum ex Europa excidium facile animo præceperant, cum eorum vires isthic maximæ non essent. Quare cum spebus iisdem Hungarorum quoque animos implessent, juramenti religione, quod unum obstabat, solutos in belli societatem pertrahunt: & progrediebantur illi trajecto ad Orsavam Danubio, per Bulgariam, velut ad certam, incruentamque victoriam. At contra ceciderunt omnia: nam proditione, navigioque Genuensium mercatorum Amurates, & copiæ ad Bosphorum Thracicum supra Constantinopolim transvectæ, ad Varnam, quo Rex Uladislaus omnem fere Bulgariam victoriis emensus, processerat, brevi se in conspectum dederunt. Nec diu otiosæ substiterunt acies, cum utrosque pugnandi ardor urgeret. Conflictu ergo commisso, victoria prope jam in christianorum manibus fuit, ala utraque Turcici equitatus Asiana quidem a Joanne Hunyade, Europæa vero a Gara, seu nigro Michaele (C) loco mota, inque effusam fugam versa, ac magnam partem concisa. Non stabat jam in acie aliud, præter militem prætorianum cum Sultano, facile & ipsi debellandi, si victorum ducum adventum præstolari, ut oportuerat, noviſſent. Sed, qui Regi juveni ad latus aderant, seu æmulatione gloriæ, invidiave abrepti, seu consilio præcipiti usi, Regem magnanimum, ut & ipse in prætorianos impetum faceret, persvaserant. In quos dum præceps irruit, ac militis potius, quam Ducis officio fungitur, sublimique equo invectus hostium aciem proterit, viam ferro sibi aperit, & obvios cædit fortissime;

XIX. Pax cum Amurate rupta, & clades Uladislai regis ad Varnam an. 1444.

(A) Orbinus. MS. Servicum. (B) Privilegium Nicolai de Ujlak apud Cl. Steph. Kaprinai Hung. Diplom. p. 371. (C) Hist. Turc. Hanivaldi. Annales Hung.

ſucciſis equi pedum nervis prolapſus, ab accurrente Georgio juniore ex familia Alpa, Cozir Hizir dicto, magno chriſtianæ rei damno cæſus eſt; & ſublato mox, alto ex hoſtili capite regio conclamata a Turcis victoria, chriſtianorum acies, cum pridem laxaſſet ordines, Regis cæde perturbata, perculſaque in fugam præcipitem, præter ſpem omnem conjecta eſt. Victis ſociis, cum nec duces victores, qui interim redierant, animos, ſpiritusque martiales reddere poſſent, & ipſi demum fuga ſalutem quæſierunt. Deſpotam licet magnopere invitatum, a ſocietate armorum retinuit vel ſacramenti religio, vel, quod verius eſt, recens expertæ calamitatis memoria, ac futurorum malorum ſeu metus, ſeu præſagus animus. Abfuit autem magno Regis juvenis, totiusque rei chriſtianæ detrimento, cum is eſſet, qui, & longa bellorum cum Turcis experientia, præceps aggreſſionis conſilium diſſipare, & fervorem Regis authoritate ſua temperare potuit. Quare magnam apud Chriſtianos ex abſentia invidiam ſibi conflavit: & multo majorem, poſtquam innotuit, Scanderbegum cum lectiſſimo fortiſſimoque milite Regi in auxilium properantem, a tranſitu impeditum fuiſſe: & Amuratem de Hungarorum adventu ejus indicio edoctum. Nec invidiam ſatis diluit, quanquam ære multo profuſo Hungaricum exercitum hac ipſa expeditione adjuviſſet. Sed Scanderbegus populatione illata Georgii provinciæ, injuriam acerbe ultus eſt (A).

Deſpota a prælio abfuit, & Scanderbegum tranſitu prohibuit non ſine gravi nota.

SERBL. Poſt tot diſturbia, otium aliquod nactus Deſpota ad filium Lazarum connubio ſociandum adjecit animum. Anno ergo 1447 (B) menſe Octobri ex Peloponeſi urbe Glarenza evocata eſt in Serviam Thomæ Palæologi Deſpotæ filia, ac Lazaro a patre in regiminis conſortium accepto (C) collocata eſt. Inter quæ nuptiarum ſolemnia Joannes Imperator Deſpotæ honore Lazarum inſignivit, *propter patrem virum humaniſſimum*, ut ait Phranzes.

Anno 1447 Lazarus a Georgio patre in conſortium regiminis aſſumitur, fit Deſpota, & init connubium.

XX. Deſpotæ Georgii diſſidia cum Hunyade.

BULG. Otium, quo fruebatur Deſpota, turbavit Joannes Hunyades anno 1448. Is poſt Uladislai cædem Hungariæ gubernator pro Ladislao poſthumo conſtitutus, regni negotiis in ordinem digeſtis, cladem Varnenſem Turcis reddere toto animo geſtiebat; atque, ut pares hoſti vires opponeret, præter Scanderbegum, & Valachiæ Vajvodam, Deſpotam quoque multis argumentis in armorum ſocietatem pertrahere conniſus eſt. Apud quem, cum nihil verbis proficeret, erant enim multa, quæ Deſpotam ab ea ſocietate avocabant, ſcilicet: pax jurata Amurati, incertus belli eventus, vires fœderatorum impares, & cum in faucibus Turcorum eſſet, proximum, quod ſibi imminebat excidium (D). Addunt alii interceſſiſſe hic quoque offenſionem pridem

(A) Marinus Barletius. (B) Phranzes. MS. Servicum. (C) Idem & Phranzes L. 2. (D) MS. Servicum.

dem a Despota conceptam, ob arces quasdam Despoti, quas Hunyades detinebat; tum & invidiam prærepti sibi Hungariæ gubernii: denique, quod dignitate, stirpeque sua minus duceret sub Hunyadis signis militiam agere. Sed, quæcunque Despotam causæ ab armorum fœdere tunc retinuerint, Hunyades repulsam tulit ægerrime, objectaque ingratitudine, minas addidit, & ad extremum traducto in Rassiam exercitu, hanc hostilem in modum populatus, campum denique Cossovo ingressus est, illic Scanderbegi adventum præstolaturus. Verum cum Amurates celerius, quam sperari potuit, in campo eodem se stitisset, & Scanderbegi conjunctionem prævertit, & Hunyadem ad prælium adegit (A). Acerrimum id fuisse, & in diem alterum productum convenit omnibus. Ex quo, quanquam majore illata, quam accepta clade, cum denique Hunyades numero victus, fuga clancularia se subduxisset, a Rasciis in profugos intentis interceptus, atque ad Despotam perductus, sub custodia aliquanto tempore in arce Semendriæ asservatus est. Conjuratio, quam cum custodibus adversus Despotam illic contexuisse fertur Hunyades, detecta in tempore omnibus vita stetit, Hunyadi soli nihil apud Despotam nocuit: tantum apud eum principem valuit beneficiorum olim ob Hunyade acceptorum recordatio! Cum quo, postquam pacta iniit, de reddendis, quas detinebat arcibus, & connubio Mathiæ filii cum Elisabetha Despotæ nepte, genita ex Catharina, & Ulrico Celejæ Comite, receptis arcibus, castellisque, & accepto in pacis, pactorumque obsidem Ladislao primogenito Hunyadis, Hunyadem liberum, nec sine honore magno Hungariæ restituit. At omnia hæc officia, sponsiones irritatum Hunyadis animum non placarunt: ergo copiis de novo collectis infestus rursum in Rasciam irrupit, ubi captis, everssisque castellis pluribus, cum furori aliquamdiu indulsisset, obvios demum habuit legatos Georgii cum Ladislao filio, quem regio more, donisque amplissimis Despota excoluerat. Illi, cum supplices Despotæ nomine præteritorum oblivionem, pacem, amicitiamque exorarent, filiumque patri salvum redderent, accedentibus etiam Procerum Hungarorum precibus emollitus Hunyades, pacem denique, amicitiamque animo sincero cum Despota renovavit, auxiliaque, exposcente quovis periculo, pollicitus, in Hungariam retro cessit anno 1449 (B).

Hunyadis bellum in Amuratem.

Et clades in Cossovo. Intercipitur, & dimittitur a Despota Hunyades.

Hostilitas Hunyadis, & pax cum Despota.

SERBL. Ad annum eundem narrat Orbinus Amuratem bellum Georgio molitum propterea (C), quod Hunyadem juratum Turco-

(A) Gestum est id die 18. Octobris ex MS. Servico. Consentit Thuroczius, qui festum Sancti Lucæ cladi assignat. (B) Orbinus, & Thuroczy P. 4. (C) Thuroczy ad annum 1451.

Turcorum hoſtem e manibus emiſiſſet. Igitur *Chryſonicum* (A) urbem ad Maravam fluvium in ruinis jacentem, Ferisbegus e ruderibus excitare juſſit, ex qua, velut armorum ſede, terris Georgii impoſterum inſultaret. De quo novo molimine Turcorum vix edoctus Hunyades adfuit continuo, trajectoque ad Semendriam Danubio, & adjuncto militiæ ſuæ Raſciorum equitatu levi, Ferisbegum munitioni intentum aggreſſus, profligatis, quas objecerat copiis, vivum cepit, everſisque novis operibus, Vidinum pari excidio involuit, & inde redux in Raſciam, donatis Deſpotæ captivis victor Belgradum rediit. At, idem hoc bellum in Ferisbegum, manuſcriptum noſtrum rectius ad Mahometis imperium, & in annum 1455 differt, atque tunc in Kruſevaz ab Hunyade captum tradit.

Amurates nihil molitur in Deſpotam ob dimiſſum Hunyadem.

BULG. Turcorum quoque annales (B) non produnt Amuratem, ob dimiſſum Hunyadem, hoſtile aliquid in Georgium molitum: imo, ubi per vicinos Begos certior factus eſt, Semendriæ in Deſpotæ poteſtate degere, illis acriter contendentibus, ut hominem Turcis exitialem, vel vinctum detineri, vel ſupplicio afficiendum præberi imperaret: ferunt hoc nobile, & magno principe dignum reſponſum eddiſſe: æternæ id nomini ſuo ceſſurum ignominiæ; ſi chriſtiano principi terris ſuis, populoque ſpoliato; duram adeo provinciam injungeret, quam, nec ipſe imperare, nec ille honeſte exequi poſſet. Quare ſe ipſi auctorem nunquam fore, ut virum fortem, & communibus religionis ſacris ſecum conjunctum, nec male de ſe meritum prodat, atque ex fuga feſſum aſylo excludat, captum detineat, aut enecandum præbeat. Optare ſe vero magis, ut libertati reſtitutus Hunyades, pugnæ ſibi, victoriæque novum campum aperiat, qua miles ſuus rurſum gloria, ac ſpoliis locupletetur. Ita tunc alius a ſeipſo barbarus princeps, raro exemplo, decorum, honeſtumque utili præpoſuit: & nihil porro moleſtiarum vita ſuperſtite Deſpotæ faceſſivit, quam denique anno 1450, aut ſequentis principio, pio clauſit, tradito Mahometi II. ſceptro.

Moritur Amurat II. anno 1450 vel ſequentis principio.

XXI. Succedit Mahometes II. ficta ejus clementia.

SERBL. Mahometes II. in aditu gubernii clementiæ exempla nonnulla edidit, ac ſpe meliore Chriſtianos omnes complevit. Nam Bulgariæ, Valachiæque legatos, qui auſpicatum regimen gratulaturi advenerant, benigne audiit. Deſpotæ vero pari veneratione officia eadem per legatum exhibenti, & fœdera olim cum patre ſuo pacta confirmavit, & votis ejus, optantis Maram filiam patris viduam, morem geſſit, magnificeque donatam, excultamque, in ædes paternas

(A) Thuroczio *Kruſevaz*. (B) Veranzy, & Hanivald. Annales Turc.

ternas reduci juſſit, aſſignatis inſuper in finibus Serviæ locis, agrisque nobilibus, ex quorum cenſu vitam pro dignitate agere poſſet (A).

BULG. At quanquam ab imperii exordio meliora ſponderet omnia, mox tamen expectationem fefellit univerſorum, hoſtis chriſtianorum acerrimus, & patre longe ferocior, immaniorque. Nam intra luſtra duo, & Conſtantinopoleos imperio, & Serviæ Deſpotis, & denique Raſciæ, Boſnæque Regibus ultimum excidium attulit. Primum ejus annum bellum Caramanicum exercuit. Ex quo redux, cum ad Callipolim claſſe chriſtianorum præſtructum ſibi in Europam tranſitum intelligeret, traductis in Bythiniam copiis, paterno exemplo ad Bosphorum Thracicum, paulo ſupra Conſtantinopolim, copias in Europam trajecit, erectisque ibi opere novo ad freti utrumque latus caſtellis geminis, ſecurum deinceps commeatum Aſiam inter, ac Europam ſibi, ſuisque præſtitit: Conſtantinopolim hac parte, velut fræno injecto, mari etiam ab auxiliis excluſit, nec prædari ex arcibus illis cohærentem Conſtantinopoli plagam deſtitit, donec omnia ad auguſtæ urbis obſidionem comparavit (B).

Erat ſummus Chriſtianorum hoſtis.

Ad Conſtantinopoleos obſidium omnia comparat.

SERBL. Deplorat Phranzes (C), Mahomete cuncta ad urbis excidium apparante, neminem Chriſtianorum principum, quanquam multis precibus, ac internunciis a Conſtantino Imperatore fatigarentur, urbi graviſſime periclitanti, in tempore adfuiſſe. Spopondiſſe quidem Hunyadem ſe venturum auxilio, ſi Meſembria, aut Selybria pro armorum ſede donum daretur: nec tamen, neſcio, quo fato impeditum adfuiſſe, quanquam decreta ipſi ab auguſto Meſembria fuerit, & conflato jam bello, bulla aurea, Phranzis ipſius manu exarata per Georgium Cyprium ſit transmiſſa. Ab Hungaria etiam adveniſſe legatos urbe jam undique arcte preſſa, ac bellum etiam Mahometi denunciaſſe, niſi a negotio urbi fœderatæ faceſſendo ceſſaret: ſed cum minæ inermes eſſent, nullusque Hungarorum exercitus ſe oſtenderet, legati ſpe optima lactati, detenti ſunt, dum denique urbs in manus venit: tunc vero non ſine contemtu dimiſſi ſunt, hoc dicto: irent jam, & renunciarent Hungaris captam urbem: in arbitrio eſſe, pacem colere, an bellum experiri mallent. *Serbliæ* autem dat crimini Phranzes, quod, cum utrumque adhuc commode poſſet, nec milite, nec ære ſubſidiario ſubvenerit. *Deſpotam* carpit, quod pacis conciliator Mahometem inter, ac Hungaros fuiſſet: & cum opibus, ac milite Mahometem adjuverit, viſus ſit potius urbis interitu lætari. At immerito accuſantur Serbli, quaſi vero plus Mahometi, quam

Examinantur Phranzis querelæ contra principes Chriſtianos.

Et refelluntur.

(B) Ducas c. 33. Phranzes L. 3. Annales Turc. & MS. Servicum.
(B) Iidem. (C) Phranzes L. 3. c. 20.

tunc coram Mahometem de abſceſſu Deſpotæ, Serviorum apparatibus, & ſpe auxiliorum edocuit.

SERBL. Ducas memorat Deſpotæ auxilio adveniſſe Hungaros, & ſuperato Iſtro, agris *Ternovo* circumjectis populationem intuliſſe, contractoque cum Turcis prælio, victores, ac ſpoliis divites rediſſe. Addit Mahometem irarum plenum Philippopoli Sophiam caſtra promoviſſe, ibique relicto exercitu cum XX. peditum lectiſſimorum millibus in Serviam irrupiſſe: &, cum neminem obvium nactus fuiſſet, *Senderoviam* tentaſſe, quam velut, opportuniſſimam armorum in Hungaros ſedem, animo concupiverat. Verum ea fruſtra appetita abſceſſiſſe: atqu., cum nec arcis alterius oppugnatio ex voto cederet, oppidum ſubjectum deditione, pactisque juratis occupaſſe; violato tamen ſacramento captiva virorum quatuor millia inde abduxiſſe. Hiſtoricus noſter, nec Semendriæ oppugnatæ, nec prælii Hungarici ad hunc annum meminit: *Oſtrovizam* tamen cum arcibus circumpoſitis in manus Mahometis veniſſe affirmat. Ad annum ſequentem, prælium fortaſſe illud, quod ex Duca narravimus ab Hunyade feliciter in Turcos geſtum; pauculis his verbis inſinuat: *Cepit Jankul, Ferisbegum* (A) *in Cruſevzo.* Quod ſi ita; non Amurat, ſed Mahometes fuit, qui armorum ſedem illic conſtituere, ad certiorem Deſpotæ everſionem decreverat. His adjungit Hiſtoricus noſter anno eodem 1455 *Novoberde*, *arces Sitnizenſes*, *Pristen*, *Bihor*, multaque alia caſtella in manus Mahometis veniſſe, abductis in captivitatem plurimis, peremtisque. Poſt hæc præludia, conſentiunt omnes Mahometem anno 1456 valido cum exercitu ad oppugnandum Belgradum acceſſiſſe: ſed heroica Joannis Hunyadis fortitudine, & Capiſtrani pietate, maxima ſuorum clade, acceptoque in femore vulnere, a ſubrutis mœnibus repulſum die vigeſima ſecunda Julii abſceſſiſſe, maximoque in beneficio collocaſſe, quod victores Hungari nec fugientis veſtigia preſſerint, nec occupatis montium faucibus, ſuos a reditu in Thraciam excluſerint, aut eos ingreſſos deleverint. Sed ampliſſimæ iſtius victoriæ, ſicut fructus nullus fuit: ita lætitiam ejus corrupit contracta ex immenſis fatigiis valetudo, ac mors ipſa, quæ denique fortiſſimum Chriſti athletam Hunyadem die XI. Auguſti Semlini proſtravit (B). Luctum auxit mors beati Joannis Capiſtrani, quam, altero abinde menſe Illokini die 23 Octobris (C), ſancte oppetiit, comes Hunyadis laborum, ac præmiorum in cœlis individuus.

Mahometes Semendriam tentat conatu irrito.

Complures Serviæ urbes occupat anno 1455.

Anno 1456 Belgrado per Hunyadem rejicitur.

Anno eodem moritur Hunyades, & paulo poſt B. Capiſtranus.

BULG.

(A) MS. Servicum. (B) Conſtat ex epiſtola Capiſtrani die 17 Auguſti ad Calliſtum III. Papam data. (C) Eraſmus Frölich in Genealogia Sunekiorum ſpecimine 2.

BULG. Poſt acciſas ad Belgradum Mahometis vires, non diu Viennæ moratus Deſpota Georgius, menſe Septembri, ut videtur, ineunte, in Syrmium malo fato deſcenderat: ibi dum ſecurus in urbe ſua *Kupinik* non longe a Savo flumine agit; repente ab armato Michaele Szilágyio Macsvæ, ac Belgradi Bano obruitur, defendebat ſe Deſpota, nec dabat, quoad arma verſare potuit, poſt vulnus autem, amputatis duobus manus dextræ digitis, exceptum, interceptus, captivus Belgradum abductus eſt: unde, non niſi auro maximo profuſo ſolutus, Semendriam tandem ſubiit. Quid diſſidiorum inter utrumque, quove principio interceſſerit, accipe: Michael Szilágyius præfecturam Belgradi recens ab exceſſu Hunyadis nactus, in parte Hungarica ex adverſo Semendriæ arcem moliri, munireque cum fratre Ladislao cœperat. Opus, cum Serblianis minime probaretur, ferunt mandato Deſpotæ inſidias utrique ſtructas. Ergo, dum opus reviſunt, circumventi a Serblis, cum ſe dare nollent. Ladislaus quidem conciſus eſt, Michael effugit, opus omne ſolo equatum eſt. Sed, nec ea Serblorum in Szilágyios hoſtilitas, nec Michaelis vindicta adverſus Deſpotam opportuna rei chriſtianæ accidit in tanta Turcorum vicinia, qui, non tam fortitudine ſua; quam noſtris diſſidiis creverunt ſemper, creſcuntque. Nec ſolo hoc diſſidio turbatio inter Chriſtianos principes concluſa fuit. Nam, cum anno eodem Rex juvenis Ladislaus cum Ulrico Celejæ comite regni gubernatore menſe Novembri Belgradum inviſit, in urbe eadem, ac prope in conſpectu Regis, Ladislaus Hunyades, Joannis filius cum Szilágyio, cæterisque conjuratis Ulricum Celejæ Comitem, Deſpotæ generum, Hungariæ gubernatorem, Regique propinquo ſanguinis nexu conjunctum aggreſſus die X. Novembris (A), feſto Martini Papæ proſtravit. Tantum tunc invaluerat, quidvis audendi licentia!

XXIII. Georgii Deſpotæ diſſidia cum Michaele Szilágyio capitur Deſpotes, & dimittitur.

Origo diſſidiorum.

Cædes Ulrici Celejæ Comitis an. 1456.

BULG. Cædem hanc Manuſcriptum noſtrum calculo Græco, ſuoque (B) ad annum 1457 retulit: qui idem plurium principum morte fatalis exſtitit: nam quarto anni menſe, hoc eſt 24 Decembris Georgius Cantacuzenus Deſpotæ noſtri affinis mortali hac vita exceſſit, quem menſe, ut poſtea dicam, Januario, ipſe Deſpota Georgius nonagenario major, ſequutus eſt. Is ergo, ſive ex vulnere, quod perpetuo cruore diffluebat, nullaque arte coaluit, ſive ſenio, & animi dolore, curisque confectus poſt ſuperata adverſa plurima, in urbe Semendriæ vitam finiit, humo conditus Kriavaricæ (C). Anno eodem, die 3 May Helena Cantacuzena (D), conjux Deſpotæ Geor-

Mors Georgii Deſpotæ ejusque conjugis a. 1457.

(A) P. Eraſm. Frölich ponit 9 Novembris. (B) Serbli enim cum Græcis anni principium a Septembri ducunt, & annis mundi in computu utuntur. (C) Orbin. (D) MS. Serv. Phranzes 2 Maji ponit, qui & Irenem vocat, vultque filiam, fuiſſe Matthæi neptem, Joannis Cantacuz. Imperatoris.

gii in Rudnik ultimum diem clausit. Ladislaus autem Hunyades, cædem Comiti Ulrico illatam, Budæ Martio mense capitis supplicio luit contra juratam a Rege fidem, impunitatemque. Denique ipse Rex Ladislaus, vindicante, ut multi putarunt, Deo perjurium, dum maxime nuptiarum solemnia Pragæ apparat, die 23 Novembris, anno nostro vulgari 1457 incertum, morbo, an veneno sublatus est?

Orbini sententia de Georgii testamento.

BULG. Orbinus narrat Georgium Despotam supremis testamenti tabulis gubernium provinciarum, ac filiorum Stephani Gregorii, ac Lazari, Helenæ conjugi detulisse. Lazarum vero, materni gubernii, fratrumque consortii impatientem, porrecto matri in lactuca veneno, principatum uni sibi asseruisse. Phranzes addit (A) die fere, ac hora eadem, qua Helena mater sublata est Gregorium cæcum primogonitum, cum, Mara sorore Amuratis, vidua, & Thoma Cantacuzeno avunculo, convasatis, quoscunque poterant, thesauris, opibusque, ad Mahometem se fuga subduxisse, quod vitæ suæ ab uxore Lazari Helenæ Palæologa ejusque fratre, metuerent. A Mahomete in clientelam susceptos, & parte aliqua regionis donatos tradit Orbinus. At Stephanus cæcus, alter Lazari frater his sapientior, continuo a patris excessu in Dalmatiam transiit, & Saverstiam Angelinam ex Catholica Arianitarum familia conjugio sibi copulavit, vitamque deinceps in Syrmio exegit (B).

Refellitur.

SERBL. Quod Orbinus cum Spandugino de testamento Georgii Despotæ, & translato in conjugem provinciarum gubernio narrat, nisi tabulæ ipsæ, quæ narrationem confirment, aliquando in medium producantur, apud me fidem non obtinet. Nam manuscriptum nostrum diserte perhibet a patre vivo, valenteque, neglectis senioribus filiis, quos cæcitas gubernio ineptos fecerat, Lazarum in regiminis consortium assumtum, decennio ipso cum patre Despotæ honore, ac titulo provinciis præfuisse. Nec veri speciem habet mentem hanc in extremis mutasse, atque deturbato ad communem cæterorum fratrum condicionem Lazaro, ultro novum dissidiis domesticis semen jecisse. At indicatam a Phranze post matris decessum fugam Maræ, ac fratris Gregorii, quia & manuscriptum nostrum confirmat, vero proximum videtur, dissidia quædam in familia oborta fuisse, & vel Lazari conjugem cum fratre suo Palæologo, vel Lazarum quoque de matre maleficio, sublata apud Maram, & Gregorium suspicione laborasse. An vero profugi iidem, postquam in clientelam a Mahomete sunt recepti, querelis, suspicionibusque suis apud Sultanum invidiam, bellumque fratri conflaverint, aut idem suopte ingenio arma corripuerit,

XXIV. Lazarus Despota Patri succedit.

(A) Phranzes L. 3. c. 22. (B) MS. Servicum.

rit, ego quidem in dubio relinquo. Id ex manuſcripto noſtro liquet Deſpotam Lazarum a patris morte *Kovinum* arcem occupaſſe, ac viciſſim ad *Tamiſch* clade affectum fuiſſe: ſed aucto ad XX. auri ſaterum millia tributo Mahometem deliniviſſe, & a proſequendo bello avertiſſe (A). Pacatis adhunc modum domi rebus opinione citius Lazarus finem imperio poſuit: nam cum regnaſſet poſt fata patris anno uno (B) menſis Januarii XXI, quæ in diem Veneris incidit anno 1458 deceſſit nullo hærede maſculo poſt ſe relicto. Ex Palæologa enim conjuge tres duntaxat filias ſuſceperat; *Mariam*, quæ patre ſuperſtite Stephano, Boſnæ principi, Thomæ Regis filio nuptui tradita eſt: *Irenem* præterea, & *Milizam*, quæ variam deinceps cum matre fortunam expertæ ſunt.

Lazarus moritur anno 1458 nulla maſcula prole relicta.

BULG. A deceſſu Lazari Helena Palæologa Lazari vidua in provinciæ gubernio manſit: nec ſine turbis gravibus, ac repetitis, ſi Orbino credimus. Primos illi motus concivit Lazari frater Gregorius cæcus (C): at hoc feliciter debellato, Hungarorum armis defenſa aliquamdiu ſubſtitit. Alteras in eam turbas Raſſiani commoverunt. Illi muliebre imperium peroſi, cum Stirps Georgii ad manum non eſſet, Michaelem, fratrem Mechmetis Beglerbegi Tureorum in Europa (D), quem, velut cognatum Lazarus aliquamdiu apud ſe tenuerat, Ducem Semendriæ, Serbliæque crearunt. Sed hunc blanditiis captum, cum Helena in arcem evocaſſet, dolo circumventum, captivum in Hungariam deportari juſſit. Vix hoc periculo liberata fuit Helena, cum Mahometes Sultanus (E) Michaelis fratrem Mechmetem Europæ Beglerbegum in Serbliam immiſit ad *Torobum*, totamque, ſi fieri poſſit, provinciam occupandam, Helenæ autem, ac liberis ſedes alias, ſtationemque aſſignandam. Sed hæc conſilia, conatusque progreſſu caruere; nec enim, præter *Periſterin* (F), tunc in Mechmetis manus venit quidquam. Feſſa inter has infeſtationes Helena, & majorum periculorum metu victa, ſponte denique, ac ultro Regi Boſnæ Thomæ pro Stephano principe genere ſuo Semendria, ac reliquo principatu deceſſit: at, quem nec iſte diu ſuſtinuit Sultano maximis viribus invadente Serviam, & cum Semendria univerſam ſubjugum mittente anno 1459. Ea Semendriæ, Serviæque præceps jactura magnam impoſterum invidiam Thomæ Boſnæ, Raſciæque Regi apud Mathiam Hungariæ Regem, aliosque Chriſtianos conflavit, ut colloquio ſequente dicemus. Ita Servia, ac Raſſia, poſtquam ſub quatuor Deſpotarum dominatu inde ab anno 1374 varia, & plerumque afflicta

Lazaro Helena conjux ſuccedit.

Turbatum eius regimen bello Turcico.

Cedit genero provinciam Stephano Boſnenſi.

Hanc Mahometes anno 1459 ſubigit.

(A) Orbinus, Laonicus, Chalcocondylas. (B) MS. Servicum. (C) Orbinus. (D) Orbinus, & Laonicus. (E) Phranzes L. 3. c. 22. (F) Idem, quo loco *Periſterin* nomine *Priſtinam* intelligit.

afflicta fortuna utcunque ſubſtitit, anno 1459 everſa Deſpotarum dignitate, dominioque, tota in Turcorum poteſtatem conceſſit, mox etiam Boſnæ, Raſciæque Regum ruinas poſt ſe tractura.

SERBL. Inter tam crebras chriſtianorum clades, aſſiduasque adverſum Turcam colluctationes, ipſaque Imperiorum Bulgariæ, Conſtantinopoleos, ac Serviæ excidia, mirum ſane eſt neminem Romanorum Pontificum poſt Gregorium XI. quidquam pro ſalute chriſtianorum principum, adverſus Turcorum tyrannidem ſuſcepiſſe, egiſſeque.

XXV. Pontificum Romanorum ſtudia pro Oriente, & Serbia.

BULG. Ut pernicioſum ſemper ſchiſma fuit; ita conflictante cum eodem etiam Romana Eccleſia ex electione Petri de Luna contra Urbanum VI. cum ſtudia quoque principum in factiones, ac bella civilia diviſa forent, vix quidquam ſalutare foris geri potuit, conatibus fere cunctis Pontificum ad mala domeſtica componenda averſis. Perduravit funeſtum id ſchiſma ab anno 1378 ad Martini V. tempora, ipſumque adeo annum 1417. Cæterum his etiam, licet turbatiſſimis Eccleſiæ ſuæ, regnorumque occidentalium temporibus, non defuerunt penitus patris communis officio Pontifices. Urbanus VI., quo ſedente malum erupit, anno Pontificatus XI. vulgato brevi Apoſtolico Venetos, ac Ferrarienſes ad ſacrum bellum adverſus Turcos excivit: ſed expeditio, erepto humanis Pontifice, adhæſit. Succeſſor Bonifacius IX., ut minora prætream, Sigismundum Hungariæ Regem, Burgundos, Gallosque in fœdus colligavit, atque ad ſalutem communem Regnorum, quorum caſum deploras, commovit, atque ad Nicopolim 1396 Turcis oppoſuit. Idem pro Emanuele Conſtantinopolitano crucem per Daniam, Sveciam, Germaniamque prædicari juſſit. Ad ejusdem auguſti preces adverſus Tamirchanum, Bajazetis victorem, extrema omnia minitantem, ni Tartarorum copiæ per Helleſpontum in Europam traducantur; Innocentius VII. anno Chriſti 1404 regna utriusque Siciliæ, Hungariam, aliaque ad ſacrum bellum excitavit. Gregorius XII. literis conſimilibus univerſos Chriſti fideles ad vires Sigismundo Hungarorum regi ſociandas invitavit. Atque cum electione Alexandri V., & hoc demortuo ſubſtitutione Joannis XXIII. ſchiſma exereviſſet, nihil ſalutare, ſive pro Orientis unione, ſeu pro defenſione ſuſcipi potuit. At electione *Martini V.* ſedato utcunque malo, idem Pontifex anno 1422 Hoſpitalarios ſancti Joannis, Venetos, Genuenſes, ac Philippum Mediolani Ducem ad auxilia Emanueli ferenda ſolicitavit, atque unionem Eccleſiarum tam neceſſarium ſaluti noſtrum omnium ardenter promovit. Qui poſt Martinum V. anno 1431 ad Eccleſiæ thronum provectus eſt *Eugenius IV*, quæ, quantaque pro Orientalium nationum unione Ferariæ, ac Florentiæ in generali concilio egerit, notius eſt, quam, ut multis commemorem. Is pro Chriſtiano oriente, adverſus Turcos, conſervando lapidem omnem movit, opesque Eccleſiæ exhauſit. Is Uladislaum Hungariæ Regem,

ſacris

ſacris copiis adjutum, ut anno 1443 Amurati II. bellum inferret: & mox ſolutis etiam juratæ pacis pactis, ut renovaret, impulit; & mare Ægeum, ac Propontidem claſſibus conſtravit. Sed clades anno 1444 paucorum temeritate ad Varnam accepta, res, ac ſpes ipſas chriſtianorum evertit. Tandem, quidquid etiam deinceps per Joannem Hunyadem egregie pro ſalute cumprimis veſtra geſtum eſt, *Nicolai V.*, & *Calliſti III.* piis hortatibus, ſtudiisque debetur, & in acceptis eſt referendum, qui cruce ſignatorum auxiliis, vires Hungarorum fulcire non deſtiterunt. Commemorari hæc ſtrictim, ut zelum, geſtaque Romanorum antiſtitum pro ſervando chriſtiano Oriente, licet maximam partem a Sacris Romanis diviſo, uno velut ſub conſpectu collecta repræſentarem. At miſſis his, experiamur, quo affectu idem Eugenius IV. Georgium Serviæ Deſpotam, principem infortunatum, ejusque infortunia ſit complexus, & quam nihil diligentiæ omiſerit, ad exulem principatui ſuo reſtituendum?

Inquiritur in Eugenii IV. P. Studium pro Deſpota Georgio.

SERBL. Georgius Deſpota bis regionibus ſuis Turcorum furore ejectus, præſidium apud Chriſtianos principes imploravit: primum anno 6947 (A) die 27 Auguſti in Zentam elapſus, quando Antibarim, & Raguſium adiit: ac inde anno 1441 ad Uladislaum recens electum in Hungariam conceſſit; cujus etiam favore, ac viribus Serviæ eſt reſtitutus. Secundo, cum anno 1454 apud Ladislaum poſthumum adverſus irrumpentem Mahometem auxilium, opemque quæſivit. Pro hoc vero principe, ac Deſpota Eugenium IV. aut egiſſe aliquid, aut infortuniis ejus comiſeratum eſſe ægre inducor, ut credam, quem a Romana ſede ejusque ſacris alieno prorſus fuiſſe animo perſvaſum habeo.

BULG. Unde tibi iſthæc de Georgio Deſpota ſententia? quis de illo talem animo tuo injecit mentem? Si quem legiſti? profer teſtem, aut monumentum, quo hoc comprobes.

Religio Georgii Deſpotæ a variis tradueta, damnataque.

SERBL. Marianus Barletus geſta Scanderbegi complexus, Hungariæque ſcriptores hunc mihi ſenſum ingeſſerunt. Ac Barletus quidem tam atris eum coloribus expinxit: *Non ſine cauſa graviſſima*, inquit ille, *Eugenius IV. Papa vexillum Romanæ Eccleſiæ efferendum in Turcas ad Macedones miſerat* (B). *Nam ex pactionibus inter Hungaros, & Macedones confectis, conjuncturus erat Scanderbegus copias cum Uladislao Poloniæ Rege. Verum, cum per Serviam exercitum duceret, Georgius Deſpota, ut ſuperiore anno indicatum eſt, illi iter impedivit. Quæ perfidia Deſpotæ, & Hungaris immenſos luctus, & rei chriſtianæ miſerandam cladem, & Græcis exitium, & ipſi Georgio demum*

(A) MS. Servicum. Eſt annus Chriſti 1439. (B) Anno ſcilicet 1444.

perniciem attulit, Serviæque. Nec mirum, proſequitur idem, *CUM HÆRESI INFECTUS ESSET: RELIGIONIS AUTEM, ET FIDEI NEGLEGTOR, ET NULLUS FERME DEI CULTUS IN PERNICIOSISSIMO HOMINIS CADERET INGENIO; ÆQUE, ET CHRISTIANORUM PRÆCEPTA, ET MAHOMETI LEGES SPERNEBAT. Semel, cum diu poſt Varnenſe prælium* (A) *nonagenarius ſenex Mahometem fugiens, in Hungariam ad auxilia petenda veniſſet: agenti ſecum de Chriſti fide multa Joanni Capiſtrano reſpondiſſe fertur: LAQUEO CITIUS VITAM FINIRE PERSUADERI SIBI POSSE, QUAM IMBUTAS PATRUM TRADITIONES RELINQUERE: ſicque abiiſſe ex conſpectu iterantem ſæpius: malle ſe a civibus infelicem principem, quam delirum ſenem dici.* Conſentiunt Hungarici ſcriptores: & ex utrisque Raynaldus deſcripſit eadem.

Defenditur. BULG. Hæc eſt ſcriptorum plurium licentia, ut pro affectu optimos etiam principes inſectentur, traducantque, & minus explorata pro certis, compertisque venditent incauto lectori. Teſtes appello omnes, qui hæc legunt: non cohærent; imo elidunt ſe invicem, quæ Barletus de Georgii religione ſcripſit, &, quæ mox idem cum Hungaricis ſcriptoribus, reſponſa Capiſtrano data adnotavit. Barletus, *hæreſi infectum, religionis, & fidei neglectorem, nullius in Deum cultus, chriſtianorum perinde, ac Mahometi dogmatum contemtorem*: primum exhibuit: quem mox ex adverſo, narratione continenti, extreme ritibus avitis addictum deſcribit, ſic que perdite captum majorum placitis, *ut laqueo potius vitam finire, quam a patrum traditionibus deflectere mallet.* Combinet hæc in unum, qui poteſt. Ego vero ſic ſentio: priora illa Barletum affectu Scanderbegi ſui abductum ſcripſiſſe: quem profecto perfidiæ damnare non debuit, ſive Georgius juratæ pacis reverentia, ſive infauſti exitus metu, in fœdus armorum chriſtianorum illa vice non conſenſit, iterque per ditiones ſuas liberum Scanderbego concedendum non putavit, pactisque juratæ cum Turco pacis tenacius inhæſit. Quæ Georgii cunctatio, & invidia hinc conflata Æneæ quoque Sylvio dubiam ejus religionem feciſſe videtur, cum ſic de eo ſcripſit (B): *Georgium fuiſſe grandævum, & dignum veneratione, ſi recta de religione ſenſiſſet: plurimumque fuiſſe in eo ſermonis authoritatem, corporis majeſtatem.* Hungariciautem ſcriptores, vereor, ne colloquium Capiſtrani cum Georgio minus exacte perceperint, ac in ſcripta paulo aliter, quam fuit, retulerint. Sola fidei Romano catholicæ profeſſio, & obedientia erga ſedem apoſtolicam, quam tot ante ipſum Serviæ principes complexi fuerant, ac recens in Florentino Concilio orientis Imperator Joannes Palæologus, & Patriarcha Joſephus cum tanto Anti-

(A) Nempe decennio poſt: hoc eſt, anno 1454. (B) Æneas Sylvius in Europa c. 5.

Antiſtitum numero ſubſcripſerat, &, cui ipſe Georgius Deſpota cum Triballis ſuis acceſſerat, nec a majorum traditionibus abhorrebat, nec notam *deliri ſenis* Georgio pacto ullo inurere potuit. Subit itaque ſuſpicari, Georgium colloquio illo a Capiſtrano ad mutandum etiam avitum ſacrorum ritum bono zelo, fineque ſolicitatum fuiſſe, aut certe Capiſtrani hortamenta in hunc ſenſum accepta eſſe: a qua mutatione, innovationeque, velut oculos ſuorum, animosque offenſura, Georgius tantopere abhorruit. Affirmo hoc fidentius, quo certius perſvaſus ſum *Georgium cum Triballis* Eugenium in Concilio per legatos adiviſſe, & cum Romana Eccleſia fidei concordiam iniviſſe, ac ſancte obſervaſſe, atque idcirco zelum ſedis Apoſtolicæ in ſua commoda provocaſſe.

SERBL. Equidem, ſi tu hoc etiam certis monumentis demonſtres, & ſcriptorum confudis audaciam, & ſenſum, qui apud nos etiam hactenus de Georgio viguit, corrigis: ac denique filium quoque Lazarum, qui decennio cum patre, & anno uno poſt ejus deceſſum Serviam rexit, nec diverſam a patre religionem coluit, obiitque poſtremus Deſpota anno 1458 Eccleſiæ Romanæ vindicaſti. Quo quidem, ſicut error communis noſtræ gentis detegitur: ita via ad promtius expetendam cum Eccleſia Romana unionem, proclivis ſternitur; quam ſcriptores Latini hactenus magis ſalebroſam, difficilioremque effecerunt, dum, ſive abrepti præjudiciis, aut minore uſi diſquiſitione, judicioque, Raſciæ principes univerſos, velut inveteratos Schiſmaticos traducunt, & inſectantur: &, quod eſt indignius, ipſas eorum catholicæ fidei confeſſiones ad ſacrilegam ſimulationem, fictionemque temere traducunt. Age igitur, & Georgii Deſpotæ unionem cum Eccleſia Romana, monumento, ſi quod habes confirma.

BULG. Georgium Deſpotam non tantopere, ac fingitur, a Romanæ Eccleſiæ ſacris, ac unione cum eadem abhorruiſſe, evincunt nuptiæ, quas ipſe conciliavit filiæ quidem Catharinæ cum Ulrico Celejæ Comite ritus Romani principe: & Lazari filii cum Helena Palæologa Thomæ Deſpotæ, principis catholici filia, perinde catholica. Serblorum autem, ac Raſciorum acceſſum ad Florentinum Concilium, eorumque cum Romana Eccleſia in fidei dogmatis conſenſionem, concordiam, unionemque confirmat Eugenius Pontifex teſtis omni exceptione major. Nec clancularíam eam fuiſſe, ſed publicam, atque ad omnium notitiam, liquet ex epiſtola ejusdem Pontificis Florentiæ anno 1442 Kalendis Januarii exarata, qua univerſos Chriſti fideles, & certiores de ea converſione reddit, & argumento ex calamitate præſenti Georgii Deſpotæ, & filiorum ejus Gregorii, ac Stephani ducto, cunctos, ad arma in Turcos corripienda, bellumque inferendum ſolicitat. En illam: incipit: *Poſtquam ad apicem*, paucisque interjectis: *Aſſequuti*, inquit: *fuimus*, *cum videremus non ſolum Græcos, ceterasque ſedes Patriarchales una cum Triballis, Illyriis, Valachis ambobus, Sarmatis*,

A Sacris Romanis non abhorruit.

Cum eædem Serbli Concilii Florentini Sanctionibus acceſſerunt,

matis, utriusque Albaniæ, Iberis, Cholcis, aliisque nationibus, quæ omnes Græcam ſequebantur Eccleſiam: verum & Armenos &c. - - pro cognitione veritatis Evangelicæ ad præſentiam noſtram, & hujus ſacri Ferrarienſis, & Florentini Concilii perveniſſe: ubi factis hinc inde diſputationibus - - demum Spiritu ſancto illuſtrati lumen veritatis catholicæ fidei, & ſacram præfatæ Romanæ Eccleſiæ fidem - - debita reverentia aſſumſerunt, eamque obſervant. Ubi quidem vetuſto *Triballorum* nomine *Serblos, Raſciosque* complexum eſſe Pontificem, & per ſe manifeſtum eſt, & ex uſu ejus temporis Æneas Sylvius nobis interpretatus eſt (A). Quanquam autem ex ſeipſo clarum ſit, gentes illas nec inſciis, nec invitis principibus, neque extra eorum conſortium ad unionem fidei acceſſiſſe, id ipſum tamen ex eadem epiſtola ad liquidum apparet, quam poſt complura Eugenius ſic proſequitur. *Illa Turcorum natio, poſtquam peccatis chriſtianorum exigentibus, tota Aſia occupata, eam quoque partem Europæ, quam Græci incolunt, Thraciam, Macedoniam, Illyricum, Epirum, Bulgariam, Albaniam fere totam, magnamque Sclavoniæ partem* (B): *etiam in parte aquilonari Gothiam, non parvam Ruſſiæ plagam jam dim, ac noviſſime* (C) *dominum DILECTI FILII NOBILIS VIRI GEORGII DESPOTI RASSIÆ cum FILIIS, quos Turcus captivos habet* (D), *auri, atque argenti mineram, ac ſubditos, numero, ut fertur, ducentarum millium animarum, impiæ ſervituti ſubegit, longe immanior effecta eſt. Nam cæteras inter immanitates, dum excurſiones in chriſtianas terras faciunt, hominum, ac animalium præda onuſti redeuntes, ducunt quam plurimos ſimul captivos chriſtianos utriusque ſexus uno fune ligatos, & eos, qui aut longis itineribus, aut infirmitate, aut ſenectute, aut aliis incommodis feſſi ſequi non poſſunt, vel in agris, aut etiam in medio civitatum chriſtianarum, per quas tranſeunt, occidunt, vel lethaliter vulnerant, ibique feris vorandos in chriſtianitatis dedecus relinquunt. Neque his contentus &c. - - ſtatutis temporibus in omnes chriſtianorum provincias ſua ſub ſervitute degentium exactores quosdam transmittit, ex ſingulis chriſtianorum familiis unum ſaltem adoleſcentem baptizatum, & Chriſto dedicatum, qui ad militarem diſciplinam idoneus videatur, & Mahometi ſectam, de ſimu, manibusque lacrymantium matrum extorquent* &c. Deſcripta ad hunc modum vivis coloribus Turcorum in chriſtianos crudelitate: univerſos chriſti fideles ad arma ſacra corripienda, liberandosque miſerrima

Eugenii Papæ ſtudia pro Deſpota, & Servia. Qui Georgium DILECTUM FILIUM appellat.

(A) Æneas Sylvius in Europa: *Dehinc* inquit, *DALMATÆ, quos SLAVOS: ILLYRII, quos BOSNENSES: TRIBALLI ſeu MYSI, quos, tum SERVIOS, tum ROXIANOS vel RASCIANOS: & GETÆ, quos partim VALACHOS, partim TRANSYLVANOS vocant.* (B) *Sclavoniæ* appellationem tunc, & ſæpe antea *Serblorum Dalmatia* ſubiit. (C) Id eſt anno 1439. (D) Erantii *Gregorius*, & *Stephanus*, quos Amurates viſu orbavit.

rima hac ſervitute oppreſſos, hortatur, ac excitat. Hæc autem tanta ſolicitudo Eugenii pro Georgio Deſpota, ſicut *Triballos Servianos*, ita & caput gentis *Georgium* Eccleſiæ Romanæ placitis ſe aſſociaſſe, fidem, obedientiamque Divo Petro, & ſucceſſoribus detuliſſe, facit indubium: quod quidem & *dilecti filii* titulus, quo ibi ornatur *Georgius* plene convincit. Nec aliud a me ſenſerit, quisquis in Eccleſiæ hiſtoria verſatus, & moris Romani, ſtylique conſcius eſt: nec enim, niſi fide conjunctis, ac obedientiam filialem profeſſis, *dilecti filii* titulus a ſedis Apoſtolicæ Præſidibus tributus eſt.

XXVI. Inquiritur, quis Deſpotarum Serviam Romanæ Eccleſiæ confignaverit?

SERBL. Sententiæ tuæ de Georgio ſuffragatur, & pondus addit ſcriptor clariſſimus Hungariæ Diplomaticæ Mathiæ Regis (A). Rerfert is Calliſti III. epiſtolam ad Mathiam exaratam, in qua poſt depromta novo Regi gratulationis officia, regali protectioni, affectu paterno commendat *relictam Deſpoti viduam*, teſtatumque facit, eandem cum principatu ſuo in clientelam Apoſtolicam receptam eſſe: en verba Calliſti (B): *Poſtremo, quamvis neceſſarium non putem, tamen ex corde, & animo commendamus Serenitati tuæ DILECTAM IN CHRISTO FILIAM RELICTAM DESPOTI, EJUSQUE FRATREM, ET TOTUM DOMINIUM ILLUD: ut tua gratia, & humanitate eos foveas, & in cunctis tuearis, ac defendas: quos nos SIMUL CUM DICTO DOMINIO ſub noſtra, & beati Petri protectione ſuſcipi per legatum noſtrum mandavimus.* Ex his enim laudatus ſcriptor intulit (C): *Georgium* Deſpotam *Raſciam*, *Serviam*, *Albaniamque ſuam*, in clientelam ſedis Apoſtolicæ contuliſſe, inquiens: *Moriturus Georgius Deſpota, Raſciam in Pontificis clientelam tranſcripſit, quod Hungari ægerrime tulere, cum ea provincia ſuis ſemper juribus fuerit obnoxia.* Quæ ſane tranſcriptio dubium omne de Georgii cum Eccleſia Romana conjunctione perimit.

Non ipſe Georgius, ſed Lazarus Deſpota Serviam tranſcripſit in clientelam Romanæ Eccleſiæ.

BULG. Ita eſt, res ex meo prorſus ſenſu, & planiſſime confecta foret, ſi Pontifex literis illis reſpexiſſet ad *Georgium Deſpotam*, ejusque viduam. At commendatio illa Calliſti ſcripta XIV. Martii anno 1458 non recte a viro clariſſimo, *Georgio*, ejusque conjugi *Cantacuzenæ* accommodata eſt: utrumque enim jam annus præcedens 1457 humanis ſubduxerat, ut antea dixi. Igitur literis illis, Georgii filius *Lazarus Deſpota*, qui die 21 Januarii 1458 recens obierat, ejusque conjux *vidua Helena Palæologa*, quæ in Raſciæ dominio tunc ſuperſtes agebat, deſignati ſunt: id, quod illuſtrant Calliſti literæ ad Ludovicum Cardinalem (D) anno eodem ſcriptæ, ex qui-

(A) Steph. Kaprinai P. 1. p. 416. (B) Incipit: *Cum graviſſimæ curæ.* (C) Ibidem in notula ſubjecta *M* literæ. (D) Erat Patriarcha Aquilejæ ſedis Apoſtolicæ in oriente legatus, & claſſis præfectus.

bus certius discimus *Lazarum* fuisse, qui *Rasciam* suam, partesque *Albaniæ* clientelæ, ac protectioni sedis Apostolicæ commendavit, sic enim scribit: *Despotus Rasciæ, qui nullo relicto hærede* (A) *mortuus est, terras suas Cardinali sancti Angeli legato nostro pro nobis, & Apostolicæ sedi tradi, & consignari mandavit: & credimus jam eas nominibus prædictis accepit.* Novimus autem certissime *Lazarum* absque masculo descendente decessisse, non vero *Georgium*: iste enim præter Lazarum in throno successorem, reliquit præterea filios *Stephanum*, ac *Gregorium* successores quidem, & hæredes indubios, ac etiamnum superstites, sed, quos Amuratis crudelitas exemtis oculis, provinciæ gubernio sustinendo impares fecerat. Sed, quod rem absolvit, & in plena luce constituit, sunt ipsæ Joannis Carvajallo legati Apostolici, & Cardinalis sancti Angeli, ad Calliſtum Papam literæ. Ut ut vero certissimum sit transcriptionem illam Lazaro postremo Serviæ Despotæ in acceptis referendam esse; factum tamen pium Lazari, patris quoque Georgii pietatem commendat. Nam, ut ambo communi, concordique regimine decennio ipso provincias moderati sunt: ita ex paterna Georgii institutione id etiam profluxisse reor, ut in illis rerum angustiis, periculisque se, suos, suaque universa Lazarus sancto Petro, & protectioni Romanæ sedis devoverit, consecraveritque.

Ex quo certa sit Lazari cum Eccl. Rom. conjunctio.

SERBL. Cum Serbliæ, Rasciæque regna, ut sæpe antea, ita sub ultimo quoque Despota in clientelam sedis Apostolicæ, & Romanorum Pontificum, principum suorum pietate concesserint; nunquam satis mirari possum obstinatas, præjudicatasque illorum opinationes, qui universos fere Rasciæ, Serbliæque principes constanter ab Ecclesia Romana divisos, & nescio, quibus erroribus involutos, alieniſſimosque a sacris, dogmatisque Ecclesiæ Romanæ nobis hactenus effinxerunt; neque adhuc effingere cessant. At, illud etiam a te hic contendo, donatione, oblatione, transcriptioneque illa provinciarum in jus sedis Apostolicæ, quanquam ex pietate profecta, offendisse Lazarum magnopere tam in jura fratrum, filiarumque suarum, quam & in ipsam coronam Hungaricam: ut adeo facile credam factum illud Lazari minus æquo animo accepisse Hungaros.

Ejus transcriptio nullius juribus quæsitis derogabat.

BULG. Quod Lazarus paterna institutione, majorum exemplis, proprio pietatis instinctu, ac sinceræ in Romanam sedem venerationis studio egit; oblatis in tutelam Apostolicam provinciis; nec provinciarum prærogativis, nec legitimæ successioni fratrum, aut filiarum, nec coronæ Hungaricæ juribus præjudicii, aut detrimenti quidquam suapte natura irrogare potuit: cum enim hujus generis oblationes, transcriptionesque non aliud, quam meræ pietatis, ac observantiæ

(A) Subintellige masculo descendente.

vantiæ erga ſedem Apoſtolicam teſtimonia ſint, ac argumenta, tantum abeſt, ut quæſitis cujusquam juribus, regnorum libertati, ac prærogativis detrahant, ut contra potius robur illis, firmitatem, ac majorem ſecuritatem ex patrocinio, tutela, & defenſione Romanæ Eccleſiæ, & ſuffragiis beatorum Apoſtolorum accerſant, ſpondeantque. Quod enim inde accreſcit Romanis Pontificibus, non eſt aliud, quam peculiaris ſolicitudo, obligatioque vigilantiæ ad ſervandam religionis catholicæ integritatem, pacis, jurium, ac prærogativarum regni tuitionem, defenſionemque adverſus quosvis injuſtos turbatores, oppreſſoresque; quæ quidem regnis ipſis, ac principibus ſunt longe utiliſſima. Experta id eſt Hungaria: quam, poſtquam ejectus regno Petrus, ſupremo Cæſaris Henrici III. imperio ſubmiſit, atque id ipſum ſucceſſores aliquot Reges egiſſent; Romani Pontifices, ac nominatim Gregorius (A) non alio argumento, quam, quod a Divo Stephano primo Rege Hungaria beato Petro oblata, traditaque in tutelam fuiſſet, in primæva, avitaque ſua libertate ſuſtinuerunt, conſervaruntque. Atque, ſi quando Pontificum aliqui, ut homines ſumus, piam illam oblationem, ac clientelam, ultra æquos, verosque ſuos limites proferre, eaque in libertatis damnum abuti parabant; novimus etiam conatibus illorum, inceptisque Reges, Regnique ſtatus, ac ordines impune reſtitiſſe (B). Ac hic quidem Calliſtum Pontificem ex Lazari pia donatione, ultra defenſionem, & tutelam Raſciæ, fidei catholicæ in eadem conſervationem, propagationemque, contendiſſe amplius aliquid, ſtatu regni Serviæ, & hæredum plene perſpecto; aut Hungaros conatibus ejus adverſatos eſſe, neſcio, unde, quis affirmare valeat. Certe Orbinus teſtatum nobis reliquit Hungaros præſidio fuiſſe Helenæ Lazari viduæ, atque etiam cum Legato Apoſtolico, quem typi errore *Carafagium* ſcripſit, ejusque ſacro Cruce ſignatorum exercitu vires ſuas conjunxiſſe, unitisque conatibus ad defenſionem, liberationemque Raſciæ, Turcorum tyrannide preſſæ, contendiſſe: quanquam fruſtra, nec ſine maximo Cardinalis legati periculo expeditio illa ſit ſuſcepta, Mahometis potentia nimium quantum prævalente (C).

Imo ad tuenda eadem comparata erat.

Legatus Apoſtolicus cum Hungaris bellum Turcis movet pro Servia.

SERBL. Helena Lazari vidua, poſtquam, ut diximus, Serbliæ poſſeſſione genero Stephano Boſnæ principi deceſſit; in Panoniam primum, ac inde in Boſnam ad Mariam filiam cum theſauris, cæterisque filiabus conceſſit. Iter ejus ulterius Phranzes proſequitur (D), & anno 1461 Anconam adpuliſſe tradit, ubi, poſtquam aliquan-

XXVII. Fata Helenæ Lazari viduæ poſt exceſſum e Serblia.

(A) Gregorii VII. Papæ epiſtolas, in hanc rem ex Raynaldo collectas, vide in Annalibus Cl. Georgii Pray, Regibus Salamone, Geiſa I., & S. Ladislao. (B) Apud eundem: in Andrea III. Venceslao, & Ottone, ac Carolo Regibus. (C) Orbinus p. 342. (D) L. 3. c. 26.

aliquanto tempore cum Thoma Palæologo parente diverſata eſt, Thoma Romam redeunte, ipſa Raguſium ſe recepit anno 1462. Ex quo loco filiarum unam *Miliuam* Leonardo Tocco, Cephaloniæ Comiti Artæ Deſpotæ: *Irenem* vero alteram Joanni Caſtrioto magni Scanderbegi filio Duci ſancti Petri Galatinæ in regno Neapolitano, deſpondit (A). Anno vero 1469 Venetorum Rempublicam adiit, litemque adverſus illos movit, quorum injuria Corcyræ theſauris exuta fuerat: ac denique ſeptima Novembris anno 1474 exul deceſſit, cum paulo ante mortem, ut Græci fere ſolent, veſtem monachicam induiſſet (B). Cujus obitu Deſpotarum Serviæ hiſtoriam concludo.

BULG. Non eſt nobis hoc loco excedendum prius, quam cæterorum quoque Lazari Deſpotæ fratrum, ac ſororum fata, quæ ipſos deinceps exceperunt, ex fide manuſcripti veſtri commemores.

De Gregorio Cæco Lazari fratre: ejusque filiis.

SERBL. Sit plane, ut jubes *Gregorius* cœcus. Deſpotæ Georgii primogenitus (C), poſtquam cum Mara ſorore ad Mahometem confugit, mox monachorum inſtitutum complexus, cum paucos annos ſub *Germani* nomine in conſortio, terrisque ſororis egiſſet, vitam pie clauſit anno 1462. Unde funus in Chilantarium montis Atho cœnobium, cui nomen adſcripſerat, translatum eſt. Quare veriſimilius nec Helenæ Lazari viduæ faceſſivit moleſtiam, licet hoc affirmet Orbinus: nec in Hungariam conceſſit, nec Beatricis illic reginæ ex ſorore neptem Eliſabetham connubio junxit (D). Cœlibem duxiſſe vitam putat Orbinus, datque ei naturales filios *Joannem*, & alios (E). Ego præter Joannem, Vukum quoque, celebrem illum ſub Mathia rege armorum ducem Gregorio patre natum fuiſſe conjicio, tum inde, quod Stephani filius eſſe non potuerit (F), tum & potiſſimum, quod in manuſcripto noſtro conſtanter *Gergurevich*, a patris utique nomine, cognominetur. Cui, quoniam Hungari citra ambages Deſpotæ titulos, honoremque inde a primo in regnum ingreſſu ſemper detulerunt, thoro legitimo ortum fuiſſe non ambigo. Commigrarunt vero trajecto Danubio in Hungariam Joannes, Vukus, & Paulus, ſtirpis ejusdem cum multa Serviorum nobilitate, genteque, cum primum Mahometes Serviam ſub jugum miſit: & delati in agrum Temeſienſem, tractum, quem inſederunt, Ivanopoliam dixerunt a Joanne ductore primo: quo exſtincto, Vukum ſibi Deſpotam præfecerunt; a cujus fatis Pauli filium Joſephum præfuiſſe genti

(A) Orbinus, Spanduginus, Barletus &c. (B) Du Fresne. (C) MS. Servicum. (D) Cum Gregorius obierit anno 1462, & Beatrix multo ſerius, hoc eſt anno 1476 in Hungariam adpulerit; patet Du Fresnii, &, qui ipſi præiverunt error. (E) Orbin. p. 341. (F) Ut infra oſtendam.

genti anno adhuc 1505 tradit Jolincius (A). Inclaruit Vukus jam ante annum 1474, cum ex agro Temeſienſi transgreſſus in hoſticum, arces complures ad Morabum fluvium, partim cepit, partim erexit, quas anno hoc eodem Mahometes ſubvertit (B). Cætera ejus preclare geſta Bonfinius, Iſtvánffius, & Leunclavius cum laude complexi ſunt: quæ in unum collegit author novi Illyrici, qui & Deſpotæ ejusdem deſcendentes deſcripſit (C). Hæc de Gregorio, ejusque filiis Joanne, ac Vuko ſcriptores noſtri, quem Hungarici familiarius *Lupum* vocant. Mara, Amuratis vidua, ac propterea vulgo Zariza dicta, poſtquam comitante fratre Gregorio, in terris, a Mahomete pridem donatis, conſedit, vitæ reliquum in viduitate, quam Deo voverat, prope Ephaita, in urbe Jeſſevo vicina monti Atho, loco pereleganti, multisque ædificiis conſpicuo, quem magnus fluvius Strymon, nunc Strum dictus præterlabitur, cum fratre Gregorio piiſſime exegit, in Turcorum perinde, ac Chriſtianorum amoribus, & veneratione. Fraterno ſpoliata conſortio, Catharinam ſororem, Ulrici Celejæ Comitis viduam, ex Apulia, quo ſe receperat, accerſivit, ſimulque inter ſeveræ pietatis officia peracta vita, Catharina quidem in Koncha, ſupra Strumizam, anno, quem ſcriptor noſter non definit; Mara vero in Koſsniza cœnobio, manu familiarum, luctu magno die XVII. Septembris, anno 1487 tumulo illatæ ſunt (D).

De Mara ſorore, alias Zariza Amuratis vidua.

BULG. Catharina ex Ulrico tres liberos ſuſceperat: *Hermanum*, *Georgium*, & *Eliſabetham*. Hæc in ætate tenera deſponſa primum Joanni Henrici Goritiæ Comitis filio, ſed pactis mox ſolutis, cum promiſſa fuiſſet Hunyadis filio Mathiæ, poſtea Hungariæ regi, ad neutrius thorum pervenit, præventa morte una cum fratribus, ante cædem Ulrici, quæ in annum 1456 incidit. Primo viduitatis anno inclaruit præcipue Catharinæ nomen, cum Celejanæ hæreditatis competitores quatuor ſupra viginti, atque inter hos Fridericum Imperatorem, heroico ſupra ſexum mulier animo, per Vitovezium Equitem Bohemum, Celejænorum principum ſtrenuum armorum ducem, fortiter rejecit, nec antea principatu deceſſit, quam ſuis juribus, & clientum, ac famulorum debitis ex æquo ſatis factum fuit (E).

Item de Catharina ſorore, Ulrici Celejenſis vidua.

SERBL. His duabus ſororibus, ſcriptor Italicus geſtorum Scanderbegi tertiam Eliſabetham nomine adjungit, aliis Milizam dictam, Alexii Spani Nobilis Albanenſis conjugem (F): quam & Jolincius adoptavit. At, hanc prorſus ignorat manuſcriptum noſtrum, finitque

Et de Eliſabetha.

(A) Introductio in Hiſt. Serv. (B) MS. Serv. (C) Tractatio poſterior adjecta Du Fresnio: ubi c. 3. Lupi Deſpotæ filius Joannes: Joannis ex Clara Blagai Paulus, & Jacobus: Jacobi ex Maria Jugovich Joannes, Marcus recenſentur. (D) MS. Servicum. (E) Chron. Celejænſe Frölichii, Hanii, & aliorum. (F) Apud Du Fresne.

Georgii Deſpotæ progeniem filiis tribus, & duabus duntaxat filiabus. Poſt quarum fata expoſita, reliquum eſt, ut de Lazari, ac Gregorii tertio fratre *Stephano Cæco* quædam in medium proferamus. Is, poſtquam a patris morte in Albaniam hæreditatem ſuam emigravit, illic Arianitæ Comneni, Dyrrachii, Aulonis, Cermenici, aliorumque in Dalmatia, & Albania oppidorum principis apprime Catholici, cui Eugenius IV. vexillum Eccleſiæ in Turcos efferendum transmiſerat (A), filiam Saverſtiam Angelinam (B) thoro ſuo copulavit. Unde demum, premente Turcorum potentia, in paternas Syrmii ditiones migravit, ſedemque in urbe *Kupinik* Savo propinqua fixit, multisque calamitatibus ſuperatis, anno demum 1477 vitam beato fine clauſit, tumulo illatus in urbis templo, ſancti Lucæ honoribus conſecrato: a morte odorem ſvaviſſimum exhalans, non filiis modo, ac conjugi, quos ſuperſtites reliquit, ſed univerſis fidelibus opem præbet, qui venerationis cauſa ad ſancta ejus lipſana affluunt: quorum ſolemnis translatio decennio poſt obitum peracta eſt, de qua manuſcriptum noſtrum ad annum 1487 hæc notat: *Anno* 6995 (C) *die XV. Februarii facta eſt translatio reliquiarum ſancti Martyris Deſpotæ Stephani, filii Georgii Deſpotæ, in arcem Kupinik in Syrmio.*

XXVIII. De Stephano Cæco, Lazari fratre, ejusque ſanctimonia.

BULG. Hunc vos in cenſum Martyrum idcirco, niſi fallor, intuliſtis, quod odio Chriſtiani nominis ab impio Amurate oculis ſpoliatus ſit. Eundem vero ego Catholicorum principum numero fidenter adſcribo; qualem certe fuiſſe exiſtimo, ſive illum ex patre Georgio, ſive ex fratre Lazaro Deſpotis, ſive ex *Angelina* Saverſtia conjuge, ſeu denique ex filia Angelina Maria nupta Bonifacio Palæologo montis Ferrati Marchione metiamur (D).

Stephanus aſſeritur Catholicis cum uxore Angelina, & prolibus, quorum dominium fuit in Syrmio.

SERBL. Poſt tot noſtrates Sanctos, Catholicæ Eccleſiæ per te vindicatos, non eſt, cur tibi hic repugnem. Quare cætera, quæ ad filum hiſtoriæ pertinent, proſequamur. Præter Angelinam Mariam, reliquit Stephanus filios duos *Georgium*, & *Joannem*. Nec audiendi ſunt Orbinus, Bonfinius, & Jolincius, qui *Vukum* ſuperaddunt: Is enim, cum apud Mathiam regem jam ante annum 1474 inter duces armorum claruerit, filius Stephani eſſe non potuit, quem compertum eſt non ante annum 1458 nuptias iniiſſe. Ex filiis Stephani Georgius natu major, poſt parentem rerum in Syrmio aliquamdiu potitus eſt: atque hunc ipſum fuiſſe exiſtimo, cui Beatrix Aragonenſis Mathiæ Hungariæ regis conſors Eliſabetham ex ſorore neptem Angil-

Filii Stephani Georgius, & Joannes.

(A) Eugenius IV. L. 12. ep. 199. Raynald. Franc. Philelphus L. 19. (B) MS. Serv. Orbinus, ſed Luccarius Theodoram vocat. (C) Eſt annus Chriſti 1487. (D) Nec præſumi poteſt prolium fuiſſe religio alia a parentum Sanctorum.

Angilberti Balſenſis primi Nardorum in regno Neapolitano Ducis filiam in matrimonio collocavit (A). Qua humanis erepta, cum prolibus careret, dominatum Syrmii viva adhuc matre in fratrem Joannem transtulit: ipſe vero ab Igumeno cœnobii Kucsanenſis Virginis annunciatæ ad Mlavam fluvium, Sdrelo dictum ſiti, qui cauſa eleemoſynæ profectus, huc advenerat, in Monachum attonderi voluit, ac mox in Kupinik accerſito Metropolitano Sophiæ Callevito, in Presbyterum eſt conſecratus: qua occaſione complures per Syrmii regionem ad Diaconatus, aut Sacerdotii gradum ſunt provecti. *Georgius*, in monachatu *Maxim* dictus, vitam pie peregit in cœnobio Kupinik die XVIII. Januarii anno 7024 (B): ſepultura donatus in templo ſancti Lucæ: ubi, & Stephanus pater, & Angelina mater, & Joannes frater primum quietis locum nacti fuerant: quorum omnium incorrupta corpora ſubinde translata in Kruſedol, hodieque viſuntur, teſtanturque fidem ipſorum integram, ac pietatem illibatam. Quapropter Eccleſia Serviana eosdem in album beatorum intulit; colitque *Stephanum* Martyrem ad diem IX. Septembris, *Angelinam* ad XXX. Julii, *Joannem* ad X. Decembris, *Maximum* denique ad XVIII. Januarii, qui emortuales ſingulorum dies fuiſſe videntur.

Georgius transfert Dominium in Joannem.

In cœnobio Maxim dictus.

BULG. Luccarius, & Volateranus *Maximum* ad Archi-Epiſcopale Serviæ faſtigium provectum ferunt. Jolincius res ejus copioſius perſequitur (C). Eo teſte transiit in Valachiam transalpinam, *Radulo* principatum (D) tenente, & in provinciæ illius Metropolitanum conſecratus eſt. *Mihna* vero principe, cum legatione pro eo ſuſcepta, a Rege Hungariæ Uladislao II. pacem non impetraſſet, redux in Syrmium transiit, ac inde obitæ legationis rationes principi ſcripto expoſuit. In Syrmio cum degeret, invitatis ad ſe Stephano Jakſich heroe fortiſſimo, ac filio ejus Marco affinibus ſuis, cœnobium Kruſedol conſtituit, dedicavitque. Peremto autem in prælio Mihna per Jakſichium (E), *Niagul* e Beſſarabarum familia ad principatum provectus, multis precibus a *Maximo* impetravit, & reditum in eparchiam Valachiæ, & neptis ſuæ nuptias. Inſtructis apud Valachos cœnobiis duobus, cum Syrmii deſiderio teneretur, multis donatus muneribus rediit in Kuſedol, ac vitam pio fine clauſit anno 1516. His initiis Kruſedolenſis in Syrmio Archi-Epiſcopatus exortus eſt, qui ob fixam Carlovizii ad Danubium ſedem, vulgo Karlovizenſis audit.

Ex Monacho Archi-Epiſcopus.

Fundat cœnobium Kruſedol in Syrmio.

Obit anno 1516. Initia Kruſedolenſis Archi-Epiſcopatus Græci-Ritus in Syrmio.

SERBL.

(A) Apud Du Fresne. (B) Eſt annus Chriſti 1516. MS. Servicum. (C) Introductio in Hiſt. Serv. (D) Radul ex MS. Servico principatum finiit anno 1508. (E) Succeſſor Mihna ex MS. Serv. anno eodem, aut 1510, ut vult Siglerus, occiſus dolo eſt.

XXIX. Post obitum Joannis 1503, Syrmii partes gubernat Helena conjux.

SERBL. Joannes Deſpota, qui Georgio fratri, curas ſæculi abdicanti, in dominatu Syrmii ſucceſſit, Stephani Jakſich, herois fortiſſimi filiam Helenam in thori ſociam adlegit, & ſuperſtite fratre Georgio, Maxim dicto, vivendi finem fecit die X. Decembris anno 1503. A cujus obitu Helena Syrmii dominio præfuit ad annum uſque 1521, quo denique, peremto prius Solimani legato, collectis opibus, ſacris Eccleſiarum vaſis, ſanctorumque exuviis, ac in tutiora deportatis; cum liberis, familia omni, Magnatibus, Nobilibusque, quos in comitatu habuit, Syrmio exceſſit, & ad fratrem Jakſich in Hungariam ex fuga ſe recepit (A). Solimanus poſt occupatum 29 Auguſti Belgradum, exciſis paſſim templis, ac urbibus, plurimisque in captivitatem abductis, in vindictam legati dolo Helenæ cæſi, ferro, & igne per Syrmium barbare graſſatus, ex provincia nobiliſſima, copioſaque, triſtem ſolitudinem fecit (B). An Joannes Deſpota ex Helena prolem maſculam ſuſceperit, ſcriptor noſter diſerte non commemorat. *Mariam*, ejus filiam Ferdinando Frangipanio collocatam fuiſſe teſtantur Volateranus, & Orbinus: Ludovicus Cervarius Helenam e Syrmio *liberos* eduxiſſe ſcribit. Sed, quod hic præterire non debeo, illud eſt: anno 1504 celebrata fuiſſe in campo Rákos rege Uladislao II. generalia Prælatorum, Baronum, Procerum, Nobiliumque regni comitia poſt feſtum Divi Michaelis Archangeli: in quorum decreto, cum ſubſcriptus legatur (C) *Joannes Boriszló, regni Raſciæ Deſpotus*: Eum aliqui Joannis filium patri ſuperſtitem: alii Joannem ex Vuko heroe, ac Deſpota natum fuiſſe conjiciunt, exciſoque ad annum 1521 Syrmio, novas rurſum colonias Serblorum magno numero in agrum Temeſiæ traduxiſſe volunt. Sed conjecturæ hujus examen aliis, quorum magis intereſt relinquo, quemadmodum & cæteram Brankovichiorum genealogiam, quam Paulus Jolincius copioſe deduxit (D).

Syrmio exuitur a Solimano 1521.

Joannes Boriszló Deſpota Raſciæ 1104 conjecturæ de eodem.

COLLO-

(A) Jolincius in *Világosvár* locum ditionis propriæ, ultra Marum flumen tranſiſſe refert, ac inde in Crobatiam. (B) Ludovicus Cervarius. (C) Exſtat Decretum in MS. Heveneſianis T. LXXIII. incipit: *Nos Thomas.* (D) Vide Jolincium.

COLLOQIUUM DUODECIMUM.

DE

STATU REGNI, ET RELIGIONIS SERBLORUM PER BOSNAM, AC PRÆCIPUE SUB DOMINATU REGUM RASCIÆ, BOSNÆQUE AB ANNO MCCCLXXIV. AD MCCCCLXIII.

BULG. Bosnæ regio, ab ingressu Serblorum in Orientis plagas, pars Serbliæ fuit. Ab occasu attingit albam Chrobatiam Verbasso flumine, ac Pino monte: ad meridiem Adriis montibus adnexa Dalmatiæ: in Orientem ad Drinum flumen excurrit, inde Rassiæ contermina: ad Septemtrionem a Sclavonia Savo dividitur: in quem Verbassum, Ussoram, Sprezam, ac Drinum emittit, cum Bosna fluvio, a quo regio nomen traxit. Porrigitur in longum dierum fere XV. pedestri itinere: ubi se tendit latius, octo circiter dierum iter æquat: alibi latitudinem ad dies sex contrahit. Celebratiores ejus urbes exstitere Jarize, Banjaluka, Travnik, Bosna Sarajum, quæ hodieque urbium speciem præferunt. Kresevum, Verbossana, Sutiska, Bobovaz, Cognitium, Foniza, Ussora, Sale, Dobor, multæque aliæ bellorum vicissitudine deformatæ ex munitis arcibus vel urbibus in vicos ignobiles, & rudera desierunt. Regio omnis vallibus æque, ac planitie feraciſſima gaudet: montes, qui crebri occurrunt, auri, argenti, ferri, & chalybis mineris sunt prædivites: nec Mercurii, Sulfuris, Auripigmenti, & Salinarum Petræarum vestigia desunt: putei ipsi locis compluribus ex aquis recoctis salem candidissimum in copia præbent: ut nihil dicam de aquis acidis, & thermis saluberrimis, quæ copiose scaturiunt, ferventque. Sed, quod facile præcipuum est, gens tota armis ferendis, belloque aptissima est. I. Topographia Bosnæ.

SERBL. Provincia hæc, cum esset una e majoribus, præfectos Bani potestate a Serblis Regibus sortita est: quorum nomina vetustas obruit. Stetit sub dominatu Serviæ a VII. ad X. Sæculum, Ejus Bani compendio collecti.

quo denique a Tiſimiro deſcivit: ſed a filio ejus ſecundo genito *Creſſimiro I.* recepta eſt, & poſt Cidomiri, albæ Chrobatiæ Bani, avi materni deceſſum, albæ Chrobatiæ unita eſt, manſitque ſub *Stephano* filio, & *Legeth* notho, *Vukmiro*, & hujus fratre *Creſſimiro II*, ejusque filio *Stephano* (A). Hæc tot annis avulſa provincia, Bodino demum rege, Serviæ reſtituta eſt Sæculo XI., perſtititque in ſucceſſorum regum fide ſub Banis *Stephano*, *Tvartko*, & *Borizio*, qui pugnantibus Archi-Zupanis cum veteri regum Stirpe, utrorumque dominio ſe ſubduxit.

Diſquiritur, quis Banus primum, & quo rege, in clientelam Hungariæ conceſſerit?

BULG. An Borizius, vel ſucceſſor Culinus in Hungariæ regum clientelam commigraverit, & quo rege, annoque? anceps adhuc, nec definitum a ſcriptoribus video. Qui jam Bela II. id eveniſſe contendunt (B), moventur vel ex Ramæ titulo, quem hic primus ſibi inſcripſiſſe fertur: vel ex inſtrumento (C), quo Bela II. in Strigonienſi conventu de communi regni conſenſu Boſnæ Ducatum in filium Ladislaum transtuliſſe legitur. At, cum Ramæ titulus, nec a Bela ſit conſtanter uſurpatus, nec ad ſucceſſores proximos transierit; nec Rama pars Boſnæ, ſed Serviæ maritimæ fuerit; nec primitus, ſed paulo ſerius ſua ſub nuncupatione ex Hungarorum more complexa ſit Boſnam; nihil ſane proferunt, quod convincat eandem jam in Belæ II. clientelam conceſſiſſe: etſi fortaſſis ab Uroſio Archi-Zupano potentiſſimo, Belæ II. genero, cum filia Helena, jus in Boſnam tranſcriptum ſit (D). Nec inſtrumentum allegatum vim facit, ut credamus ceſſionem a Bela, filio factam in effectum iviſſe, præcipue, cum Cinami teſtimonio conſtet (E), *Borizium* principem liberum, & abſoluti juris fuiſſe, nullique obnoxium etiam Geiſa II. Belæ filio regnante, nulloque veſtigio deprehendatur ſeu Geiſam, ſeu ſucceſſores Stephanum III, Ladislaum, & Stephanum IV. juris aliquid in Boſnam exercuiſſe. Fuiſſe Bonzium Geiſæ fœdere conjunctum ex Cinamo indubium eſt (F): nam paranti obſidere Braniſobam auxiliares copias præbuit anno 1154: &, poſtquam ipſe anno eodem Chelmi principatus partem Deſſæ detraxit, ac Boſnæ adjunxit,

---

(A) Diocleates, Du Fresne. (B) Farlatus T. 4. Illyrici Sacri. Author Spicilegii de regno Boſnæ. Tractatio poſterior novi Illyrici ſub regibus Hungariæ adjecta Du Fresnio novæ edit. Poſon. p. 153. (C) Apud Cl. Bern. Pez Cod. Dipl. Hiſt. epiſt. p. 355. (D) Tractatio poſterior novi Illyrici p. 153. (E) Cinamus L. 3. in bello Manuelis, & Geiſæ, ſic de Manuele Auguſto ſcribit: *Cum autem ad Savum perveniſſet, ad aliud inde flumen deflexit Drinam nomine, quod in ſuperiori loco ſe ſe effundens, Boſtnam a reliqua Servia diſterminat. Boſtna haud ſubeſt Archi-Zupani imperio: ſed gens eſt, quæ, & ſuos mores, & ſuum agnoſcit principem.* (F) L. 3.

xit, terrasque Raguſæorum ad Brenum evaſtavit; anno ſequente Hungarorum viciſſim auxiliis adjutus Raguſam, quanquam irrito conatu oppugnavit (A). Quare potius ſentio, ante Belam III. Hungariæ regum neminem jure firmo ne Ramam quidem, & multo minus Boſnam tenuiſſe: hanc vero non niſi extremis Belæ III. annis, poſt ſubductam ab Andrea Belæ filio, Culino, ac Raſſiæ principibus Chulmiam (B) in clientelam Hungariæ conceſſiſſe anno 1197. Eo autem jam tempore Culinum Banum, Boſnamque in ſuprema regum Hungariæ poteſtate exſtitiſſe, planiſſime diſcimus ex *Vulcani*, Serviæ regis literis anno 1199 datis ad Innocentium III. Pontificem (C), in quibus ſub finem Boſnam, terris regis Hungariæ diſerte accenſet, teſtaturque Culinum Patarenæ hæreſis accuſatum, a rege Hungariæ Romam adire juſſum ad fidei ſuæ rationes Innocentio reddendas. Certe ante hunc annum, qui ultimus Belæ III., & primus Emerici fuit, nemo Regum Boſnæ titulos ſibi inſcripſit (D).

Noſtra Sententia expenditur.

SERBL. Devoluta in clientelam Hungarorum Boſna, primum quidem veteri inſtituto per Banos *Culinum*, tum, & filium ejus; *Zibisclaum* item, *Ninoslaum*, ac *Stephanum Cotromanum*, hujus victorem: dehinc vero Ducatus titulo gubernata eſt per Regios principes *Belam juniorem* Stephani V. Regis fratrem, cujus memoria exſtat in pacificationis tabulis Ottocarum Bohemum inter, ac Stephanum anno 1271 erectis. Quo fatis functo Ducatus *Ladislao Chuno*, Stephani filio obtigit: qui regnum anno 1272 adeptus, Boſnæ, ac Machvæ Ducatum in matrem *Eliſabetham* transtulit: quem denique extincto absque hærede maſculo Ladislao Chuno anno 1290 ſibi vindicavit *Stephanus rex Serviæ*, ſive jure veteri, ſeu novo cognationis proximæ cum Ladislao. At, quæ Stephano rege Serbliæ acceſſerat, Boſnæ, Machvæque provincia, amiſſa rurſum eſt ab *Uroſio Milutino* Stephani filio. Eripuit eam, & Hungariæ rurſum inſeruit anno 1302 *Paulus de Brebirio* Stepconis, Dalmatiæ, Chrabatiæque Bani filius, & ſucceſſor, ac *Banorum*, *Dominorumque* Boſnæ ſeriem rurſum inſtauravit, atque ad *Mladinum* filium transmiſit. Poſt quem a provincialibus dejectum, electus eſt *Stephanus* cognomento *Linus*: tum *Tvartkus* Banus, qui magna Raſciæ parte ſibi aſſerta, primus *Raſciæ*, *Boſnæque Regis* titulos in Boſnam invexit. Hunc deinceps ſequuti ſunt Reges *Dabiſia*, & poſt hunc *Tvartkus Scurus* cum rivalibus *Oſtoja Chriſtich*, &

Boſnæ Bani poſt Culinum: & varia regiminis forma, ac titulorum.

(A) Orbinus. (B) Exſtat victoriæ Chulmenſis memoria in monumentis Jadertinis apud Lucium ad annum 1198. (C) Vulcani epiſtolam retuli Colloquio V. (D) Emericus rex Hung. in data ad Innoc. III. anno 1204 *Boſnæ* titulum diſerte ſibi inſcripſit: *Venerabili in Chriſto Patri Innocentio D. G. S. R. E. Summo Pont. Henricus eadem D. G. Hungariæ, Dalmatiæ, Boſnæ, Serviæque Rex.* Epiſtolam refert Farlatus T. 4. p. 46.

& *Stephano Jablanovich*: quibus morte præreptis regnum universum ad *Scurum* rediit: eo vero absque liberis extincto, procerum suffragiis delectus est Rex *Stephanus Tomasius*, cui Stephanus filius paricida successit: in quo series *Rasciæ, Bosnæque Regum* absolvitur. Descriptis ad hunc modum Banorum, Principum, ac Regum Bosnæ nominibus, interest jam cognoscere, quis regni, & religionis status, condicioque fuerit Tvartko I. Rege ad regni usque excidium. Nec repugnabo tamen, si antiquiora quoque tempora levi manu adumbres.

II. Status religionis Bosnæ a principio catholicus.

BULG. Ut Bosna a principio pars Serbliæ fuit; ita communem cum Serblis religionem coluit. Bosnensis Episcopatus initia ad epocham concilii Delmitani pertinent, quo, & Dioclienſi Metropolitæ apprime catholico, est suppositus (A): quem inter ejusdem suffraganeos post sæcula aliquot Alexander II. anno 1062 recensuit (B). Nec facies religionis mutata est, seu Chrobatis, seu iterum Serblis Bosnæ jus dicentibus, nisi postquam mutuis conflictibus, & Archi-Zupanorum potentia Stirps regum Serbliæ vetus afflicta, & prope dejecta est, ac Bosnæ Banus *Borizius* ab utrisque pariter descivit, suique juris princeps evasit: tunc enim, & ritus Græcus Bosnensium, purus antea, Cerularii erroribus inquinari cepit vehementius, & Patarena hæresis, elusa principum vigilantia, inter armorum strepitus, Bano Borizio in longe alia intento, ex vicina Bulgaria in Serbliam, Bosnamque instar latentis veneni infusa, ritum utrumque corrupit, serpsitque dum ad summum evaderet. Turbata est Borizio principe, & hierarchia Bosnensis Ecclesiæ; cum enim antehac semper Dioclenis, & Antibarensibus Metropolitanis paruissent Bosnæ Episcopi, circa annum 1141 in jus, ac potestatem Andreæ Ragusæi antistitis concesserunt (C), quos, quanquam novo Brevi Pontificio anno 1191 Gaudius, Spalatensis Archi-Episcopus nactus fuisset suffraganeos (D): Culinus tamen per ea tempora Bosnæ Banus cum provinciæ Episcopo, Ragusæo Metropolitæ constantius adhæsit, quæ res non leves inter utrumque Metropol. tam motus concivit; dum denique. Andreas rex Hungariæ anno 1207 suffragio etiam, ac diplomate suo, Spalatino Bosnensem Ecclesiam jure metropolitico moderandam addixit. Nec firma tamen, aut longa fuit Spalatini possessio: nam post annum 1247 detracta huic provincia, Benedicto, Colocensi Archi-Episcopo ab Innocentio IV. decreta est, ob plurima, tam propria, quam antecessoris Hugrini in Ecclesiam Bosnensem merita, labores, ac certamina adversus Patarenos susceptа: cujus potestati in præsens tempus subest. Cuncta hæc, quanquam temporibus discreta, in unam paginam collegi,

Borizio Bano Bosnam errores pervadunt.

Bosnæ Episcopus varios Metropolitas successive habuit.

(A) Vide Colloquium I. ad finem. (B) Vide Colloquium IV. (C) Orbinus. Sed Luccarius id refert ad annum 1143 uterque vero eam mutationem adscribit. (D) Farlatus T. 4. Illyr. Sacri.

collegi, ut, ſicut natura conjuncta ſunt; ita nec locis disjungantur, unoque ſub conſpectu verſentur.

SERBL. Cum Borizio principe Patarena peſtis Boſnam ſubierit, vereor, ne & religio ejus, antea catholica, peſte eadem affla-ta ſit.

BULG. In avito religionis cultu perſtitiſſe Borizium non ex vano fortaſſis inde concludam, quod cum jurium Eccleſiæ ſuæ catholicæ Boſnenſis tenaciſſimus eſſet; eadem etiam armis adverſus Raguſæos propugnanda ſuſceperit (A). Quodque in bello eodem clade notabili affectus a Bobalo, quem Raguſæi oppoſuerant, pacem cum eisdem, Trebinenſis Epiſcopi catholici opera uſus, conſtituit (B). Tam arctum enim cum Epiſcopis nexum, vix in Patareno principe invenias. Quare non neglectui religionis, nec oſcitantiæ Borizii, aut corruptelæ, ſed temporum turbatiſſimorum iniquitati, fallaciæ præterea, artibus, ac ſimulationi Patarenorum, ingreſſum hæreſeos in Boſnam adſcribendum cenſeo. Integer ergo, ac purus a labe hæretica rexit, exceſſitque ſub annum 1168 Borizius, Culino ſucceſſore relicto. III. Borizius Catholicus obiit 1168.

SERBL. Principium, quod Culino ſtatuiſti, cum anno mortis ejus 1204 optime congruit: his enim duobus terminis anni ſex, ac triginta, quos regimini ejus aſſignavit Orbinus, planiſſime continentur. Exceſſiſſe autem Culinum anno 1204 infra docebimus (C). Anno 1169 junctis viribus cum Deſſæ filiis, arcta ſibi affinitate colligatis *Radoslavum* veteris regum Stirpis ſurculum, Draginæ filium oppugnavit, ac Zenta ejecit: tum in Raguſæos, expulſi principis, fratrisque Ivaniſii receptores, quod profugos tradere detrectarent, vim, armaque promovit: ſed clade affectus ab iniqua petitione deſtitit (D). Rexit deinceps Boſnam cum Chulmiæ parte in libertate per Borizium quæſita ad annum uſque 1197, quo ipſe cum Raſciis ab Andrea Belæ III. filio juniore, Dalmatiæ, Chrobatiæque Duce in Chulmia victus (E) Hungariæ regum clientelæ ſe denique, ſuaque commiſit. Annum hunc clientelæ Boſnenſis initialem, primumque aſſigno propterea, quod nec Hungaros in Culinum quidquam antea molitos comperio, nec ultra hoc tempus clientela differri poſſit, cujus argumenta, veſtigiaque certiſſima annus 1299 ingerit, ut mox dicemus. Initio, ac ma- Ætas Culini, geſta & religio.

(A) Orbinus ad annum 1154. (B) Idem. (C) Ex epiſtola Emerici regis Hung. ad Innocentium III. data anno 1204. (D) Orbinus, Luccarius, vide dicta Colloquio V. (Lucius ex monumentis Jadertinis *anno* 1198 6 *May*, *eum poſt Chulmiæ*, *Raſciæque victoriam ad Jadertinos victos rediret*.

gna regiminis parte nemo facile hoc principe religioſior, aut ſedi Apoſtolicæ amplius affici viſus eſt. Quare Theobaldus legatus Apoſtolicus per Dalmatiam, Sclavoniamque (A) Alexandri III. ingens ejus viſendi deſiderium per literas explicuit, atque, cum id per negotia haud poſſet, Alexandri Papæ benedictionem, literasque ad Culinum transmiſit, operamque ſuam ad ſignificanda Pontifici, quæcunque vellet, large obtulit anno 1180 (B). Inſcriptio talis fuit: *Nobili, & potenti viro Culin, Bano Boſſinæ Theobaldus D. G. S. R. E. Subdiaconus, Apoſtolicæ ſedis legatus, cum benedictione, & victoria ſalutem.* A tergo autem: *Culin, magno Bano Boſſinæ.* Et retinuit famam probi catholici Cœleſtino III. Pontifice, cum anno 1191 Bernardum Raguſinum Archi-Epiſcopum, teſtaturus fidem, ac obedientiam filialem Eccleſiæ capiti, cum donis ampliſſimis Romam transmiſit, & *Radogaſtum* Boſnæ Epiſcopum ab eodem conſecrari voluit (C), & anno 1194 templa duo ære ſuo ſtructa, ſacris cærimoniis per eundem luſtrari petiit, largiſſimeque donatum Raguſam remiſit.

Patarena Hæreſis Culini ſerius detecta.

BULG. Erant hæc pietatis larva, non ſincera pietas: nam, cum a longo jam tempore in cute Patarenus eſſet, atque in communem perniciem *Conſtantinum*, & *Miroslaum*, ſororis ſuæ maritum cum ſorore, ac denique *Stephanum* quoque *Nemanem*, generum ſuum, jam ante annum 1174 pertraxiſſet (D): ipſe pro ſolemni ſectæ inſtituto, ſe apprime Catholicum longo artificio ſimulavit. Sed detracta eſt tandem homini perniciosiſſimo larva, detectis impiis ejus erroribus, & pervertendi ſtudiis; ob quæ, cum a rege Hungariæ juſſus fuiſſet Romam adire, fidei ſuæ examen ſubiturus; nova rurſus fraude illuſit Pontifici. Quare Vulcanus, Serblorum rex pio in cognatum Culinum zelo, per literas anno 1199 Romam datas, & fraudem novam, & damna rei chriſtianæ per eum illata nunciavit Pontifici: juvat huc verba ipſa inferre: *Demum*, inquit Vulcanus, *Paternitatem veſtram nolumus latere, quia hæreſis non modica in terra regis Hungariæ, videlicet Boſina pullulare videtur in tantum, quod peccatis noſtris exigentibus ipſe Ban Culinus cum uxore ſua, & cum pluribus conſanguineis ſeductus, plus, quam decem millia chriſtianorum in eandem hæreſim introduxit. Unde rex Hungariæ exacerbatus, illos ad veſtram præſentiam venire compulit, a vobis examinandos. Illi autem ſimulatis litetis redierunt dicentes: a vobis conceſſam ſibi veniam. Unde rogamus, ut regi Hungariæ ſuggeratis, ut eos a regno ſuo evellat, tanquam Zizania a tritico* &c. (E).

SERBL.

(A) *Sclavoniæ* nomine, more Romano, *Serblia* quoque venit. (B) Literas exhibet Raynaldus, & Farlatus T. 4. Illyr. Sac. (C) Orbinus fert conſecratum anno 1171 alii ſerius, apud Farlat. T. 4. (D) Vide dicta, Colloquio V. (E) Literas vide Colloquio V.

SERBL. Advertit hæc Vulcani regis epiſtola animum Innocentii III., atque, cum præterea ex Antiſtite Spalatenſi ſubinde cognoviſſet, expulſis Spalato, Tragurio, aliisque Dalmatiæ urbibus Patarenis, non ſedes ſolum, ac domicilium, ſed & præſidium, patrociniumque a *Culino Bano*, atque ab ipſo etiam *Daniele Epiſcopo* præberi, graviſſimas ad Emericum Hungariæ regem deſtinavit literas V. Idus Octobris anno MCC., quibus exhortatur, ut pro poteſtate, qua in Boſinam pollet, Patarenos finibus ejus expelli jubeat; atque, ſi Culinus Banus mandatis regiis adverſetur, in hunc perinde, ac cæteros bonorum mulctatione, exilioque animadvertat. Danielem vero Epiſcopum ſacris ipſe interdixit, & in Metropolitana Spalatenſi Eccleſia a Bernardo Archi-Epiſcopo interdictum feſtis ſingulis præſente, audienteque populo, ritu ſolemni denunciari præcepit: quæ, ſi ſpatio menſis apud Danielem non proficiant, nec recepti ab eo expellantur Patareni, poteſtatem fecit; eundem honore, & infulis Pontificalibus eruendi, atque in ordinem cogendi.

Corrupte Danielis, Boſnæ Epiſcopi.

Et remedia malo adhibita.

BULG. Hæc cum malo urgenti Pontifex adhibuiſſet remedia, quam ſevera, tam ſalutaria, neceſſariaque: anno demum MCCII. deſtinavit in Boſnam cum auctoritate legati Apoſtolici *Joannem Caſæmarium*, Sacelli Pontificii præfectum, qui zelum, ac operam ſuam paulo prius apud Vulcanum regem in Serblia ſedi Apoſtolicæ probaverat. Is, poſtquam anno eodem plurimos ab hæreſi ad fidem catholicam revocaſſet; anno ſequenti, cum a ſe geſtorum rationem ſcripto redderet; duo capita Pontifici ad ſalutem provinciæ rudis, & ſeductæ peropportuna in medium conſuluit: primum erat, ut Latinum impoſterum Epiſcopum iſthic conſtitueret: deinde, nec unum illum, atque alterum, ſed tres omnino, quatuorve, quod in provincia tam late fuſa, ac tot erroribus, tantaque ruditate involuta, onus paſtorale operoſius longe videretur, quam, ut unius, vel duorum humeris ſuſtineri poſſit: en ipſa Caſæmarii verba: *Noveritis præterea, quod in regno Bani Culini de Boſina, non eſt, niſi unus Epiſcopus, & Epiſcopus mortuus eſt. Si fieri poſſet, QUOD ALIQUIS LATINUS IBI PONERETUR* (A), *& aliqui etiam ibi tres, vel quatuor crearentur novi, non modicum exinde utilitatis acciperet Eccleſia: quia regnum eſt ipſius ad minus dietarum decem, & plus* &c. Quibus rite expenſis non obſcure eruo Danielem ad ſaniora ſe denique recepiſſe, & anno MCCIII. in Epiſcopatu deceſſiſſe.

Joannis legati Apoſt. geſta, & conſilia.

Optat modo unum ſaltem, aut plures Latinos Epiſcopos induci.

SERBL.

(A) Hinc non incongrue colliges, anteceſſores Boſnæ Epiſcopos, Latino ſermone ſacris operatos non fuiſſe, ſed nativo: quos Jacob. Luccarius Annal. Raguſ. L. 2. p. 54. Græci Ritus fuiſſe tradit.

A quo Culinus, & Patareni reducti.

SERBL. Culinum quoque cum Patarenorum Præpositis, ejusdem legati Apostolici opera, meliora edoctos, damnatis erroribus ad frugem rediisse, constat ex jurata professione, quam aspectante, approbanteque Culino, his plane verbis conceperant: *In nomine Dei æterni Creatoris omnium, & humani generis Redemtoris anno ab ipsius incarnatione MCCIII. Domini vero Innocentii Papæ Sexto. Nos Priores illorum hominum, qui hactenus singulariter CHRISTIANI nominis prærogativa vocati sumus, in territorio Bosnæ; omnium vice constituti, pro omnibus, qui supra de nostra societate fraternitatis; in præsentia Domini Joannis de Casamario, Capellani summi Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ in Bosna delegati, præsente Patrono, & Bano Culino Domino Bosnæ, promittimus coram Deo, & sanctis ejus, stare ordinationi, & mandatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tam de vita, & conversatione nostra, quam ipsius obsecundare obedientiæ, & vivere institutis, obligantes nos pro omnibus, qui sunt de nostra societate, & loca nostra cum possessionibus, & rebus omnibus, si aliquo tempore deinceps sectati fuerimus hæreticam pravitatem: imprimis abrenunciamus schismati, & Romanam Ecclesiam matrem nostram, & caput totius unitatis recognoscimus* &c.

BULG. Perfunctus his legatus Apostolicus, & mortuo, ut videtur, Culino Bano, cum filius ejus in Hungariam ad Emericum regem profectus esset anno MCCIV. Ipse quoque cum præcipuis duobus Patarenorum Præpositis, qui capitulis quibusdam a legato propositis subscribere detrectabant, iter ad regem contendit: ubi, quæ acta sunt, quia Regis literæ datæ MCCIV. ad Innocentium diserte explicant; inferendas huc censui: *Venerabili in Christo Patri Innocentio D. G. SS. R. E. summo Pontifici. Henricus eadem D. G. Hung. Dalm. Bosnæ, Serviæque Rex, salutem, & fidelem in omnibus reverentiam* (A). *Cum humilis, & fidelis Sanctitatis vestræ Capellanus Joannes ad præsentiam nostram accedens, duos principaliores ex eis, qui in terra Culini Bani, prout ferebatur, damnatam hæreticorum sectam fovebant, secum adduxisset. Nos inspectis orthodoxæ fidei articulis, ad quos missus fuerat, non susceperunt: eadem capitula sub sigillo nostro contenta,* DOMINO ILLIUS TERRÆ, FILIO SCILICET MEMORATI CULINI, *qui tunc apud nos erat, dedimus, districte præcipientes, ut ea, & alia, si quæ Romana sedes eis de cætero secundum Deum transmittere decreverit, ab omnibus in terra sua faciat inviolabiliter servari. Idem etiam, cum hoc juxta voluntatem nostram admisisset, se in manu nostra, & J. Archi-Episcopi Colocensis subsequenter obligavit: quodsi de cætero supradictos, vel alios homines in hæresi scienter manu tenere, vel defendere in terra sua præsumsisset, mille marchas argenti persolveret: quarum medietas*

IV. Culini filius Bosnæ Dominus post patrem ab an. 1204.

(A) *Bosna*, uti & *Servia* titulos primus inseruisse videtur rex Emericus.

medietas vobis, altera vero fisco nostro medietas obveniet. Illi præterea duo Priores, qui cum præfato Capellano vestro Joanne venerum, tam pro se, quam pro fratribus suis, a quibus missi fuerant, in præsentia nostra jurarunt, quod constitutiones jam a dicto fideli legato vestro promulgatas, & sibi traditas, firmiter observabunt in perpetuum &c.

SERBL. Culino patri in Bosnæ Banatu, dominioque successisse filium anno MCCIV. ex recitata nunc epistola perspicuum videtur. An vero commune cum patre nomen, aut peculiare aliud gesserit, ac, quem usque in annum præfuerit, definitum non invenio. Hunc malis paternis edoctum, & pœnarum severitate in Patarenos decretarum, in officio principis catholici, fideque jurata perstitisse vix dubitari potest. At moderante eo ferunt provinciam gravissimis tumultibus, ac seditionibus exagitatam fuisse (A), eoque Patarenorum furorem evasisse, ut ædem cathedralem simul cum urbe Episcopali *Kressevo* ferro, flammaque deleverint. Ita regio ordinario pastore destituta annos fere quinque, ac triginta cum mansisset, miserrime conflictata est, & hæresis altius caput extulit.

Ejus nomen, & gubernii ætas, in certa: religio catholica.

Patarenorum seditione sedes Episcopalis eversa.

BULG. Andreas, Hungariæ rex, sede vacante, ut esset, qui, velut ex propinquiore specula in salutem provincialium intenderet, Archi-Episcopis Spalati provinciam illam jure Metropolitico gubernandam, quam jam a Romanis Pontificibus acceperant, regio etiam decreto anno 1207 confirmavit. Honorius III. in regionem eandem Episcopo viduatam, ad hæreticos frænandos, & confirmandos catholicos Anconcium legatum anno 1219 destinavit. Et sustinuit ille triennio ipso duram eam provinciam ad annum usque 1222, quo fractus laboribus e vivis migravit. Ibi dum agit, cum hæresim validas egisse radices, & eousque, audacia incredibili, provectam cerneret, ut Papam etiam sibi in Bosna constituerit, cujus Vicarius Galliis insultabat (B); nec spem affulgere absque armorum terrore admoto, apud pervicaces profici posse; auxiliarem operam Colomani, Sclavoniæ Ducis piissimi, & Hugrini Colocensis antistitis ad extremum imploravit. Nec defuere officio invocati: uterque communi studio, qua proposita salutari doctrina, qua ostentatione armorum, tanto malo dissipando utilissimam navarunt operam, ut testantar Pontificiæ literæ (C). Quibus, postquam ab Honorio III. submissi accesserunt Fratres Prædicatores, nobilis accessio ad Christi fidem facta est. Nam eorum zelo Apostolico, anno 1233.

V. Anconicus, Legatus Honorii III. Colomanum, & Hugrinum evocat auxilio in Patarenos.

Dux Nicolaus, opera Patrum Prædicatorum, conversus.

(A) Farlatus T. 4. Illyr. Sacri. (B) Conradus Portuehsis Episc. Legatus Apost. per Gallias in literis ad Archi-Episc. Rotomagensem: apud Matthæum Parisium in Hist. Anglicana ad annum 1223. (C) Ad Hugrinum anno 1225 ad Colomanum 1227 scripsit Honorius III.

Dux Boſnæ Nicolaus hæreſim ejuravit (A), *& in fide orthoxa ſe perſeveraturum ſpopondit, dato filio obſide in manus eorundem: cui vehementius metuebat, ne a rege Hungariæ fœudi jure excueretur. Conſvetudo enim obtinuerat regni, ut Rex Hungariæ hujusmodi jura hæreticis abrogaret, & recens ad fidem converſis, pro voluntate concederet. Cum autem Nicolaus multis argumentis fidem ſuam probaſſet, ſcripſit Gregorius IX. regi quidem, ut ex ea laudata conſvetudine, ſe erga Eum, & filium benigne in fœudo concedendo haberet: Fratribus Prædicatoribus autem, ut filium obſidem Patri reſtituerent, cum de ejus fide nulla eſſet dubitatio.*

Papa Patarenorum extinctus.

SERBL. Inter hæc extincto brevi Pſeudo-Pontifice, ſplendor ille quidem, & Papalis larva evanuit; ſecta tamen, etiam ſplendore illo deſtituta, non magnopere imminuta eſt. Scribit Raynaldus ad annum 1233 in Eccleſiam Boſnenſem, ordinario paſtore vacuam involaſſe quendam Epiſcopum, non modo labe Patarena inquinatum, ſed & ardentiſſimum ſectæ promotorem: quo tamen vigilantia Gregorii IX. ejecto, probum alterum ſuffectum eſſe: & anno 1234 jubente eodem Pontifice in Beſnenſem arenam deſcendiſſe aliquem ex Chartuſienſi ordine probitate, zelo, ac literatura conſpicuum.

VI. Zibisclavi Bani laudes, & geſta.

BULG. Tot inter mala, & in medio nationis pravæ, providit demum diviniſſimum Numen Boſnæ per tempora eadem de *Zibisclavo Bano*: cujus, ſicut ſincera fides, ac religio incorrupta eminebat; ita zelus quoque fuit ardentiſſimus ad populos ſibi ſubjectos, Dei quoque adjungendos Eccleſiæ. Is, quo anno adierit gubernium, an Culini filio, aut Nicolao Duci proxime ſucceſſerit? eſt incompertum. Scriptorum plerique, præteritis *Culini filio*, & *Nicolao Duce*, Culino *Zibisclavum* immediate ſubjiciunt (B). Quem Banum, matremque mulierem religioſam, ac virtutibus conſpicuam, ſicut meritis laudibus extulit Gregorius IX. anno 1236; ita pari favore Apoſtolico utrumque complexus, in protectionem ſuam ſuſcepit. Literæ ad Zibisclavum ſic habent (C): *Te, qui, ſicut lætantes accepimus inter Principes Boſnenſis diœceſis, infectos macula hæreticæ pravitatis, exiſtis, quaſi lilium inter ſpinas, proſequendo ſolicite bene cepta, per quem valeat augmentum chriſtiani nominis authore Domino provenire, ſinceræ charitatis brachiis amplexantes, perſonam tuam, & terram tuam cum bonis omnibus, quæ in præſentia rationabiliter poſſides, ſub Beati Petri protectionem recipimus* &c. Inter Zibisclavi merita, illud facile præcipuum locum obtinet, quod communi ſtudio, parique cum Colomano fervore Epiſcopum Boſnæ reſtitui, flagitaſſe fertur, & inſigni munificentia Baſilicam cathedralem cum domicilio futuris Epiſcopis

Accipitur in protectionem ſedis Apoſtolicæ.

(A) Abrahamus Bzovius. (B) Du Fresne, Farlatus. (C) Reate VI. Idus Auguſti anno X.

ſcopis in *urbe Boſna*, ubi nunc *Saraium* eſt erexit, fundavitque. In quem pium finem, cum & Colomanus bona, a patre Andrea rege accepta, contuliſſet, fidelium adhæc largitiones acceſſiſſent; anno demum 1238, quod bene vertat, novus Epiſcopus Latini Ritus (A) Joannes Theutonicus ex Ordine Prædicatorum eſt inſtitutus, quem ſubinde Eccleſia faſtis Sanctorum adſcripſit.

Fundat Epiſcopatum Colomanno, duce Sclavoniæ.

SERBL. Joannem Boſnæ, Chulmiæque Epiſcopum, a Gregorio IX. electum, docent ejusdem literæ ad Joannem Cumanum Epiſcopum datæ anno 1238 (B). Eidem, a Metropolitæ jurisdictione exemto, legati Apoſtolici munus delatum eſſe, teſtatur Raynaldus ad annum eundem. Eodem porro temporis articulo Capitulum quoque ſancti Petri erectum eſſe, evincit per utrosque ſimul expetita bonorum, ac poſſeſſionum a ſede Apoſtolica confirmatio, quam etiam Gregorius anno Pontificatus XIII. Chriſti 1239 largitus eſt; bonis tamen minime expreſſis. Initia Epiſcopatus tenuia fuiſſe, eruo ex Gregorii Papæ literis apud Raynaldum anno 1238 relatis, quibus Strigonienſem Archi-Epiſcopum, & Suffraganeos exhortatur ad ſublevandam Boſnenſis Eccleſiæ inopiam. At mox eandem opibus creviſſe inſigniter, author eſt Thomas Cantipratenſis (C), Joanni Epiſcopo coævus, ac familiaris, qui in redditibus Epiſcopatus ultra octo marcarum millia (D) exſtitiſſe affirmat. Tam ſubitanea, ac notabilis acceſſio pietati cumprimis Colomanni, & Zibisclavi adſcribi debet. Hæc utcunque plana ſunt. At, qua demum parte provinciæ, quove loco Epiſcopus, Capitulum, ac Eccleſia ſancti Petri conſtructa, fundataque fuerit? lis non mediocris inter ſcriptores vertitur. Eſt, qui cuncta hæc (E) in Sclavonia, Boſnæ contermina, ipſaque urbe *Diaco* per Colomannum defixa velit, nec in Boſna ipſa quærenda putet. At contra alii, & Capitulum, & Epiſcopium a principio Boſnæ illatum volunt, & illic erectam, fundatamque ſancti Petri Eccleſiam: alteram ejusdem tituli ſerius in urbe *Diaco* conſtructam: nec tranſitum de Boſna in hanc ſedem factum, niſi, poſtquam Boſna in Turcorum ditionem venit, hoc eſt, poſt annum 1463. Nec lis in hodiernum fido, firmoque documento diremta eſt.

B. Joannes primus Epiſcopus Boſnæ, ex ord. Prædicatorum, Latinus.

Variæ de Epiſcopatu Boſnenſi ſententiæ.

BULG. Primam ſententiam Ritteri, levibus admodum conjecturis ſubnixam, convellit Gregorius IX. confirmans bona, ac poſſeſſiones Epiſcopo, & Capitulo S. Petri *in Boſna*, en epiſtolam (F): *Grego-*

Fuit erectus in Boſna.

(A) Sigism. Ferrarius in Provin. Hung. FF. Prædicatorum. (B) Laterani VI. Kal. May anno Pontif. XII. (C) L. 2. c. 7. (D) Marca gravis ponderis computu Hungarorum valet fl. 4. Levis ponderis fl. 1. An harum aliquam, & quam, aut aliam intellexerit? incertum. (E) Ritterus in MS. de Epiſcopis Boſnenſibus. (F) De Anno 1239.

Gregorius - Venerabili Fratri Epiſcopo, & dilectis filiis Capitulo ſancti Petri IN BOSNA, ſalutem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt, nos facilem præbere conſenſum, & vota, quæ a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Eapropter chariſſimi in Domino Frater, & filii, veſtris juſtis poſtulationibus inclinati, poſſeſſiones, & alia bona veſtra vobis a chariſſimo in Chriſto filio noſtro Colomanno, rege illuſtri (A), *Duce Sclavoniæ, & aliis Chriſti fidelibus pia devotione collata, ſicut ea omnia juſte, & pacifice obtinetis; vobis, & per vos, Eccleſiæ veſtræ authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.* Datum Laterani VII. Idus Decembris. Pontif. noſtri anno XIII. confirmat, & Farlatus, locumque ſedis Epiſcopalis detegit, dicens (B): *Ferunt, a Zibisclavo novum Epiſcopatum in Boſna fundatum, ſeu potius veterem reſtitutum: ajunt quippe Pontificias ædes conſtruxiſſe in urbe Boſna, ibidem ferme loci, ubi nunc eſt Seralium civitas opulenta, longe a Kreſſevo, antiqua urbe, & ſede Epiſcopali ab hæreticos everſa, in ortum, & meridiem diſtans.* Et, quanquam ſcriptor doctiſſimus traditione potius niti videatur, &, nec monumentum, nec authorem certum in hanc rem appellet: ſententiam tamen ejus confirmant ipſa primorum Epiſcoporum geſta per Boſnam, qui ſine ſede, Eccleſia, domicilioque egiſſe vix poterant. Et perſtitiſſe illos in Boſnæ gremio anno adhuc 1334, convincit electio *Laurentii Epiſcopi* anno eodem per Capitulum Boſnenſe facta, quæ profecto intra ipſius Hungariæ ambitum, finesque locum non habuit, Regibus nominationem Epiſcoporum ſibi vendicantibus. Hæc de Capitulo, & Epiſcopatu in Boſna. Quando autem, & cujus Regis beneficio urbs *Diaco* in manus Boſnenſium Epiſcoporum pervenerit, non eſt unde certo definiam. Author topographiæ magni regni Hungariæ ad Belam IV. id retulit, qui inter 1236, & ſæculi ejusdem ſeptuageſimum regnavit. Is, poſtquam dixiſſet, Boſnenſis Epiſcopi ſedem eſſe *Diacovi*, ſubdit: *crediderim juris hujus originem ad Belæ IV. Regis tempora referendam eſſe, quem, indubitatum mihi eſt, Epiſcopo Boſnenſi Eccleſiam Cathedralem cis Savum erigi mandaſſe.* At monumentum, ex quo id ſibi indubitatum erat, non prodidit, magno eruditorum omnium incommodo, & cruciatu: hoc enim ſolum eſt, quod liti finem poteſt imponere. Cl. Annalium Hungariæ ſcriptor (C) ſerius, nec, niſi poſt Turcorum in Boſnam ingreſſum Boſnenſem Epiſcopatum Diacovam traductum opinatur, hoc eſt, poſt annum 1463 en verba illius: *Qua autem ratione*

De ejus translatione in Diaco.

ne

(A) Colomannus Dux Sclavoniæ, titulos quoque Regis Haliciæ gerebat: & fundos in Boſna a patre Andrea anno 1235 ſibi donum datos tenebat, ut conſtat ex Gregorii IX. epiſtola 189 de anno Pontificatus IX. (B) T. 4. p. 49. (C) Georg. Pray in diſſertatione de S. Ladislao rege: p. 63. not. 1.

ut poſtea, quam Turcæ Boſniam occuparunt, Epiſcopus hic in Hungariam ad Diakovár traductus ſit, & quem in modum Epiſcopus Boſnenſis jurisdictionem ſenſim inter Savum, & Dravum adeptus ſit, quo nunquam pertinuit, non eſt hujus loci diſquirere. Cui tamen, quanquam magna iſtud ſecuritate affirmanti, neſcio, an tuto ſubſcribam: nam anno jam 1435 *Joſephum Epiſcopum* Diaci commoratum, teſtatur Vadingus, Boſna adhuc incolumi, profertque in hanc rem Sigismundi literas, *Diacum ad Joſephum* directas quibus ipſum promerita laude effert, quod præclaros Jacobi Piceni labores per Boſnam pro virili adjuverit (A). Cui idem Joſephus anno 1437 Diaci degens reditum in Boſnæ arenam, quam deſeruerat, perſvaſit. Hoc enim, indicio eſt, Epiſcopos Boſnenſes ante Turcorum dominium, Rege Sigismundo, ac favore ejus ſedem *Diaci* obtinuiſſe. Ex qua ſtatione, cum in Boſnenſem agrum, ob aſſiduos bellorum tumultus, jactationesque, jam Joſephus ipſe curas Apoſtolicas parcius, ac præſens neceſſitas poſcebat, porrigere poſſet, eripuit hanc arenam Diacenſibus Eugenius IV, & anno 1446 in eandem peculiares Boſnæ Epiſcopos, qui intra gremium verſarentur *Stephanum* nempe, ac *Antonium* immiſit: & rex ipſe Boſnæ Thomas anno 1460 complures adhuc regno ſuo induci a Pio II. expetiit. Ex illis itaque temporibus Boſnæ procuratio apud Diacenſes Epiſcopos deſiit, nec rediit cum poſt captam anno 1463 a Mahomete Boſnam, Diacenſes Epiſcopi, quos diligenter Hungariæ reges nominabant, tyrannis Turcorum ab aditu provinciæ excluſiſſet penitus. Quare & Romani Pontifices Boſnenſem deinceps Eccleſiam diu pro vacante habuerunt, ut conſtat ex actis conſiſtorii Romani ad annum 1573, ubi de Antonio Epiſcopo ſic ſcribitur: 26 *Auguſti providit Eccleſiæ Boſnæ argentiæ, quæ provincia Turcarum tyrannide jam annis centum, & amplius opprimitur, & ab eo tempore proprio caruit, Epiſcopo.* Quæ omnia Bonfinius quoque, qui anno 1489, quo Stephanus Criſpus ad infulas Diacenſes provectus eſt, ſcribebat, indicare voluiſſe videtur, cum in deſcriptione Comitatuum hoc modo loquitur (B): *Deinde Valconenſis, in quo Villacum, oppidum non ignobile, Epiſcopatusque Diacenſis, qui maximam Myſiæ* (C) *partem quondam obtinebat, nuperrime Excellentiſſimum Epiſcopum ſortitus eſt, Stephanum Criſpum* (D). Hinc enim facile conficitur, & exordium Diacenſis Eccleſiæ, & Epocham avulſæ ab eadem Boſnæ, paulo altius, ſupraque annum 1463 reponenda eſſe, nec Boſnæ procurationem ad eosdem Epiſcopos rediſſe. Cum autem cum Boſna ſimul Boſnenſia quoque Eccleſiæ Diacenſis bona per Turcos occu- Deſolatione ibidem.

(A) Literas Sigismundi Regis apud ſe exſtitiſſe teſtatur Vadingus. (B) Bonfinius L. 1. (C) *Myſiæ* nomine hic Boſnam intelligit. (D) Stephanus ex cathalogorum fide ſedere cepit 1489.

pata jam essent 1463, nec diu post, ipsa quoque Diacensis Ecclesia barbarorum eorundem incursu destructa fuisset funditus, Uladislaus II. Rex egestati Episcoporum, & Capituli pro temporum angustiis consuluit utcunque per Decretum III. anni 1498. Nam articulo XII. Canonicis capituli sancti Petri Bosnensis, alias Diacensis Episcopatus ad instaurationem Ecclesiæ illius, potestatem fecit per omnem Hungariam testimonio capitulari fungendi (A). Articulo vero LVI. Episcopo ejusdem desolatæ sedis facultatem tribuit, beneficia duo Ecclesiastica conjungendi, cum & proventu destituatur, & castra quædam finitima tueri obligetur (B). Quod onus postremum, sicut solum, ut hinc apparet, feriebat Episcopum; ita nulla pars, portiove Diaci Capitulum spectasse videtur. Sed his per conjecturam dictis, redeamus in viam, & abruptas res Zibisclavi Bani prosequamur.

Privilegiisque Episcoporum, & Capituli desolati.

VII. Tartarorum irruptio a. 1241, & obitus Colomanni, ac Zibisclavi.

SERBL. Zibisclavum Banum, cum Colomano, Sclavoniæ Duce ad Tartarorum irruptionem usque, quæ in annum 1241 incidit, & præter Hungariam, Bosnam quoque, ac Serviam cum omni Illyrico fœdavit; communi studio, parique zelo pro Bosnæ salute excubasse indubium est. Sed irruptio illa Ecclesiæ Bosnensi recens constitutæ cladem gravissimam inflixit. Nam præter Colomannum ex vulnere accepto extinctum, decessisse quoque videtur sub idem tempus Zibisclaus: utroque vero hoc columine sublato, Patarena hæresis rursum altius caput extulit. *Haimus*, qui Ecclesiæ Bosnensi præerat, cum per se nihil posset, sedis Apostolicæ authoritatem adversus licentiam Patarenorum implorandam duxit; & Innocentius IV. qui Gregorio IX. anno 1243 successor datus est, pietatem Belæ IV, & Benedictum Colocensem Antistitem Hugrini successorem, ad negotia afflictæ Bosnensis Ecclesiæ animo complectenda exstimulare aggressus est. Nec pias preces illi frustrati sunt. Nam cum Bela rex parte una severissimis edictis carceris, vinculorum, & exilii in Patarenos ageret, parte altera Benedictus ab Innocentio impetravit (C), ut, quos nulla monita, decreta, preces, prædicatio,

Zelus Belæ IV., & Benedicti Colocensis Archi-Episcopi.

(A) De *Capitulo Bosnensi* statutum est: quod, ex quo ejus Canonici totaliter destructi esse dignoscuntur, pro reformatione Ecclesiæ illius, quæ in honorem S. Petri constructa est, habeant facultatem ubique per totum regnum pro testimonio capitulari ambulare, ad instar Capituli Budensis. (B) Nemo ex Dominis Episcopis (demto solummodo Episcopo Bosnensi, pro tempore constituto) qui duo tantummodo Beneficia Ecclesiastica, non plura, tenor, valeat, ex quo deficit in proventibus, castra quodam finitima necessario tenere habeat. (C) Vide Epist. Innocentii IV. Lugduni datam anno pontif. IV., qui est Christi 1246.

dicatio, argumentave ad ſanam fidem revocare poſſent; liceret in eos ſacram militiam educere, ac experiri, plusne objecto armorum terrore, ſtrepituque ad ſalutem eorum profecturus eſſet? Cui, cum ſacra expeditio proſpere, & ex voto ceſſiſſet, nec ſine magno animarum multarum compendio, anno ſequente 1247, ſive in præmium exhauſtorum a ſe, ac anteceſſore tot laborum, ſive ad majorem Boſnenſium felicitatem, jus metropoliticum, annuente ſede Apoſtolica in ſe, ac ſucceſſores attraxit.

Eccleſia Boſnenſis Colocenſi Metropolitæ ſubmittitur.

BULG. A fatis Zibisclavi, Bani piiſſimi *Ninoslaus*, ſeu *Miroslaus* Boſnæ regimen adeptus, brevi eodem etiam exutus eſt. Nam, cum fœderatus Spalatenſibus, in Tragurinos Belæ regi fidos, obnoxiosque arma vertiſſet, nec a vexandis deſineret, iras Belæ in ſe excivit. Igitur procurata inter Spalatenſes, & Tragurinos pace, pactis ejusdem fœderis diſerte, ac nominatim Ninoslaum Banum rex excluſit anno 1244, immiſſoque in Boſnam exercitu (A), Ninoslaum principatu ejecit, & victoris Stephani Cotromani fidei provinciam regendam commiſit.

VIII. De Ninoslao, & Stepha. Cotromano Banis.

SERBL. Extincto poſt gubernii annos aliquot Cotromano Theutone, principe catholico, Banorum Boſnæ ſeries, aut interrupta eſt penitus, aut in Catromanorum quidem familia continuata eſt (B), quanquam ſplendore non pari Banis prioribus; cum principes ſanguinis Hungarici Boſnam cum Machva Ducis titulo aliquamdiu moderati ſint: e quorum numero fuere *Bela junior*, Belæ IV. regis filius, Stephani V. regis frater; cujus memoria exſtat in pacificationis tabulis cum Ottocaro Bohemo anno 1271 confectis. Bela defuncto, titulus idem tranſiit ad *Ladislaum* Stephani V. filium: qui regnum adeptus Ducatum Boſnæ, ac Machvæ in matrem *Eliſabetham* transtulit: quem denique a fatis Ladislai Chuni anno 1290 *Stephanus Serblorum Rex* piiſſimus occupavit,

De Boſnæ ſtatu ſub Ducibus Regiæ Hungariæ ſtirpis.

Et Stephano, Serviæ Rege.

BULG. Per Ducum Regii ſanguinis tempora, novis rurſum incrementis Patarena hæreſis aucta eſt, ſive, quod Duces ipſi Valdenſium doctrinæ addicti eſſent (C), ſive, quod ut plurimum a provincia abeſſent, & ſedes Epiſcoporum annos ferme viginti vacaret. Nec oppreſſerunt hæreticos ſevera illa, quæ Roma emanabant decreta, quæque Eliſabetha fideliter promulgabat, cum nemo eſſet,

(A) Orbinus. (B) P. Philippus Riceputus, qui apud Farlatum T. 4. p. 29. affirmat ſe legiſſe privilegium quoddam a *Stephano Cotromanovich* Comitibus Ochmuchevich datum die 18 Decembris anno 1278 in palatio Sutiska: quod Orbini Sententiam confirmat. (C) Tractatio poſter. novi Illyr, ſub Reg. Hung. p. 159.

eſſet, qui præſens, aut ex propinquo indurato malo vim adhiberet. Stephani, Serviæ regis, ac Helenæ reginæ adverſus peſtem eandem conatus jam antea laudavimus (A). Piis illorum ſtudiis cenſores fidei ex ordine Minorum in Boſnam invecti, diu exDe Paulo, Bano Croatorum, & Boſnæ. poſt etiam cum hæreſi eadem conflictati ſunt. *Paulus de Briberio*, Chrobatorum Banus, Stepconis filius, cum a Ladislao Chuno, rege Boſnæ Banatum ære numerato comparaſſet (B), excluſus quidem inde eſt, Stephani Serblorum regis potentia: at, hoc exſtincto, & Milutino Uroſio Stephani filio bellis occupato, Boſnam ſibi denique majore parte aſſeruit circa annum 1302. Utque firma eſſet poſſeſſio, Hungaricæ coronæ rurſum conjunxit. Is in privilegio Arbenſibus elargito anno 1303 *Banus Croatorum, & Boſnæ Dominus* inſcriptus legitur (C). Et, quanquam Catholicæ religionis cultor eſſet: tamen provinciarum multarum regimine vario, ac late diffuſo diſtractus, reprimendæ Patarenæ licentiæ, minus, ac oportebat, intendit.

Et Mladino Bano. SERBL. Ita, cum non optimus, ſub Paulo, religionis ſtatus per Boſnam eſſet, hoc extincto ſub annum 1311 ſub filio ejus, Mladino, condicio rei Catholicæ multo adhuc deterior evaſit. Uſurpabat iſte jam anno 1302 vivo patre Bani Boſnenſis titulum, pluresque alios (D), communicato cum patre jure. At, poſtquam ſucceſſit in ſolidum, licet a Romano Pontifice ad Patarenos Boſna expellendos interpellatus, anno 1319, admonitusque, non modo morem non geſſit, ſed & arrogantia, ac temeritate, eouſque proceſſit; ut arbitrio ſuo Epiſcopatus, Abbatias, ac Sacerdotia his conferret, illis adimeret, ac per Rectores urbium ſuæ impietatis miniſtros avaritia incredibili, Eccleſiis proventus detraheret, mercatores prædaretur; invectaque maxima corruptela, matrimonia paſſim ſolverentur, nec fere in tuto eſſet ſexus alterius pudicitia (E). Ita, cum hoc principe abuſus graviſſimi pervaſiſſent provinciam, proceres demum tot malis feſſi, peroſique hominis crudele, ſuperbum, avarum, ac mulieroſum imperium, armis correptis, Banatu, quo nunquam dignus fuerat, Mladinum ejecerunt anno 1322. Carolus vero, Rex Hungariæ ad ſuum præſidium confugientem, comperta viri improbitate, perpetuo carceri mancipatum, ne quid novarum turbarum cieret, & ſcelera pœna, quanquam non voluntaria, exolveret, in Hungaria detinuit.

BULG.

(A) Colloquio VI. (B) Lucius L. 4. c. 13. (C) Idem L. 4. c. 3. (D) Conſtat ex privilegio, apud Lucium Spalatenſibus anno 1302 dato, ubi ſic lego: *Mladinus Croatorum Banus, Comes Jadræ, Princeps Dalmatiæ, & SECUNDUS Boſnenſis Banus:* quod Banorum ſeriem interruptam: & ſtirpem aliam a Cotromanis notat. (E) Michas Madius c. 18.

BULG. Mladino improbo, unus e Boſnæ proceribus communi ſuffragio ſucceſſor datus eſt, *Stephanus* nomine. Hunc alii *Stephanum* cogn mento *Linum* fuiſſe volunt (A), alii patrem hujus, itidem Stephanum (B). Hoc, ſi verum ſit, pater breviſſimo regimine perfunctus, Banatum *Stephano Lino* filio mox reliquit. Habebat iſte fratres *Miroslavum*, & *Vladislavum*, ac ſorores geminas *Danizam*, & *Catharinam*: turbatisque in Boſna rebus, ſive ſub Mladini regimine, ſive poſt patrem; ipſe quidem cum Eliſabetha matre Raguſam ſe recepit, fratres in Chrobatiam transiere, *Catharina* Nicolao, Andreæ Chulmenſis nepoti collocata eſt: *Daniza* pietatis ſtudio Romam adiit, & mox febre correpta, ad meliora transiit, cujus ſepulcro in Eccleſia ad Minervam hæc paucula inciſa ſunt: *HIC JACET DIANA ILLYRICA.* Sedato Boſnenſium tumultu, *Stephanus Linus* Raguſa evocatus faſces Banatus ſuſcepit, & mox Chelmi Comitatum, ex manibus invaſorum, *Branivoj* filiorum Michaelis, Dobrivoi, Branci, & Braici, eripuit, Boſnæque adjunxit. His titulis uſus, donatusque ab aliis legitur anno 1326 (C): *Magno, & potenti Domino Domino, libero Principi, & Domino Boſnæ, Uſſoræ, Salæ, & plurium aliorum locorum, atque Chelmi Comiti.* Quanquam vero princeps iſte Græcanicum ritum a majoribus acceptum ſequeretur; a placitis tamen Cerularii, ac multo magis a labe Patarena purus fuit, ac immunis, quemadmodum, & conjux Eliſabetha, quæ ex illuſtri Poloniæ regum ſtirpe perinde, ac Hungariæ Regina Carolo nupta, genus derivabat ſuum. Ad hunc *Stephanum*, *Eliſabetham*, & *Carolum* regem exſtant literæ Joannis XXII. Papæ (D), quibus hortatur ſingulos ad præſtandum præſidium Fratri Fabiano Ordinis Minorum conſtituto per Boſnam fidei quæſitori: epiſtola Stephano inſcripta hunc præfert titulum: *Dilecto filio, Nobili Viro, Principi Boſnenſi*: & conjugi: *Dilectæ in Chriſto filiæ, Nobili mulieri, Principiſſæ Boſnenſi*: Inſigne pietatis, ac reverentiæ ſpecimen edidit Stephanus, cum Gerardo Minorum miniſtro generali ad ſe adventanti anno 1340 honoris cauſa longo itinere obviam proceſſit, ſalutaria ejus verba avide excepit, & animi ſui candidiſſimi votum de expellendis regione omni Patarenis, aperuit (E).

IX. De Stephano Bano.

Ejus pietas, ac zelus.

SERBL. Sunt, qui ex Vadingi, & Raynaldi verbis, anno hoc eodem 1340 Gerardi opera a ſchiſmate ad fidem catholicam traductum ferant (F). Vadingus ſic ſcribit: *permanſit illic*, hoc eſt: in

Ejus conversionis initia non recte ad Gerardum referuntur.

(A) Farlatus T. 4. Illyr. Sacri. (B) Orbinus, Du Fresne. (C) Lucius L. 5. c. 3. in Monumentis Tragurienſium. (D) Datæ Avenione anno Pontif. IX. Chriſti 1325. (E) Vadingus T. 3. (F) Farlatus Illyr. Sac. T. 4.

in Boſna, *dies aliquot Gerardus, magno rei Catholicæ incremento: nam Stephanus libenter audivit verba catholicæ veritatis: veram fidem ipſe admiſit: & reliquos ſuæ gentis ad eam amplectendam hortatus: hæreticos omnes ſuo juſſit decedere principatu.* Raynaldi de re eadem verba ſunt: *alluxit Boſnæ hoc anno Stephani Boſnenſis Religione, catholicæ fidei ſplendor, quem hæreſis obſcurarat. Cum enim Gerardus, ſupremus minoritarum præpoſitus precibus Caroli, regis Hungariæ in eam provinciam ſe contuliſſet, Banus obviam illi progreſſus, conceptum delendæ hæreſeos animi ſui aperuit votum.*

BULG. At ex his, initia veræ fidei Stephani, non recte ad Gerardum referri, evincit Benedicti XI. ad Gerardum epiſtola, in qua, ſicut & in Raynaldo, nulla de converſione nova Stephani memoria, indiciumve: epiſtolæ verba accipe: *Idem Banus tibi occurrens in via, te honoranter accepit, & a te verba catholicæ veritatis, & ſalutis libenter audivit, Tibique aperuit propoſiti ſui votum, per quod evidentius cognoviſti, quod bonam voluntatem gerit ad exſtirpandum de principatu Boſnenſi cunctos hæreticos degentes ibidem, dummodo nos, & ſedes Apoſtolica, & idem rex Hungariæ ſibi ſuper his favorabiliter aſſiſtamus: quorum favorem ſibi opportunum æſtimat, propter Schiſmaticorum auxilium, quos habet ſuæ terræ vicinos, quorum Schiſmaticorum auxilium dicti hæretici invocarent, ſi ſe de terra prædicta cognoſcerent extirpandos.* Additque, Bano ſe opera, ſtudiisque ſuis non defuturum, quin & Carolo regi commendaturum, ut pio Stephani propoſito, ope, auxilioque adſit. Evincit quoque titulus *Dilecti filii*, quo jam multis abhinc annis, & fere a regiminis exordio (A) a Joanne XXII. ornatum fuiſſe oſtendimus. Huc quoque facit occurſus venienti Gerardo reverentiæ cauſa a Bano ſuſceptus: & Gerardi in Boſna paucorum dierum commoratio, ac demum ardens illa voluntas de hæreticis in exilium agendis: nam, ſicut brevis Gerardi mora, tanto operi, quantum eſt converſio principis, par non erat; ita humilis occurſus ejusdem, ac excelſum illud, totque obſeptum periculis, de expellendis hæreticis animi propoſitum in ipſo ſtatim ingreſſus limine Gerardo detectum, veterani, obſirmatique Catholici eſt argumentum. Quare Orbino (B) potius aſſentior, qui Stephanum Banum a Græcorum erroribus, ipſoque adeo ritu ad Sacra Romana traductum narrat, opera Bobali, Raguſæi Canonici, qui Stephano a ſecretis erat. At, idem audiendus prorſus non eſt, ſive cum Fratres Minores, atque inter hos Petrum Aragonium, primum a Clemente VI. anno 1349 in Boſnam inductos ſcribit (C): ſive cum affirmat ob Manichæorum converſionem, opera Peregrini Epiſcopi (D), & Stephani

Verior Orbini Sententia.

Errores ejusdem Orbini.

(A) Nempe ad annum 1325. (B) Orb. p. 352. & ſeq. (C) Vadingus Joannem de Aragonia vocat, & a Gerardo Generali miſſum tradit. (D) Sicut & Peregrinum de Saxonia, qui a Clemente VI. renunciatus Boſnæ Epiſcopus præfuit ab anno 1349 ad 57, & ſubinde Beatorum Catalogo eſt adſcriptus.

phani Bani in Boſna procuratam, Serviæ Imperatorem Stephanum, uxoris ſuæ Helenæ Catholicis perinfenſæ ſuggeſtionibus, bellum Boſnæ Bano intuliſſe: nam Minorum quidem in Boſnam ingreſſus ad præcedens ſæculum pertinet: belli autem Boſnæ moti anno 1350 per Imperatorem Stephanum, non Catholica Bani religio, non Patarenorum converſiones, ſed graſſationes ejusdem a Trebina, Catharum uſque productæ; & vetus, indubiumque Nemanicæ ſtirpis jus in Chulmiæ provinciam, quam occupatam tenebat Stephanus Banus, vera cauſa, occaſioque fuerunt: id, quod evidentius oſtendunt, vel ipſæ duæ pacis condiciones Bano ab Imperatore propoſitæ (A), quarum una fuit Chelmi ceſſio: altera connubium Uroſii filii ſui unici Serbliæ, Romaniæque imperii hæredis cum Stephani Bani primogenita virgine Catholica. Ut adeo hic religionis Catholicæ odia ab Orbino temere prorſus affingantur, ſeu Imperatrici Helenæ, ſeu Stephano Imperatori; cujus confeſſio catholica a nobis pridem ſupra relata eſt (B).

Geſta Stephani Bani.

SERBL. Stephanus Banus, cujus hactenus religionem eſtuitus, Carolo æque, ac Ludovico Hungariæ regibus conſtanti fide adhæſit. Huic cum copiis Jadram obſidenti anno 1345 adfuit, & cum in rebellantes Croatos expeditionem duxit (C), ac denique, quando Tartaros, Tranſylvaniæ infeſtos, bello profligavit (D). Ex gemino connubio filias ſuſcepit duas, *Eliſabetham* primogenitam, & *Dragam*; atque, cum prole maſcula careret, filios Uladislai fratris *Tvartkum*, & *Vuchicum* apud ſe in ſpem principatus educabat, cum Ninoslaus fratrum alter nullam legitimam prolem ſuſcepiſſet. Eliſabetham primogenitam, Ludovici matri expoſcenti educandam commiſit, quæ demum etiam Ludovico regi in thorum data eſt (E), ſuoque deinceps in convictu Dragam ſororem habuit (F).

Ejus obitus a. 1357.

BULG. Sed Stephanum, egregium fidei catholicæ columen, ac præſidium, mors importuna eripuit anno 1357, cum iter in Hungariam ingreditur ad decoranda nuptiarum ſolemnia, quæ anno eodem Ludovicus Rex cum filia ſua Eliſabetha, quam ſeptennio abhinc pro Uroſio ſuo Stephanus Serviæ Imperator precatus fuerat, inibat. Corpus defuncti ex itinere in Boſnam relatum, Mileſevi in æde Minorum ſancto Nicolao ſacra, quam ipſe erexerat, magnifica pompa eſt conditum (G). Ex quo quietis loco, ſi non ritu ipſo, fide certe, ac obedientia conjunctum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ, eſt indubium.

SERBL.

(A) Vide Colloquium IX. ad an. 1350. (B) Ibidem. (C) Bonfin. Dec. 2. l. 10. (D) Münſterus apud Orbinum. (E) Thúróczy in Ludovico. (F) Paulus de Paulo in memoriali ad annum 1383. (G) Orbinus.

X. De Tvartko Bano & ejus geſtis.

SERBL. Fatis functo ſocero, Ludovicus rex gratiam reditturus, in Tvartkum; a Stephano patruo in ſpem ſucceſſionis educatum, principatum Boſnæ ſuo etiam ſuffragio transtulit. Numerabat tunc Tvartkus, Uladislai filius, annos duos ſupra viginti (A). Gubernii initia ſub matris tutela proſpera prorſus, pacataque fuere. Pacem turbavit Paulus Culiſich, e ſtirpe Cotromanorum ortus. Hunc Tvartkus in Uſſora adortus, expugnatum, captumque perpetuæ cuſtodiæ mancipavit: mox cum victor in Hungariam abiſſet, magnis primum gratulationibus eſt exceptus: ad extremum vero, Ludovico jure uxorio repoſcenti Chelmum provinciam cedere debuit: Narona, Imota, ac novo invicem acceptis. Paucum poſt tempus cum Hungariam repetit, relicto matri gubernio, Proceres in ſe excitavit. Igitur Uladislaus, Parchia, & Vuk Dabiſiæ filii ad Drinum, Boſnam, & Uſſoram rerum potentes, Senco Mladieni filius de Zagoria, cui Chelmi provincia, inde a mari Adrio, ad Neveſinum, & Conizium cum Valachis parebat: Dabiſia præterea, Ninoslai nothus, Narentæ Dominus, conſpiratione conflata, matre Tvartki Narentam relegata, *Vuchicum* fratrem natu minorem Banum proclamant. Valida hæc ſeditio Tvartki reditum maturavit: parato ergo in Uſſora exercitu in fratrem, ac conjuratos ſigna movit, fractosque præliis aliquot, partim cepit, partim ditione expulit. Ex captis Uladislaus oculis mulctatus, Vuk frater carcere damnatus eſt: Dabiſiæ patrueli ademta ſunt univerſa: Senconi Chulmia: Parchia, & Vuchicus, frater Tvartki in Hungariam expulſi ſunt, illum bonis avitis, fratrem ſpe etiam hæreditatis excluſit; fruſtra pro eodem, & Urbano V. Pontifice, & Ludovico rege perorantibus.

BULG. Vuchicum, qui & Stephani nomen geſſit, exulem, cum catholicam profitentur religionem, Urbanus V. anno 1367 per literas ſolatus eſt, in fide confirmavit, & protectioni Ludovici commendavit. Nec defuit rex exuli principi patrocinio, auxilioque. Tvartkus, qui anno 1367 veniam conceſſit Senconi, ac proceribus; Fratrem, non niſi poſtquam rex factus eſt, matre deprecante in gratiam recepit.

SERBL. Diſſipatis hoc modo bellis domeſticis, annos complures in pace exegit. Anno 1374 fœdere conjunctus Lazaro, Serviæ Comiti, Nicolaum Altomanum, cui ob præſtitam opem Senconi rebelli, dudum infenſus fuerat, armis communibus debellavit. Cujus provinciis Zentanis, aliisque per Serviam, cum notabiliter auctus eſſet; poſt extinctos Raſciæ, Serviæque reges, annuente Ludovico, Regis titulum ſumſit, atque a Mileſevienſis cœnobii Metropolita

Fit Rex Raſciæ, & Boſnæ anno 1376.

(A) Orbinus.

lita Græci ritus anno 1376 Corona insignitus, vetusto Serbliæ regum more Stephani prænomen suscepit, primusque e Bosnæ principibus se *Rasciæ*, *Bosnæ*, *ac Maritimæ Regem* inscripsit. Quem deinceps in honore, ac titulo sequuti sunt: *Stephanus Dabisia*: *Tvartkus*, cognomento *Scurus*, cum rivalibus *Ostoja*, & *Jablanovichio* Tvartko Scuro suffectus est *Stephanus Thomas*: cui *Stephanus* filius vitam, regnumque ademit. Sed quæsitum paricidio regnum cum paricida rege paucos post annos Mahometes II. Turcorum, & Constantinopoleos Imperator excidit.

BULG. Tvartkus I. assumto regio nomine, in fide Hungariæ, vivo Ludovico mansit. Hoc humanis erepto, nova molitus est. Nam Dracsevizæ magno Ragusæorum damno emporium instituit: Catharum occupavit: & Chelmi provinciam e manibus Hungarorum extorsit. Atque, cum res Hungariæ factionibus convelli cepissent, rebelles Joannem Auranæ priorem, & Banum Joannem vulgo Horváth adversus Hungaros viribus suis protexit, quibus Usforam, Dobor, & alia regum Hungariæ per Bosnam oppida contribuit, ut inde, velut ex armorum sede Hungariam lacesserent. Denique Dalmatiæ urbes Tragurium cum Sibenico, ac Spalato sibi adjunxit, Caroli parvi, & conjuratorum partes anno 1384 adversus Mariam reginam, & Sigismundum aperte sequutus. Nec rediit ad obsequium, cæso etiam anno 1385 Carolo parvo: & Maria captivitate soluta. Fregit Turcos geminis præliis, ac illo præcipue, quod anno 1388 gestum est (A). Anno 1389 Vlatkum Hrana, Chelmi Vajvodam adversus Amuratem ad campum Cossovo Lazaro, Serviæ Despotæ auxilio misit. Ibi acceptam die XV. Junii cladem, paucos post dies, hoc est XX. Junii, relata de excursoribus victoria, compensavit. Anno eodem Stephanum Lossontzy, & Albertum Ducem, aliosque a Sigismundo rege immissos, prælio ad Auranam conserto, profligavit (B). Victoriæ fructus erat Ostrovizæ, ac Clissæ deditio. Vlatki Hranæ præclara belli merita opulente præmiatus est, concessa in feudum Chelmi provincia, totoque terrarum tractu, qui postea, sub ejus nepote, Stephano Cossacia, Vukasii filio a (C) Friderico Imperatore in Ducatum provectus *Herzegovinæ*, & *Ducatus Sancti Sabæ* nomen subiit: Duces vero ipsi *Custodes sepulcri Sancti Sabæ* se compellarunt. Bis Tvartkus nuptias iniit, primum cum *Dorothea*, Strasimiri Bulgariæ Imperatoris filia, in Regia Ludovici educata: a cujus fatis *Jelizam*, Nobilem Bosnensem conjugio sociavit, ex neutra liberos genuit. Tvartkus II. scurus, qui subinde regnum adeptus est, ex Vukosavæ concubinæ thoro illegitimo natus est. Humanis excessit anno 1391: quo ipso Sigismundo, veteres ul-

Gesta Regis Tvartki I.

(A) Lucius L. 5. c. 3. de quo vide Colloquium XI. (B) Luc. L. 5. c. 3. & Paulus de Paulo. (C) Luccar. L. 3.

turus injurias, & graſſationibus modum poſiturus, bellum Boſnæ moliebatur. Sed Tvartkum belli aleæ mors eripuit: converſis ergo armis in conjuratos Sigismundus, Uſſoram ingreſſus, caſtrum Dobor ad obedientiam reduxit, depulſis in Dalmatiam factioſis, ubi impoſterum armorum ſedem collocarunt.

De Dabiſia, II. Rege Raſciæ, & Boſnæ.

SERBL. Dabiſia, ex Stephani quondam Bani fratre Ninoslao filius nothus. Tvartko I. in ſolidum ſucceſſit, perduxitque principatum ad annum uſque 1396. Raguſio fruſtra clandeſtinis artibus inſidias ſtruxit (A). Sigismundo de conjuratis, & caſtro Dobor victori ſe ultro ſtitit, & cum regno clientelæ devovit (B). Spalatenſes Dabiſiam pro ſuo Rege agnoviſſe, teſtantur eorundem tabulæ, in quibus ſequens inſcriptio legitur: *Regnante Sereniſſimo principe, ac Domino noſtro Dabiſia, Dei Gratia Raſciæ, Boſnæ, Dalmatiæ &c. Rege inclyto* (C). A deceſſu Mariæ reginæ, qui in annum 1392 incidit: cum procerum ſtudia diviſa forent, aliis Alberto Auſtriaco, aliis cum Primate Strigonienſi Hedvigi, Mariæ ſorori, aliis cum Romano Pontifice Ladislao Neapolitano ſtudentibus; Dabiſia, rex ſimul cum Sclavonia Sigismundo conſtantius adhæſit: atque, cum idem, ac Helena conjux Sigismundo ſucceſſionem in Boſnam tranſcripſiſſent, & Boſnæ quoque proceres pactis iisdem acceſſiſſent, Sigismundus gratiam redditurus, privilegia Boſnenſium anno 1394 confirmavit (D). Poſt quæ Helena, Dabiſiæ conjux, quam Lucius *Zvietizam* vocat, e Nelipenſium in Croatia Comitum gente, in familiæ ſuæ hoſtes, Gregorium, ac Ladislaum Chiriacos, excitavit maritum regem: qui evaſtatis caſtellis, terrisque eorum, non diu poſt reditum, vita exceſſit, anno 1396. Uxor cum prole deſtituta eſſet, cœnobium ingreſſa, vitam in eo pie finiit. In ſucceſſore ſtatuendo graves motus coorti ſunt. Sigismundus, cum totus belli apparatibus in Turcos intentus eſſet, jus ſuum, pactis quæſitum, Hervojæ proſequendum commiſit. Tvartkus Scurus, cum paterno jure Boſnam obtinuiſſet, Oſtojam adverſarium nactus, longi belli materiam ſuſcepit. Jam, quæ primorum duorum Raſciæ, Boſnæque regum Tvartki I. ſcilicet, & Dabiſiæ religio fuerit, tui erit muneris bona fide exponere prius, quam ad Tvartki II. geſta transeamus.

XI. Inquiritur in religionem Tvartki I. Regis.

BULG. Tvartkum I. Græcorum diſciplina, ac erroribus inutritum, a piis Stephani patrui veſtigiis longe deſciviſſe, Patarenorum fautorem, perfugiumque, Catholicos initio, atque inter hos fratrem,

(A) Orbin. Luccar. L. 2. Du Fresne. (B) Diploma Sigismundi familiæ Gara datum apud Cl. Georg. Pray ex MS. D. Rajtsányi Arch. Cam. Poſon. Item Alberti regis datum 1438 apud Cl. Steph. Kaprinai in Mathia rege. (C) Tab. Spal. de an. 1392 Ind. XIV. die XXVII. (D) Sigismundi literas exhibet Lucius 2. c. L. 3.

fratrem, Stephanum Vuchicum, vexaſſe, & hæreditate, jure natalium debita, excluſiſſe, ferunt complures (A). Eruiſſe videntur id ex Urbani V. Papæ literis, quarum unis ſolabatur Stephanum, Sacra Romana complexum: alteris vero afflictum eundem principem, patrocinio Ludovici regis commendabat, in quibus has adverſus Tvartkum querelas inſtruit (B): *Banus Boſnæ ſenior frater Stephani, ſequens ſuorum progenitorum veſtigia deteſtanda, & defendens hæreticos, ad illas partes, quaſi ad ſentinam fœtidam de diverſis mundi partibus confluentes; ipſum Stephanum, abjecto amore fraterno, perſequitur, & hactenus graviſſimis damnis attrivit, & partem hæreditatis ſibi denegavit habere* &c. Sed cum hæc Urbanus non alio ex fonte, quam Stephani literis hauſerit, qui a Pontifice Romam adeundi veniam poſcebat: ex Orbino vero, aliisque exploratum ſit, malorum, quibuscum diu conflictatus eſt Stephanus, non religionem, ſed rebellionem in fratrem commotam, veram cauſam fuiſſe; accuſationes illæ apud Urbanum in fratrem congeſtæ, fidem apud me nondum obtinent. Ægre enim mihi impero, ut credam, a Ludovico piiſſimo principe, tam pernicioſum chriſtianæ reipublicæ caput, Banatui Boſnenſi admovendum, ac poſt tot, ac tales corruptelas, ſuffragio etiam ſuo ad Regale faſtigium provehendum, multisque novis favoribus augendum fuiſſe. Certe illi etiam ſcriptores, qui ex recitatis Urbani literis damnarunt Tvartkum, ejusque regiminis initia: poſt adeptam Regiam coronam, nihil inimicum, religionive noxium carpere in ipſo potuerunt (C). Quare Græcanico majorum ritu vixiſſe, Cerularii etiam placitis imbutum fuiſſe, do facile: his adhæſiſſe, pronunciare non audeo, veriſimiliusque puto, hauſtos deterſiſſe errores jam ſub Stephani Bani Catholici, patrui ſui diſciplina. Amicum, ac fautorem exſtitiſſe Andreæ Gvaldi, Archi-Epiſcopi Spalatenſis ab Urbano VI. inſtituti: ejus conſiliis, ac directione extremis vitæ annis uſum fuiſſe, & magnis favoribus antiſtitem eundem cumulaſſe palam fit ex diplomate, quo decimas, quas laici perinde, ac clerus detrectabant, eidem adjudicat, confirmatque (D). Ibi ille, Andream Archi-Epiſcopum *fidelem ſuum Conſiliarium, & Capellanum Spiritualem* nuncupat: atque, quod dubium omne de ejus religione refellit, ſe ipſum Catholis diſerte accenſet. Decretum incipit: *Stephanus Tvartcho, D. G. Raſciæ, Boſnæ, maritimæque Rex omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus - - ſi Regia excellentia ſublimatur - - cum - - ſubditis præmium juxta eorum merita pari ſorte largitur: quanto magis, ſi in Eccleſias fidei catholicæ, Eccleſiaſticasque perſonas, præcipue ſibi ſubditas, & ob ejus reve-* Et Catholicis aſſeritur.

(A) Raynaldus. Farlatus T. 4. (B) Apud Raynaldum ad annum 1369 dat. XIX. Kal. Janu. anno Pontif. 9. (C) Farlatus T. 4. (D) Farlatus T. 3. p. 334. & ſequ. apud quem & Decretum leges ex tabulis Archi Epiſc. Spalat. exſcriptum.

reverentiam, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, præsertim in justis petitionibus exhibet se gratiosam, favorabilem, & benignam. Attento igitur hoc, & quod per eum regnamus, QUI FIDEI CATHOLICÆ, CUJUS PLANTULAM ME RECOLO, fundator, caput, & rector &c. Datum in aula noſtra Regali Suteska, per manus fideliſſimi dilecti Thomæ de Luzach, præfatæ aulæ noſtræ Vice-Cancellarii, anno Domini MCCCXC, die XXX. menſis Auguſti, XIII. Indictione. Hæc mihi de Tvartki I. Raſciæ, Boſnæque Regis catholica religione in medium proferre licuit. Dabiſiæ autem regimen, ut Croaticis, Dalmaticisque bellis occupatum, ita brevius erat, quam, ut de religione ejusdem certi quidquam, exploratique a me conſtitui valeat: cum enim principatum auſpicatus eſſet anno 1392, ſexto ſupra nonageſimum abſolvit.

Dabiſiæ religio in obſcuro eſt.

XII. De Tvartko II. Rege, cognomento Scuro, geſtisque ejus.

SERBL. A morte Dabiſiæ Tvartkus Scurus Tvartki I. nothus Raſciæ Boſnæque rex renunciatus, nec ſine turbis gravibus regnum iniit, nec pacate eo potitus eſt. Viciniores Chrobatiæ partes Joannes Hervoja Sigismundi nomine continuo occupavit (A): Oſtoja vero Chriſtich, ſparſo in vulgus rumore *Scurum* non filium Tvartki naturalem, ſed ſuppoſititium eſſe (B) potiorem Boſnæ tractum, urbesque maritimas ad ſe attraxit, ſic, ut inferiores duntaxat partes, quæ propius Serviæ cohærebant in fide Scuri manſerint (C). Hinc bella inteſtina. Mala hæc aucta ſunt ex clade Sigismundi anno 1396 ad Nicopolim, & dum profligatus per Græciam itineratur: nec reditu ejus in provinciam anno 1397 ſanata ſunt, ita authoritas regis evi-luerat. Oſtoja ergo, & Tvartkus II. mutuis ſe bellis laceſſebant: Hervoja a Sigismundi obedientia deſcivit, & anno 1398 Oſtojæ conjunctus Ladislaum, Caroli parvi filium ad thronum Hungariæ evocabat, Chrobatiam, Dalmatiam, Boſnamque permiſcens, & in tumultus concitans (D). Inter quos motus, cum Sigismundus ſuorum odio anno 1401 in carcerem conjectus fuiſſet, Oſtoja, & Hervoja fœderati, Ladislao adhuc abſenti urbes Dalmatiæ plerasque adjunxere. Exſtat diploma Hervojæ, in quo ſe ſcribit: *Vicarium generalem Sereniſſimorum Principum Vladislai, & Oſtojæ*, ac nomine eorum fœdus cum Jadrenſibus pepigit (E). Spalatenſes quoque eandem fortunam ſequuti, anno 1402 die 15 Decembris, in aula regali Suteska Oſtojam Boſnæ, Ladislaum Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæque regem agnoverunt (F). Ladislaus captivitate Sigismundi comperta in ſpem regni certiorem erectus, iter demum ex regno Neapoli-

(A) Not. prælim. ad Hiſt. Eccl. Zagrab. p. 249. (B) Luccari L. 2. an. Rag. (C) Idem. (D) Cl. Pray & alii. (E) Du Mont Corps Diplomat. T. 2. p. 1. p. 277. exhibet inſtrumentum fœderis. (F) Tab. Spalat.

politano ſuſcepit, atque in Dalmatiam anno 1402 appulit. At, cum anno eodem ſolutum carcere cognoviſſet, & fama feret, plurimorum ad eum acceſſionem fieri, converſo retro itinere, Neapolim repetiit anno 1403. Utque nihilominus ſuorum animos in fide confirmaret, Hervojam ab Oſtoja Boſnæ Vajvodam renunciatum, ipſe quoque Regum Croatiæ, Dalmatiæque vices gerentem, & Spalati Ducem dixit (A). Jadrenſes vero, Spalatinos, Sibenicenſes, ac Tragurinos ampliſſimis privilegiis ornavit (B). Raguſæi nondum ad fœdus Oſtojæ acceſſerant, hos, ut cogeret, agros eorum infeſtare aggreſſus eſt. Id dum Oſtoja magno fervore agit, Tvartkus conciliatis ſibi Turcorum copiis viginti aureum numum millium ſtipendio, in æmuli ditiones irrupit, maximamque provinciæ partem Oſtojæ detraxit: quod denique Oſtojam impulit, ut deſertis Ladislai partibus in Sigismundi clientelam tranſiret, fœdusque cum eodem ſanciret (C).

BULG. Sed quo anno Oſtoja Sigismundo ſe conjunxit, eodem prorſus Ladislai partes Tvartkus eſt amplexus. Hunc ergo, cæterosque Ladislai aſſeclas Sigismundus per legatos bello perſequi eſt aggreſſus (D). Ladislaus, quod unicum poterat, *Tvartkum*, *Hervojam*, & *Sandalem*, ſummum Boſnæ Vajvodam in protectionem accepit, univerſa eorum jura, privilegia, conſvetudines, limitesque ipſos, quales ævo Culini fuerunt, confirmavit (E). Triennio ipſo, ac nullo fere operæ pretio, cum bellum legati gererent, Sigismundus morarum impatiens, ipſe magna optimatum ſtipatus corona, in belli arenam deſcendit, collatisque ſignis, ampliſſimam victoriam retulit, occupato etiam caſtro *Dobor*, nido hoſtium præcipuo. Ferunt eo prælio *Tvartkum regem* cum centum, ſex, ac viginti proceribus, nobilibusque in manus Sigismundi veniſſe (F): quorum de numero cum plurium corpora truncata capite ex caſtro Dobor in profluentem præceps agi juſſiſſet, plerisque victoriæ laudem nota crudelitatis temeraſſe viſus eſt. Tvartkum regem cum præcipuis Budam in triumphum duxit: utque ſemen omne inteſtini belli perimeret, Hervojam, rebellium facile primipilum anno 1408 in gratiam recepit (G). Ita deſertus undique Ladislaus, ut fructum aliquem delati regni, laborumque caperet, Venetis Jadram pretio centum ducatorum millium anno 1409 venumdedit (H). Iisdem Oſtroviza quoque anno 1411 cum agro pro quin-

Tvartkus deficit a Sigismundo rege Hung.

Capitur ab eodem.

(A) Conſtat ex Actis 4. Novembr. 1403, & Tabulario Spalat. apud Farl. T. 3. p. 8. (B) Lucius, & Du Mont. (C) Literæ Sigismundi ad Burg. Duc. & Flandriæ Com. apud Mayerum in ann. Flandr. L. 14. anno 1405. (D) Cl. Pray ad an. 1405. (E) Diploma datum eſt in caſtro novo prope Neapolim anno 1406 die 26. Auguſti Ind. XIV. (F) Vindeckius Scriptor coævus c. 18. ad annum 1408. (G) Lucius L. 5. c. 4. teſtem profert Sigismundi epiſtolam ad Tragurienſes. (H) Fragmentum contractus exſtat apud Lucium L. 5. & apud Du Mont L. 2.

que aureum numum millibus a *Sandale* Boſnæ, Chulmiæque Vajvoda eſt tradita (A), Sibenicenſes, ſtipulata regiminis forma a Michaele Stenone Duce anno 1412 in clientelam ſunt recepti (B). Quorum exemplum cum mox ſequuti fuiſſent Spalatini, Tragurienſes, & Catharani, tota fere ora maritima in Venetorum poteſtatem conceſſit. Sed nec Oſtoja diu in fide perſtitit: nam cum a Sigismundo nihil ſibi acceſſionis factum ſenſiſſet: anno 1411 aperte obſequium detrectans, Turcorum auxiliis ad tyranidem graſſari cœpit (C). Hunc brevi & Hervoja ſequutus eſt: cum enim accedentem ad Sigismundum Paulus Chupor, joco ſane illiberali, voce boatum imitante ſalutaſſet; contumelia hac præſente, nec ulciſcente rege illata, irritatus, defectionem a rege, regnoque rurſum molitus eſt (D).

Sequitur Sigismundum ad Conſtantienſe Concilium.

SERBL. Sigismundus, poſt Boſnenſem victoriam, pacatis domi utcunque rebus; anno 1410 Imperator Romanorum electus, alio fere curas avertit. Nam cum afflictiſſimus eſſet Eccleſiæ ſtatus, hinc ex Schiſmate Romano Petri de Luna, inde ab Huſſi hæreſi; remedium malo utrique adhibiturus anno 1413 Reges, principesque ad Conſtantienſe Concilium evocavit: & proſcripto, anno eodem turbatore pacis domeſticæ, Hervoja (E): anno ſequente in comitiva Tvartki II, Boſnæ regis Hungariam reliquit (F), ac per iter, Aquisgrani, Romanorum Imperatoris corona incinctus eſt (G). Abſente Sigismundo, Hervoja in Boſnam, Hungaris obnoxiam Turcos induxit; & contracto cum Hungaris prælio victor contumeliam, nuper acceptam, ſevere ultus eſt: captum enim Paulum Chupor culeo bovino inſutum in profluentem præceps egit, demerſitque, uſus hoc epiphonemate: *qui ſub humana ſpecie, bovina quondam voce utebare, bovinam nunc cum voce quoque formam indue* (H). Sed cum cladem hanc Hungari vindicaſſent, depulſo, profligatoque Ikako Turco, Hervoja mœrore amiſſæ Boſnæ, & cladis acceptæ oppreſſus, Cathari an. 1415 vivendi, turbandique finem fecit (I). Anno eodem Sigismundo Conſtantia in Aragoniam profecto, Tvartkus rex in Boſnam rediit, conciliatisque ſibi Turcorum viribus, partem Boſnæ ex Oſtojæ manibus extorſit (K).

Redit in Boſnam, & profligat Oſtojam.

BULG. Hinc, cum nova rurſus inter reges duos bella exarſiſſent, nec facile finis proſpiceretur. Proceres Oſtojam, pridem in libidines effuſum, execrati, Stephanum Jablonovichium anno 1418 novum

(A) Lucius L. 5. (B) Capita transactionis referunt Lucius, & Du Mont. (C) Lucius L. 5. c. 5. (D) Orbinus, & Thúrócz. P. 4. c. 16. (E) Lucius P. 4. c. 16. (F) Lucius L. 5. c. 5. profert proſcriptionis decretum. (G) Bonfin. L. 3. Dec. 3. (H) Hiſtoria vitæ Sigismundi. (I) Orbinus, Ratkay. (K) Thúrócz. Luccar. L. 3.

novum regem ſalutant: ita uno, eodemque tempore tres in Boſna reges exſtiterunt, quaſi duo excidio non ſufficerent. Deſertus a ſuis Oſtoja, profuſis opibus, Turcorum auxilia invocavit: Tvartkus cum Jablonovichio in fœdus coaluere. Poſt multa ergo utrinque prælia, cædesque, ita ad extremum anno 1422 inter ipſos convenit, ut partitis provinciis, regio nomine ſinguli præeſſent, communes hoſtes amicosque ducerent, ac invicem in ditione ſuccederent. Quo tamen non curato, anno 1427 Tvartkus Comitem Celejenſem Hermanum II. ex Catharina ſorore, ut videtur ſua, genitum, favente indubie Sigismundo, qui Barbaram, Hermani filiam, conjugem adlegerat, Boſnæ regni hæredem ſcripſit tabulis ſolemni ritu confectis (A), ſed, quæ vim poſtea non obtinuerunt. Extincto autem paucis poſt annis in cælibatu Stephano Jablanovich, regnum bifariam diviſum eſt. Denique & Oſtoja absque hærede legitimo decedente anno 1435, ſumma regni totius ad Tvartkum II. pervenit (B). In diplomate Joanni Marnavicio an. 1426 conceſſo (C), hoc titulo uſus legitur: *Stephanus Tvartkovicius Rex Serbiæ, Boſnæ, Maritimarum, Chelmenſium terrarum, Dalmatiæ, Croatiæ, & partis inferioris occidentalium partium Uſſoræ, Salæ, Podrimiæ* &c.

Tres Boſnæ Reges, & pacta eorum.

Tvartkuš II. rex ſecundus.

SERBL. Tvartkus II. poſt tot graves jactationes, inde a captivitatis anno in Regum Hungariæ fide perſtitit: electoque poſt Albertum regem Uladislao, Jagelloni Hungariam ingredienti legatos, cum gratulationis officiis, ex communi gentis origine repetitis, in occurſum miſit (D): ac denique anno 1443 nulla prole relicta in bona pace deceſſit. Trium Boſnæ co-regum, quorum geſta hactenus proſequuti ſumus, quæ religio fuerit, anceps adhæreo. Si Græcorum placita ſequutos, ac una Patarena peſte fuiſſe afflatos affirmem, ſententiam complurium ſequar (E), nec longe fortaſſe a vero aberravero: ita tunc id malum invaluit, & late tota Boſna diffuſum, plerosque corrupit.

Obit 1443.

BULG. Quos tu calculo ſcriptorum quorundam, ex infelici temporum illorum per Boſnam condicione, catalogo Græcorum diffidentium, quin & Patarenorum inſeruiſti, non habeo unde ſingulos ab hac labe vindicem. At Tvartkum Scurum Catholicis Græci Ritus potius accenſendum exiſtimo, ſicut & Oſtojam (F).

XIII. Inquiritur in Tvartki II. religionem.

SERBL.

(A) Exſtat diploma in Collect. Puſchiana MS. quod ex Archivo aulæ Græcenſis forulo 42. n. 172. produxit: & ex eo Cl. Eraſm. Frölich, & Cl. Pray P. 2. Annal. p. 293. refert. (B) Orb. Lucc. (C) Exſtat in Not. Prælim. ad Hiſt. Eccl. Zagr. (D) Philip. Callimachus, Orbin. ad annum 1440 Spicilegium Boſnenſe. (E) Vadingus, & Farlatus *Patarenum*: Du Fresne, & Spicilegii Boſn. author *Neſtorianum* faciunt. (F) Qui Fr. Minorum Comitia in *Veſela Straſa* præſentia regali anno 1406 illuſtraſſe fertur.

SERBL. Ignoras forte, quæ Bonfinius Vadingus, & ipſe Beatus Jacobus Picenus Boſnæ Apoſtolus de Tvartko ſenſerint, ſcripſerintque. Bonfinius appellavit Tvartkum *Virum Turcico ingenio, ſumma impietate, ac profana religione præditum.* Nec mitius fere ſenſit Vadingus, quem ſi audimus; *Jacobus Picenus inſidias Tvartki fugit: fictam fidem, & malas artes reprehendit: & ne quidem in Chriſtianorum numero habuiſſe videtur* (A).

BULG. At ego ipſa Vadingi narratione adducor, ut credam Catholicum potius, quam Patarenum fuiſſe. Narrat Vadingus fratrem Jacobum Picenum anno 1432 adveniſſe in Boſnam munere Commiſſarii Ordinis ad diſciplinam inter fratres minores labantem in melius reducendam: atque cum per ſingulas domos, prædiaque caſtri Jaicze comperiſſet proventu fixo gaudere fratre, quod cum juratæ paupertatis puritate non cohærebat, continuo imperaſſe, ut inde fratres abſcederent: Tvartkum vero id ægre tuliſſe, cui compertum erat in gente maximam partem hæreſi corrupta, fratres aliter vitam ſuſtentare haud poſſe; atque idcirco conatibus Commiſſarii obſtitiſſe, ac de zelo viri importuno apud Sigismundum Imperatorem, ipſumque ſummum Pontificem querelas poſuiſſe, eoque rem ad extremum perduxiſſe, ut Pontifico privilegio fratribus de opportunis proſpiceretur. Hæc Vadingus. Atqui ſuſceptum ad hunc modum apud Pontificem ipſum, fratrum minorum patrocinium, Catholici potius principis apud me eſt argumentum: hæretico enim, aut ſchiſmatico Regi lætandum potius abſceſſione eorum fuerat, quos ad hæreſeos, ſchiſmatisque everſionem natos, factosque noverat. Hoc ſi nondum ſatis videatur, ex ampla illa benevolentiæ, ac honoris ſignificatione, qua redeuntem juſſu Papæ Picenum Rex ultro excepit, fidem ejus Catholicam confirmo. Quanquam vero hoc ipſum ad ſimulationem trahat Vadingus, *fictosque* appellet *honores*: addatque beatum Jacobum Picenum, *fictam regis fidem, arteſque malas* increpuiſſe, reprehendiſſeque, ac demum, ut *paratas declinaret inſidias*, anno 1435 *clam ſe Boſna ſubduxiſſe.* Hæc tamen, ut referuntur, fuiſſe etiam, nunquam mihi perſvaſero. Quare ad inimicorum regis malas artes, & calumnias id potius refero, ac de rege mitius ſentiendum exiſtimo, qui multis precibus, & exaratis infra majeſtatem literis, quanquam gravius offenſus, beatum Jacobum in provinciam revocare ſategit: regis literarum tenor fuit: *Audivimus, quod vos Reverendiſſime Pater, forſan per noſtros inimicos exhortati, in ira de noſtro regno ſeceſſiſtis. Nunc autem ſancte Pater, hoc plurimum diſplicenter ſentimus; & vos adeo peſſime de nobis judicare, non hominem chriſtianum reputando, ſed tanquam paganum per chriſtianitatem diffamando. Quamobrem ſupplica-*

Et Catholicis aſſeritur.

nus

(A) Vadingus ad annos 1432 & 35.

mus humiliter Paternitati veſtræ, intuitu Dei omnipotentis, venire ad nos dignemini, nosque coram auſcultare &c. Tot preces humiles ſane, & ſic concepta laceſſiti regis epiſtola, perſvadent omnino beatum Jacobum gravioribus, quam pro merito ſuſpicionibus laboraſſe, nec ſatis æquum de rege judicium tuliſſe. Reditum, quem tunc rex impetrare non potuit. Jacobo per ea tempora in Syrmio, ac Hungaria agente, perſvaſit demum Joſephus Boſnæ Præſul anno 1437 tunc Diaci degens. Verum, utcunque ſe hæc habeant, Tvartki II. fidem Catholicam, ac devotionem ad ſedem Apoſtolicam commendat apud me, & præſentia ejusdem in Conſtantienſi Concilio (A), & expetitus a ſede Romana legatus; quodque in literis (B), quibus Thomas Pharenſis Epiſcopus per Boſnam legatus Apoſtolicus eſt inſtitutus, *Rex Tvartkus* ab Eugenio IV. *dilecti filii* appelatione, propria Catholicorum principum, exornetur; demum & diuturna legati ejusdem apud Regem eundem, regnumque commoratio, quæ ſine amplo animarum fructu non effluxit: tandem, magna Boſnenſium, hoc Rege, ad fidem Catholicam acceſſio, quæ ſine cooperatione, conſortioque Regis facta eſſe, vix prudenter cogitari poteſt: acceſſionis autem ejusmodi teſtem habemus Eugenii IV. epiſtolam, anno 1442 datam ad univerſos Chriſti fideles, quam Colloquio præcedente induximus: teſtatur ibi Pontifex *Illyrios*, quo nomine, ex uſu illorum temporum, Boſnenſes intelligit; *pro cognitione veritatis Evangelicæ, ad ſuam, & Florentini Concilii præſentiam cum Triballis*, hoc eſt: Serblis, *acciſſiſſe, & illuſtratos Spiritu ſancto, fidem Romanæ Eccleſiæ complexos eſſe, ac obſervare.*

Thomas Pharenſis Epiſcopus, Legatus Apoſt. apud Tvartkum II.

Græci-Ritus Boſnenſium acceſſio ad fidem Cathol. in Florentino Concil. Tvartko II. rege.

SERBL. Longius, quam par erat, in vindicanda Tvartki II, Raſciæ, ac Boſnæ Regis Catholica fide proceſſiſti: epiſtolam Eugenii IV. ad Thomam Pharenſem, ſi tibi ad manum eſt, profer; ex ea plura fortaſſe diſcemus.

BULG. Ea ſic habet: *Eugenius Servus Servorum Dei, Venerabili fratri, Thomæ Epiſcopo Pharenſi, noſtro, & Apoſtolicæ ſedis legato, miſſo in regnis Croatiæ, & Boſnæ, & omnibus terris ſubditis DILECTO FILIO NOBILI VIRO STEPHANO MAGNO VAJVODÆ SUPRADICTI REGNI BOSNÆ* (C) *Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum Te pro magnis, & arduis noſtris, & S. R. E. negotiis, & pro exaltatione fidei Catholicæ, ſalute animarum, & pace, ac bono ſtatu partium earundem, tanquam nuncium veritatis, & pacis, ad ſupra dictas partes præſentialiter deſtinamus: Nos volentes tuam honorare perſonam. & illa tibi concedere, per quæ perſonis illarum partium Te poſſis reddere gratioſum, Fraternitati tuæ, uſque*

(A) Bonfinius citatus. (B) Eugenii IV. epiſt. anni 1439. (C) *Vajvodam* appellat ſtylo veteri, quod regni inſignia ſedes Apoſtolica Boſnæ nondum decreviſſet.

ad numerum trium perſonarum, MILITIS FACIENDI, ejusque omnia inſignia, & honores dandi, quibus Milites legitime facti utuntur, & uti poſſunt: itaque, ut ipſi, quos milites feceris, gaudeant, & gaudere poſſint omnibus immunitatibus, & honoribus, iisque inſignibus uti, & frui, quibus utuntur, & fruuntur viri, qui ordinem militarem legitime acceperint, authoritate Apoſtolica tenore præſentium plenam, & liberam concedimus facultatem. Datum Florentiæ anno Incarnationis Domini 1439 pridie Idus Septembris, noſtri Pontificatus anno IX. Scio & hanc legationem a nonnullis ad fidei ſimulationem trahi. Sed hos ego non hiſtoricos, ſed hariolos, ac divinatores appellandos putem; & homines præjudiciis occupatos, quibus nihil integrum, nihil ſincerum, & æqua omnia ſuſpecta ſunt. Cæterum & diploma Joanni Marnavicio conceſſum anno 1426, in quo Ttinitatis, Divinitatis Chriſti, ac myſteriorum ejus Incarnationis, Redemtionis, & Sanctorum Dei cultus, ac veneratio exprimitur (A), ſatis evincunt Tvartkum II. nihil commune cum ſecta Patarenorum habuiſſe, quibus cuncta hæc fuerunt ludibrio.

SERBL. Thoma Pharenſi legatione fungente apud Tvartkum II. inde ab anno 1439, Rex nulla poſt ſe prole relicta, anno 1443 extinctus eſt. Ceſſio Celejenſibus facta anno 1427 vim apud Regnicolas nullam obtinuit. Collatis ergo ſuffragiis *Stephanus Thomas* ex ſtirpe Chriſtichia rex ſalutatus eſt. Is, quanquam a teneris catholice inſtitutus, nondum tamen baptiſmo initiatus, hærebat etiamnum anceps, ut ajunt, & incertus, in quam ſe partem daret, &, cui potiſſimum religioni nomen adſcriberet.

XIV. Stephanus Thomas, rex Raſciæ, & Boſnæ.

BULG. At cum idem ſtatim ab electionis exordio multa obſervantiæ ad Sedem Apoſtolicam indicia præbuiſſet, hortatore Thoma legato, ad Catholicos denique animum inclinavit; atque ex Ritu Romanæ Eccleſiæ, damnata omni hæreſi, per Joannem Carvajallum, tunc Rotæ Romanæ Auditorem, poſtea Cardinalem ſancti Angeli, & legatum Apoſtolicum, baptiſmo luſtratus eſt (B). De ea Regis converſione, &, ut videtur, ad ipſum Ritum Romanum tranſitu Eugenius IV. anno 1446 III. Kal. Auguſti ſcripſit ad Prælatos, ac proceres Hungariæ, quibus Regem impenſius commendabat: en epiſtolam: *Eugenius &c. univerſis, & ſingulis regni Hungariæ Prælatis, Ducibus &c. - - Glorioſa Dei noſtri opera, quæ diebus noſtris in ſuæ fidei augmentum, ſua miſericordia facere dignatur, talia ſunt, & tanta, ut nedum latere poſſint eos, apud quos fiunt, ſed per remotiſſimas orbis partes velociſſime divulgentur. Quod itaque apud*

Baptiſmo Ritu Romano initiatur.

nos

(A) Diploma produxit Reverendiſſimus Kerchelich in not. prælimin. p. 257. ex Diſſertatione typis Vaticanis edita anno 1632, cui titulus: Indicia vetuſt. & nobil. Familiæ Marnaviciæ Niſſenſis, per Joannem Tomeum. (B) Raph. Volateranus, & Æneas Sylvius c. 10. apud Freherum T. 2. Scriptorum Germaniæ.

nos jam certum est, ac diffusum, vobis omnibus, qui estis propinquiores notum esse non dubitamus: CHARISSIMUM IN CHRISTO FILIUM NOSTRUM STEPHANUM THOMAM, REGEM BOSNÆ ILLUSTREM, *post multos, diversosque tractatus diu habitos cum Venerabili fratre nostro Episcopo Pharensi, quem apud illum in suo regno Apostolicæ sedis legatum annis septem tenuimus; tandem factum esse Catholicum Christianum. Cujus novi lætitia nos, & venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales, aliique Prælati, & præstantes viri diversarum orbis partium Romanam Curiam frequentantes, exultavimus, sicut & vos lætari credimus - - - Vos itaque omnes, & singulos - - in Domino exhortamur, atque etiam vobis mandamus, ut supradictum Bosnæ regem, omnesque regni sui subditos eidem in fide Catholica consentientes, in cunctis, quæ quomodolibet occurrant, commendatos suscipientes, necessarios eis favores, sponte vestra, &, quoties fueritis requisiti, præstare velitis* &c. Datum Romæ ad S. Petrum anno 1446 III. Kal. Aug. Pontific. nostri anno XVI. Hæc hoc anno: præcedente vero filium Stephanum natalium dignitate donavit (A).

SERBL. Thomæ novello Catholico, nihilne favorum, præter nudum Regis nomen, titulumque a sede Apostolica obvenit, aut oblatum est?

BULG. Obtulit & regni insignia, & tres, aut quatuor Latinos Episcopos in gremium regni inducendos, utrumque vero favorem, ut res tunc erant, sapienter Rex deprecatus est: primum quidem, ne Amuratem Turcum, cui post Varnensem cladem anni 1444 tributum XXV. millium aureorum addixerat, ea intempestiva honoris pompa, in se, regnumque provocaret: alterum, ne Schismaticos, & Patarenos, quorum adhuc magna in regno turba, nec minor potentia fuit, solio nondum firmato, a se alienaret (B).

Eugenius IV. P. offert regi insignia, & plures Latinos Episcopos, rex deprecatur utrumque.

SERBL. Verum, deprecatione eadem, quamcunque justa, ast imprimis familiari consvetudine, quam cum præpotentibus Patarenis adhuc fovebat, apud non paucos in simulatæ, aut fors etiam mutatæ fidei suspicionem incidit: ut adeo a Fratribus Minoribus, inconsulto sane zelo, sacris mysteriis, velut hæreticorum fautor, arceretur, ac excluderetur.

BULG. At, suspicionem temere conceptam per nuncium suum ad Papam, multiplici Catholicæ, sinceræque suæ fidei, in qua a teneris educatus fuerat, testificatione, ipsaque præsenti necessitate cum

Suspiciones de fide diluit.

(A) Eugen. IV. L. 24. p. 77. (B) Gobelinus L. XI. Orbinus. Sagredo memorie dei monarchi Ottomani.

cum præpotentibus Manichæis amice, familiariusque versandi, denique & judicio legati Apostolici, cui causæ totius examen, ac cognitio delata fuerat, diluit, dissipavitque anno 1445. Mox vero sequente penitus elisit, cum in generali regni conventu, Patarenæ hæresi modum aliquem, limitemque circumscripsit, inhibita novorum templorum structura, & labantium instauratione.

SERBL. Si tibi Regis, Comitiorumque decretum ad manum est, illud etiam ad memoriam posterorum isthuc inferamus.

BULG. Quod optas decretum: his verbis conceptum erat (A):

Ejus decretum in Comitiis generalibus anni 1446.

Nos Stephanus Thomas D. G. Rasciæ, Serviæ, Primordiæ, partium Dalmatiæ, & Croatiæ Rex. Memoriæ mandamus vigore præsentium significantes, quibus expedit. Convenientibus nobis in pago nostro Conic. in generali nostra congregatione fidelibus nostris universis Prælatis, Baronibus, Vajvodis, ac Proceribus, electisque omnium Comitatuum regni nostri Nobilibus quibuscunque: tractantibus de his, quæ ad utilitatem, & tranquillitatem sunt respicientia: iidem ante dicti proceres inter alias eorum laudabiles ordinationes exhibuerunt, & præsentarunt certos articulos, nempe infra scriptos: humiliter supplicantes, ut eosdem articulos confirmare dignaremur: quorum quidem articulorum talis est PRIMUS: Ne Manichæi nova templa construant, nec vetera collabentia restaurent. SECUNDUS: Bona data Ecclesiis non auferantur. TERTIUS: Si quis extracto gladio occiderit hominem, regali judicio tradatur in carcerem, & omnia bona sua dividantur in duas partes; una regali fisco vindicetur, & alia filiis, seu cognatis, vel parentibus jugulati. QUARTUS: Quod Consiliarii, Secretarii, Vajvodæ, & Comites sedis regiæ post adhibitionem, solemniter regi præstent juramentum. QUINTUS: Quod Herczeg Sancti Sabæ sit illegitimus, nisi per regem Rasciæ, Bosnæ, seu Illyriæ eligatur: & post electionem præstet juramentum (B) *Regiæ Majestati: Si autem non præstito juramento officium exercere præsumat, eum Majestas regia puniat. SEXTUS: Quod incæstuosi, & corruptores consanguineorum suorum pœna capitali puniantur: SEPTIMUS: Proditores castrorum, vel suorum Dominorum, pœna infidelitatis: pari modo & cusores falsarii monetarum. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam, constitutiones ipsas in præsentem libellum conscriptas, & positas, de Dominorum Prælatorum, Vajvodarum, & Nobilium totius regni voluntate, & Consilio communi, nostri Sigilli appensione communiri fecimus. Datum Conizii per manus Reverendi Patris in Christo Domini Villemiri Vladmirovich, Episcopi Cresovienſis, & Narentinarum Ecclesiarum Græcani-*

(A) Ex Monumentis FF. Ord. Minorum Bosnæ Argentinæ. (B) Stephanus a Friderico III. Dux S. Sabæ creatus Tvartko II. regnante: ne Regum obedientiæ se subduceret, occursum est hoc articulo.

tanici Ritus, Aulæ noſtræ Secretarii, & Græcanicarum literarum, ac legum Doctoris dilecti, & fidelis noſtri. Anno Salvatoris MCCCCXLVI. in feſto Sancti Joannis Baptiſtæ regni noſtri anno tertio. Præſentibus Venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis, Thoma, Epiſcopo Pharenſi, Apoſtolicæ ſedis Legato. Theophano Dioclæ, ſeu Pechinæ Patriarcha noſtri regni Raſciæ Græcanici ritus. Maximo, Serviæ Metropolitano Græcanici Ritus. Joanne, Machvæ Metropolitano, Græcanici ritus. Theodoro Paugna, Metropolitano, cæterisque Dominis, Vladicis noſtri regni de ritu Græcorum. Item Reverendis in Chriſto, ac clariſſimis Patribus Eugenio Summa, partium noſtri regni Raſciæ Nuncio, & Commiſſario Apoſtolico, & Generali Inquiſitore Ordinis S. Franciſci. Michaele Jadrenſi Vicario Boſnæ Fratrum prædicti Ordinis. Item Spectabilibus, ac Magnificis Stephano Hercznegh Sancti Sabæ, ac filiis ſuis. Radivojo chariſſimo noſtro fratre, & Bano Jaizæ. Radivojo Vladmirovich, Comite; & Judice Curiæ noſtræ. Stephano Vladkovich, Conſiliario noſtro, ac Uſſoræ Bano. Joanne Covachich, Vajvoda partium noſtrarum Dalmatiæ. Petro Paulovich, Vajvoda Glaſinzi, & Dapiferorum noſtrorum Magiſtro. Paulo Crubetich, Zvorniki Vajvoda Magiſtro Pincernorum. Nicolao Altomanovich, Vajvoda Valjevi, & præfecto partium regni noſtri Serviæ. Valemiro Jamometovich, Vajvoda, & Præfecto regni noſtri Raſciæ. Et aliis quam pluribus Regni noſtri Vajvodis, Vajvodatus tenentibus, & honores.

Prælati Græci Ritus, Thoma rege comparente per regnum ejus Raſciæ, Boſnæque.

SERBL. Stephanum Thomam in catholicorum regum numero fuiſſe, eſt extra controverſiam, ſeu documenta producta, ſeu generalium Comitiorum decretum ſpectem. Primus in eo, & ante *Patriarcham Pechinæ*, ac Metropolitas Græci Ritus, Thomæ Pharenſi Epiſcopo ſedis Apoſtolicæ legato, locus, ſtatioque tribuitur. An hoc vero honoris tantum, aut unitatis etiam argumentum Græcorum antiſtitum cum ſede Romana æſtimari poſſit, non definio. Id probe ſcio, *Theophani Patriarchæ* nomen à catalogo noſtro Serblico Pechinenſium Patriarcharum abeſſe omnino, qua vero de cauſa, ignoro. Quod hic miror magnopere, illud eſt: Latini Ritus Boſnenſem Antiſtitem, quisquis tunc fuerit, a conventu abfuiſſe, nec memoriam ejus occurrere, cum Fratres Minores inſcripti legantur.

BULG. Non deſunt, qui ex Apoſtolici legati conjunctione cum Græcis, ac potiori loco conjecerint, antiſtites illos Græcanici ritus communionis Catholicæ participes fuiſſe (A). Ego huic conjecturæ nondum ſubſcribo, probe gnarus, generalem regni, qualis iſte fuit, conventum, non meros, ſolosque Catholicos, ſed complures a ſede Romana diviſos, & ſectæ quoque Patarenæ aſſeclas in medio ſui

Affirmatur conjunctio fuiſſe Eccleſiæ Romanæ.

(A) Farlatus T. 4. P. 6. Illyr. Sac.

numeraſſe. Eſt tamen, unde firmiori argumento doceam iſtorum Raſciæ, Boſnæque Græci Ritus antiſtitum cum ſede Romana concordiam hoc tempore; Eugenii ſcilicet epiſtola ſupra laudata (A), in qua ille præter *Triballos*, ſeu *Servios*; *Illyricos* quoque *ad Synodum, ac Papam Florentiam acceſſiſſe, illuſtratosque lumine veritatis Catholicæ, Romanæ Eccleſiæ fidem complexos, & obſervare* tradit. *Illyricorum* autem nomine *Boſnenſes* tunc veniſſe manifeſtum fit etiam ex ipſo decreto paulo prius relato (B). Quod *Theophanes* a Catalogo Serblico Patriarcharum abſit, inde factum reor: quod, ſicut Servia, Raſciaque parte una id temporis per *Georgium Deſpotam*: parte altera per *Stephanum Thomam* diviſis juribus gubernabatur: ita utroque principe prærogativam conſtituendi Patriarchæ ſibi vendicante; duo per eadem tempora *Pechinæ Patriarchæ* exſtiterint. Latini ritus Epiſcopum Boſnenſem a conventu generali abfuiſſe neque illic memorari, ne mirum videatur: cum enim tunc Eugenius (C) duos ex Minorum Ordine in provinciæ gremio manſuros deſignaſſet Epiſcopos, *Stephacum*, atque *Antonium*; atque unum *Boſnæ Chrobatinæ*, alterum *Uſſorianæ*, ob amplitudinem provinciæ, præponere in animo habuiſſet; Rege eam auctionem deprecante; neuter durante illo conventu generali ſedem adiit; quæ poſtea ſoli *Stephano* obvenit (D). Hanc ergo tunc cauſam fuiſſe opinor, quod Boſnenſis Latini Ritus Epiſcopus in Decreto nullus memoretur.

Cur Epiſcopus Latinus a Comitiis abfuerit.

SERBL. Soluto generali regni conventu, Thomas Pharenſis munere legati defunctus, multarum palmarum Præſul, ſedem ſuam, hoc eſt: Pharum, Dalmatiæ inſulam, repetiit.

XV. Novus legatus Apoſtolicus per Boſnam Thoma diſcedente.

BULG. Nicolaus V, qui Eugenio anno 1447 ſucceſſit Thomæ Pharenſi Conſtantienſem Epiſcopum legati nomine ſubſtituit (E). Is vero cooptatis ſibi Fratribus Ordinis S. Dominici, Joanne Oleario, aliisque e Raguſæo cœnobio, quam plurimos ad frugem reduxit: monumenta congregationis Raguſanæ Fratrum Prædicatorum hæc de Joanne prodiderunt: *Is in regno Boſſinatum Manichæorum hæreſi plurimos, & maxime Regulos jam diu infectos dignoſcens, a Nicolao V. anno* 1450 *poteſtate habita una cum pluribus inſtituti ſui fratribus, Boſnæ, & Serviæ peragratis provinciis, complures principes regni, & nobiles*

(B) Incipit: *Poſtquam ad apicem:* quam retuli Colloquio XI. (B) Nam in ejus principio lego: *Boſnenſium Illyricorum:* & paulo infra: *Boſnæ ſeu Illyriæ.* (C) Author Viridarii Seraphici. Vacabat enim ſedes Boſnenſis poſt Raphaelem Herczeg de Zegezev: qui in Catalogis Hungaricis occurrit duntaxat ad annum 1444. (D) Author Viridarii: ſed *Stephanus* abeſt a Catalogis Hungaricis, quod per Regem præſentatus non fuerit. (E) Raynaldus.

nobiles ad fidem vocavit. Sed idem Nicolaus V. Thomam Pharenſem, de Boſna optime meritum, rurſus legati Agoſtolici titulo decoratum in veterem arenam miſit, & datis die 26 Januarii anno 1450 literis, Boſnenſibus commendavit.

Redit Thomas, Pharenſis Epiſcopus, Legatus Apoſt.

SERBL. Exarſerat per hoc tempus grave, pernicioſumque bellum inter Stephanum, S. Sabæ Ducem, & Raguſæos. Hi bello feſſi, fractique ad patrocinium Romani Pontificis confugerant, qui pro zelo ſuo *Pagaminum*, Dulcinenſem Epiſcopum, pacis conſtituendæ cauſa ad Ducem ablegavit, additis ſaluberrimis monitis, cohortationeque.

BULG. Nec fruſtra fuit legatio: Dux enim perſtrictus Pontificia admonitione, factum purgaturus, Oratores Romam deſtinavit. Ex quibus poſtquam Nicolaus V. cognovit, pacem inter diſſidentes reſtitui poſſe, ſpem etiam concepit Ducis ab erroribus revocandi. Quare edocto Thoma Pharenſi de univerſis, legationis ejus munus, datis literis anno 1452, ad Raguſam quoque extendit, zelumque viri excitavit, ad reducendam inter diſſidentes pacem, extirpandamque de finibus illis Manichæorum ſectam: certa namque ſpes tenebat Pontificem antiſtitis hujus præſtantiſſimi opera Ducem quoque ad rectam fidem adduci poſſe. Nec ſpes concepta fefellit: nam favente numine Thomæ omnia ex voto ceſſerunt: ut enim ex Pii II. Papæ literis (A) elucebit, & pax Raguſæis eſt reddita, & Dux damnatis erroribus ad gremium Eccleſiæ rediit.

Pacem reducit inter Raguſæos, & Ducem S. Sabæ, quem Catholicis adjungit.

SERBL. Nicolao V. anno 1455 in Cathedram ſucceſſit Calliſtus III, & in hujus locum Pius II. anno 1458 ſublectus eſt. Utrumque more, exemploque anteceſſorum Thomæ Pharenſi munus legationis Apoſtolicæ, quod tanta cum laude, fructuque geſſerat, prorogaſſe, confirmaſſeque non ambigo. Quæ his Pontificibus acta ſunt, paucis decurramus.

BULG. Rex Stephanus Thomas, cum Calliſto recens admoto inter gratulationes, filialem obedientiam detuliſſet anno 1455. Pontifex grata officia habuit, ac Regem cum filio Stephano, regnoque univerſo in protectionem ſedis Apoſtolicæ ſuſcepit, datis ad ipſum literis, de quibus hæc pauca decerpo: *Cum igitur zelum tuæ devotionis recenſentes, etiam ante aſſumtionem noſtram agnoſceremus, & nunc etiam ex relatione Nobilis viri, Nicolai Jacobi Feſta, oratoris tui, Serenitatem tuam ardentiorem fieri ad ea, quæ in augmentum Chriſtianæ fidei redundant* &c. (B). Anno vero 1457 per Oratorem eundem apud Calliſtum, cæterosque principes chriſtianos auxilia adverſus Mahometem, qui capta Conſtantinopoli acrius regno ſuo imminebat, opemque conquiſivit. Et, cum præclara æmulatione

XVI. Calliſtus III. Thomam regem cum filio Stephano in protectionem ſuſcipit.

(A) De anno 1460 quas infra referam. (B) Raynaldus.

latione Hunyadis, ac Scanderbegi excitatus, bellum in Turcos decreviſſet, Nicolaum Sibenicenſem, fratrem Ordinis Minorum ad Pontificem deſtinavit, qui crucis vexillum prece Pontificia conſecratum in victoriarum auſpicium ſupplex expeteret. Annuit Pontifex, & collaudato Regis conſilio, Crucem, vexillumque per Joannem Carvajallum, Apoſtolicum per Hungariam legatum Regi tradi juſſit, ac tertiam inſuper decimarum partem addixit, cum jam antea unam Ladislao, Hungariæ Regi, alteram Scanderbego, Albaniæ principi detuliſſet (A),

Thomas rex obtinet vexillum S. Petri.

SERBL. Egit hæc Stephanus Thomas Calliſto III. Pontifice: Pio autem II. in ſolium Eccleſiæ provecto, fors & luculentiora zeli pro fide catholica edidit ſpecimina.

BULG. Ita eſt: duo præclari ejus zeli documenta, exemplaque conſignata invenio: *Unum*, quod edictis ſeveriſſimis, pœnisque graviſſimis propoſitis juſſit Patarenos, aut fœdæ hæreſi nuncium mittere, aut regno ſuo excedere. Et tradunt, tunc ad duo millia hæreſim ejuraſſe. Ternos e primariis dynaſtas pertinacius ſectæ adhærentes Romam transmiſit, ubi Svavi *Natalis Nonenſis* Epiſcopi opera in Sinum Eccleſiæ revocati ſunt. Sed cum ex his duo Catholici in Boſnam rediſſent, tertius in via a fide deſciſcens, converſo itinere Herzegovinam, ad Stephanum Coſſaciam, ſancti Sabæ Ducem conceſſit, in cujus ditionem tunc & alia XL. Patarenorum millia immigraſſe feruntur, quod novis diſſidiis occaſionem præbuit. *Alterum*, quod univerſos Duces ac Dynaſtas cum vexillis, militeque in *Campum Coſſovo*, Chriſtianorum copioſo ſanguine rigatum, coire juſſit. Convocatoria Regis epiſtola de III. Junii anno 1459 hæc fuit (B): *In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Stephanus Tomaſevich Dei Gratia Raſciæ, Serviæ, Boſnenſium, ſeu Illyricorum, Primordiæ, ſeu Maritimæ, partiumque Dalmatiæ, & Chroatiæ Rex &c. Univerſis noſtris fidelibus Dominis Prælatis, Baronibus, Magnatibus, Comitibus, Vajvodis, Vice Comitibus, Generalibus, Tribunis, Centurionibus, Nobilibus, Juratis, Civibus, & alterius cujusque ſtatus, ac condicionis ſub noſtra ditione conſtitutis, & exiſtentibus, ſalutem, & gratiam noſtram. Notum judicamus unicuique pio Chriſtiano, quo vulnere ſauciata ſit Chriſtianitas hac noſtra tempeſtate a perfidis Mahometanis: quapropter meditatio cordis noſtri aſſidua, ad id ſummopere invigilat, & intendit, ut boſtes Chriſtiani nominis, a quibus tot inſidiis, atque damnis laceſſita eſt fides noſtra, & jam vicinum Mahometum, eorum Imperatorem, qui infidelium, & paganorum coadunatione multiplicata,*

Acta ejus in Patarenos.

Convocat exercitum contra Turcos.

(A) L. 1. Brev. p. 97. (B) Ex Archivo FF. Minorum Boſnæ Argentinæ, & apographo conventus Sancti Spiritus Foinicæ.

ta, ruinam, & exterminium firma intentione minatur, procul a noſtræ regionis finibus arceamus, ne pedes pagani ad noſtra limina ponantur, neve hoc regnum ex improviſa paganorum invaſione, & incolarum inadvertentia, in lacrymabilem caſum iuvolvatur, penitusque dirimatur, quemadmodum ſuperioribus temporibus, & in proximis diebus evolutis exemplari intuitu aliis nationibus per eundem Imperatorem Turcarum illatum fore jam experti ſumus. Et quis Chriſti fidelis, & fervidus orthodoxæ fidei cultor lacrymas continere poterit, conſiderando urbis Conſtantinopolitanæ direptionem. Eapropter prænominati fideles noſtri Barones, Prælati, Nobiles, Vajvodæ, & Proceres regni imprimis, & nominatim Stephanus Coſſarich, noſter fidelis Herczegh ſancti Sabæ cum filiis & vexillis. Radivoi Jablanovich, Chariſſimus patruus noſter, Banus Jaicæ. Stephanus Stanich, Vajvoda Primordiæ, ſeu Maritimæ cum vexillo. Momcillus Thomanovich, Uſſoræ Banus cum vexillo. Petrus Covachich Vajvoda Pougna. Vuk Greblianovich, Comes Liuna, & Vajvoda Pruſſi cum vexillis. Radivoi Vladmirovich Comes, & Judex Curiæ noſtræ cum vexillo. Vajvoda Micinovich cum vexillo. Paulus Crubetich, Vajvoda Zvorniki, & Mathvæ cum filiis, & vexillo. Vajvoda Joannes Skatich, cum vexillo. Vuladislaus Vukich, Vajvoda, & Præfectus Raſciæ cum filiis & vexillis. Dejan Altomanovich, Præfectus Serviæ, & ſuper mineralia Reſendariorum noſtrorum magiſter cum vexillis. Vuksa Veſſelichich Vajvoda novi Caſtri prope Raguſium, & Præfectus partium Maritimarum cum vexillo. Marcomir Brankovich, Vajvoda Podvinie, ac Tribunorum noſtrorum ſupremus magiſter cum Tribunis, & centurionibus electis nobis hominibus ſingulorum Comitatuum ejusdem regni noſtri in campo Coſſovino, hoc menſe Junio congregati ſuper eo, generaliter huic Draconi occurrere debemus, ne venenum ſuper nos evomat. Datum Priſtinæ die 3. Junii, anno 1459.

SERBL. Dum vires ſuas per Boſnam in unum colligit Rex Thomas Stephanus, repetiturus Serviam cum Semendria, nuper ſibi a Mahomete præreptа: ad conventum quoque Chriſtianorum principum, quem Pius II. pro fœdere adverſus Turcos jungendo, anno hoc eodem Mantuæ celebrabat, oratores ſuos deſtinavit. Quæ eorum petitio fuerit? quid in regis, regnique commodum egerint, quantumve profecerint, audire cupio.

Mittit Oratores Mantuam Pio II. Pontifice.

BULG. Quæ dudum antea Eugenius IV. ultro obtulerat (A), hæc in Conventu illo Oratores Boſnenſes a Pio II. impleri ſupplices orabant: hoc eſt: ut ſedes Apoſtolica poſt ejectos ditione Manichæos, Regale diadema, ſceptrumque Stephano conferret, ac præterea duos, aut tres Latini Ritus Epiſcopos regno præficeret, qui rem Catholicam tuerentur; & propagarent, ac ſucceſſuris in regno conſe-

Petit coronam, & Epiſcopos Latinos complures. Obſtant legati Hungariæ.

(A) Nempe anno 1446.

conſecrationem, & inſignia ſolemni ritu præberent. Petitioni utrique Oratores Mathiæ, Regis Hungariæ acriter obnixi ſunt; conteſtati utrumque ſupremo Regum Hungariæ juri omnino adverſari (A): quin & Regem Stephanum ob traditam nuper Mahometo Semendriam, velut rei chriſtianæ proditorem, acerbe criminati ſunt. Facti invidiam Oratores Boſnenſes diluere, depellereque; aggreſſi, id, quod Regi ſuo crimini dabatur, facile in neceſſitatem ineluctabilem transtulerunt: &, quanquam petitionem ſuam gravibus fulicerent argumentis, nec tamen, quod quæſierant, impetrare tunc potuerunt, ne nova diſſidiis principum jacerentur ſemina. Inter has inanes principum chriſtianorum contentiones, quos maxime, arctiſſimeque præſens temporum calamitas, periculaque conjungere debebant: nova apud Pium accuſatio adverſus Stephanum Regem adfuit, adornata a Stephano Coſſarich ſancti Sabæ Duce. Querebatur ille nuper compoſitam per Pontificium Oratorem pacem violaſſe Regem, Turcorum exercitum in ſe exciviſſe graviſſima Ducatus illius, & chriſtianorum pernicie: nec his damnis contentum, agere nunc Regem, ut validiſſimum Ducis caſtrum *Ciaſina* in Turcorum poteſtatem veniat.

Accuſationes adverſus Thomam regem porrectæ.

SERBL. Contendentibus in hunc modum Principibus Chriſtianis, ſeque invicem laceſſentibus: fidemne objectis criminationibus adhibuit, aut, cui tandem parti detulit Pontifex?

BULG. Auditis querelis, cum, quæ referebantur, ſatis explorata non eſſent, Pius Thomæ Pharenſi, legato ſuo provinciam veſtigandi, ac certius cuncta cognoſcendi detulit; utque malis diſſidiisque, qua poſſet remedium adferret, injunxit (B). *Intellexcimus* inquit Pius, *non ſine præcipuo animi dolore Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Stephanum Thomam, Boſnæ regem illuſtrem, violata pace inter eum, & dilectum filium Nobilem virum Ducem Stephanum ſancti Sabæ interventu Oratoris noſtri firmata, ac ſtabilita, perfidiſſimis Turcis adhæſiſſe, illosque in patriam ipſius Ducis adſciſcendo, maximis calamitatibus regiones illas ſubjeciſſe: ob quod, quam plures animæ Chriſti fidelium in miſerrimam ſervitutem abductæ exſtiterunt. Nec contentus ſupradictis idem Rex, quærit, & procurat, ut caſtrum Ciaſinæ, quod ad dictum Ducem ſpectare dignoſcitur, in Turcorum poteſtatem deveniat, quæ res ſi ſequatur, non modicum periculum chriſtianis finitimis immineret, cum caſtrum hujusmodi non parvi momenti habeatur. Nos dolentes ab intimo hæc mala eveniſſe, &, ut pax prædicta tanto labore etiam ad dicti Regis inſtantiam procurata, ita turbata fuerit; ac intendentes, ut ſuper his juſtitia miniſtretur: de prædictis certam notitiam non habentes, Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut ſuper præmiſſis omnibus*

Vocantur in examen.

(A) Ferunt alii Coronationi ſoli Hungaros obſtitiſſe. (B) Per Literas de die 18. Januarii anno 1460.

omnibus, ac eorum circumſtantiis univerſis te diligenter informes, & vocatis procuratoribus partium, ſi prædicta vera eſſe repereris, memoratum Regem, & quoscunque alios excommunicationis ſententiam incurriſſe, declarare, ſicut de jure fuerit faciendum, & pro cauſa fidei videris expedire, poſſis, & valeas, civitates, & loca, ſi opus fuerit etiam Eccleſiaſtico interdicto ſubjiciendo: dictosque excommunicatos ab omnibus evitari mandes, donec a præmiſſis ſe penitus retraxerint, & ad eor reverſi, abſolutionis beneficium meruerint a ſede Apoſtolica obtinere. Super quibus plenam, & liberam tibi harum ſerie concedimus facultatem, Datum Mantuæ ſub annulo Piſcatoris die 18. Januarii anno 1460 Pontif. II.

XVII. Rex Thomas, & Stephanus, S. Sabæ Dux, Catholici.

SERBL. Ex delata, Ducis ſancti Sabæ nomine, ad thronum Pontificium querela, tituloque *dilecti filii*, quo ornatur, ac denique ex Procuratorum partis utriusque citatione Legato Apoſtolico demandata; jam & mihi plene pervaſum eſt, tam Regem, quam Ducem in numero Catholicorum exſtitiſſe, ac Pontificis, velut patris communis foro cauſam omnem ſubmiſiſſe. At, quid ſocerum Ducem, eundemque feudatarium cum genero Rege commiſerit, &, quem lis hæc omnis finem acceperit, in obſcuro eſt.

Origo diſſidiorum interutrumque.

BULG. Thomam Pharenſem, legatum Apoſtolicum, jam anno 1452 pacem Raguſæos inter, ac Ducem reſtituiſſe, & Ducem ipſum abjurata hæreſi Romanæ Eccleſiæ conciliaſſe, antehac dixeram. Quod cum Duce eodem Regem commiſit, vix aliud erat, quam recepti per hunc in ditionem Manichæi, quos Rex anno 1459 Boſna expulerat, nec Duci clienti integrum fuit in regni fœdum recipere. Hoc ex fonte, quæ primum manarunt diſſidia, ſopitaque per Pontificium Oratorem fuerant, videntur recruduiſſe iterum. At componendis iis non continuo manum admovit Thomas Pharenſis, hinc ſeveritate Brevis Pontificii, inde negotii commiſſi difficultate procul dubio exterritus. Occaſionem, anſamque tergiverſandi inde captans, quod a Brevi Apoſtolico Pii ad ſe dato, titulus *Legati Apoſtolici* abeſſet, negotium proinde plena authoritate geri haud poſſet. Quod cum Pius accepiſſet, repetito Brevi eodem, hæc adjunxit: *volumus igitur, ac tuæ Fraternitati per præſentes iterum committimus, & mandamus, ut omnia, & ſingula in dicto Brevi contenta diligenter exequi ſtudeas, non obſtante, quod in ejus ſuperſcriptione non ſunt verba illa: APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, & aliis in contrarium facientibus quibuscunque.* Datum Senis ſub annulo Piſcatoris die 15. Aprilis anno 1460, Pontificatus noſtri II.

Cauſæ examen ſuſceptum a Legato Apoſtolico, nec terminatum.

SERBL. Poſt Breve repetitum, Thomam Pharenſem æquitati Regis confiſum, cui novæ ex novis calumniæ ſtruebantur, evocaſſe Procuratores partium, accuſationis capita in examen, ac trutinam accepiſſe non ambigo. At, an quærelæ Ducis comprobatæ, an Stephanus colluſionis cum Turca reus compertus ſit? verbo, quo fine cauſa invidioſiſſima terminata ſit? a nemine notatum comperi.

BULG. Nil mirum, ſi litis eventum ſilentio præteriere ſcriptores: nam cœptæ per legatum cognitioni cauſæ, finem impoſuit properata cædes Regis triſtiſſima. Excuſaverat quidem apud Pium, Cardinalis ſancti Angeli deditæ Turcis per Boſnæ Regem Semendriæ infamiam. Mathiæ Hungariæ Regis animo ſuſpicio eximi non potuit. Erat ergo illi ſuſpectus, imo & inviſus Rex Thomas, tum Semendriæ cauſa, tum ob clandeſtina, quæ jactabatur cum Mahomete miſcere conſilia. Aucta in immenſum ſuſpicio eſt, cum vulgatus, neſcio, quo authore rumor percrebuit: Mahometem diſſimulata perſona, monachi habitu, explorandorum præſidiorum cauſa Boſnam adiſſe, & cum Jaize verſatur agnitum, ſed a Rege, fraternitate inita, liberum dimiſſum eſſe. Ego, quanquam nec credam tam ſui prodigum Mahometem fuiſſe, nec Regem tam ſui incurium, ut prædam nobilem nullo ſuo proventu e manibus dimiſerit: rumorem tamen hunc, qualemcunque Luccarius, Orbinusque amplexi in ſcripta retulere, pluriumque ingeſſerunt animis; qui & illud addunt, Mathiam Regem ſpecie, obtentuque religionis filium, & fratrem in Thomam Regem excitaſſe, amplisque pollicitationibus in cœdem Regis animaſſe, quam illi etiam manu ſacrilega, ſtrangulato clam noctu in lecto Rege peregere in agro Belajenſi, cum Rex in Chrobatiam exercitum ducebat Vukmano Bano bellum illaturus anno 1460. Sed paricidas propria id ambitione, aut offenſione privata undecunque ſumta, egiſſe fors verius eſt: qui, ut ſcelus artificio tegerent, rumorem in vulgus edidere, Regem morbo familiari oppreſſum expiraſſe, levatisque caſtris, ſimulato luctu funus regium Suteskam in ædem ſancti Joannis ſolemni pompa intulerunt, condideruntque.

Suſpiciones Mathiæ R. H. de Thoma Rege.

Cædes Thomæ, Boſnæ regis.

XVIII. Parricida Stephanus in regnum ſuccedit.

SERBL. Sic ſublato Thoma rege Stephanus parricida thoro illegitimo ex Vojacia quondam ſuſceptus, & patre agente natalium honore donatus, vacuum Boſnæ thronum occupavit. Catharina Regina morte mariti regis conſternata, afflictaque, ac pejora verita in Dalmatiam ſe fuga proripuit, inde, ſeu parricidam Stephanum, ſeu Mahometem fugiens, Romam petiit, ubi Regali cultu Pauli, & Sixti Pontificum munificentia vitæ reliquum peregit. Eam detecto parricidio Mahometem ad ſumendam vindictam evocaſſe, ſtimulaſſeque ſcribit Orbinus. Sed, ſi tam arcto nexu & ipſa, & rex peremtus Mahumeto juncti fuerant, non erat, cur vidua fugeret: tuta enim tanto præſidio, & vindictam de parricida, & paternum thronum Sigismundo filio reddendum ſperare potuit.

Catharina, Thomæ conjux, Boſnam deſeruit.

Stephani regis geſta.

BULG. De Catharina Regina adhuc nobis ſermo redibit. Stephanus regnum adeptus, nihil antiquius habuit, quam, ut belli ſocietatem in Turcos cum Mathia rege conſtitueret. Is enim cum a puero myſteriis, doctrinisque catholicis imbutus eſſet, Manichæos, Turcosque toto animo averſatus, peſte, & angue pejus oderat. Sic cum comparato eſſet animo, primum oppidis, caſtrisque communiendis

dedit

dedit operam, ut his, velut fræno injecto hoſtiles procurſiones coerceret: & poſtquam ſancito cum vicinis chriſtianis fœdere regno proſpexit; Pium Pontificem per Oratores veneratus eſt: a quo redeunte in ſedem ſuam Thoma Pharenſi, Nicolaum Modruſienſem Epiſcopum legatum Apoſtolicum anno 1462 accepit. Deſtinationis hujus graves cauſas habuiſſe Pium ex inſtitutionis literis Nicolao datis (A) palam eſt: ibi ſic Pius loquitur: *Ut ea, quæ in certis aliis noſtris literis expreſſa ſunt, & quæ tibi verbo commiſimus, tam apud Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Stephanum Regem Boſnæ, quam apud dilectos filios nobiles viros ſui regni, & alios circumſtantes principes, & proceres cum exacta fide, & diligentia exequaris* &c. Sed legatus, qui ferventem Regis animum moderari debuerat, immaturo ſane, ac damnando conſilio Stephanum necdum a campeſtri militia, & exercitibus inſtructum, præceps egit: perſvaſerat enim, ut quæſtori Turcico annuum tributum depoſcenti, animoſius, quam prudentius denegaret, & oſtentatis majorum theſauris, vim vi repulſurum minaretur (B). Quo facto, cum belli molem a Mahomete irritato imminère ſibi proſpiceret, viresque ſuas ſuſtinendæ Mahometis potentiæ impares ſentiret, nec enim exercitum parem, quem in campo objiceret, collegerat; ſerius, quam oportebat de ſubſidiariis copiis conquirendis circumſpicere cœpit, & ad Pium Pontificem Oratores, auxilia, opemque imploraturos deſtinavit, atque, quo ſuis animos adderet, arctiusque in fide, ac reverentia contineret, negatum nuper Patri, Mathiæ regis cauſa, regale diadema rurſùm expetiit. Sed nec opportuna tempori, & ſera fuere hæc Stephani conſilia. Vix enim Roma diggreſſis oratoribus, ac nondum in Boſnam appulſis, Mahometes Sultanus, Mechmetem armorum ducem celeritate incredibili vaſto cum exercitu in Boſnam infudit. Bobovaz præſidium arduo monti impoſitum, atque ad defenſionem longam optime comparatum, quod hoſtem diu morari potuit, cum vix tentatum fuiſſet, eſt etiam interceptum Radich præfecto, inſigni Manichæo, qui ſe Catholicum ſimulaverat, auro, & pollicitationibus corrupto, Regem una, patriamque prodente (C). Inſeſſo ad hunc modum opinione citius per Turcos munimento prævalido, anona, omnique apparatu inſtructiſſimo, cum jam a tergo tutum ſe Mechmetes cerneret, declinatis, aut neglectis arcibus aliis, magna celeritate caſtra Jaizam promovit, Regem ipſum, quem exercitu deſtitutum noverat, ſi poſſet intercepturus: at is jam Kluesium ultra Sannam fluvium fuga evaſerat: fugientem igitur magnis itineribus inſequutus ibi demum obſidione concluſit, ac data ſalutis, & impunitatis fide ad faciendam deditionem permovit: occupatisque Boſnæ regum theſauris

Legatus Apoſtolicus Nicolaus Epiſcopus Modruſienſis in Boſna.

(A) III. Idus Decembris anno 1462. (B) Gobelinus L. XI. (C) Orbinus.

ſauris captivum ad Sultanum vaſto cum exercitu in Boſna excubantem, transmiſit. Sultanus Mahometes, ut inſignis dolorum architectus fuit, ſpe blanda demulcens regem ad imperandam ſcripto univerſis munitionum præfectis deditionem incautum adduxit. Ita octidui ſpatio, nullo prælio contracto, nulla ſanguinis effuſione, amplius ſeptuaginta, qua caſtra, qua oppida natura, arteque munitiſſima cum rege, & univerſo regno in poteſtatem redegit (A).

Rex, & regnum Boſnæ evertitur an. 1463 a Mahomete II.

SERBL. Capta tanta facilitate ditione omni, paucos poſt dies productus Rex in Mahometis conſpectum, crudeli morte cum Radivojo patruo, aliisque proceribus ſublatus eſt: Deo cædem Sacrilegam Thomæ regis vindicante. Mortis genus intertum manet, aliis ſtipiti alligatum, & ſagittis in agro Blagaienſi confixum (B), aliis cute exutum regem ſcribentibus (C).

De genere cædis, qua rex ſublatus eſt.

BULG. Certius eſt, quod Pius II. in Brevi ad univerſos fideles emiſſo anno eodem 1463 ſcripſit manu Mahometis trucidatum eſſe: en verba Pontificis: *in Boſna regem, qui ſalutem pactus, ſe dediderat cum patruo ſuo, Mahometes ipſe humano ſanguine inſatiabilis, ſua manu, ut fertur, jugulavit.* Quod confirmat & Bulla Pauli II. ad Ludovicum Francorum exarata (D). Conjugem ultimi Raſciæ, Serviæ, Boſnæque regis Stephani Mariam, filiam Lazari pariter ultimi Raſciæ, Serviæque Deſpotæ, fuga in Hungariam adornata ſubduxit: at theſauris, quos ſecum vehebat, Paulus Sclavoniæ Banus crudelius ſpoliavit, ultorem & ipſe Deum mox expertus, a Turcis, dum agrum ſuum vaſtantibus occurrit, circumventus & occiſus. Radivoi uxor Catharina ſoror Radoslavi Paulovichii cum Lubeſia filio, aliisque Boſnæ proceribus Raguſium evaſit: aliis quam plurimis ea rerum perturbatione ardui Dalmatiæ montes aſylum præbuere.

XIX. Pars Boſnæ a rege Mathia recipitur.

SERBL. Non diu in Mahometis poteſtate Boſna ſtetit. Nam pars ejus, quæ Verbaſſo perluitur, & Chrobatos propius attingit, ac Jaiczenſes cumprimis, oppreſſis Turcis in libertatem ditionem ipſi ſuam brevi aſſeruerunt cohortatione Fratrum Minorum animati, & protectioni Mathiæ regis ſe ſubmiſerunt (E): quibus ille anno 1464 Emericum de Zápolya regni gubernatorem præfecit (F), & poſt decennium *Nicolaum* ab Ujlak, ſic ab avita Syrmii urbe cognominatum, titulo, ac honore Boſnæ Regis donavit, qui tamen dignitatem

Ujlakius Nicolaus regis Boſnæ titulo donatur a Mathia R. H.

(A) Laonicus. Orbinus. (B) Cromerus Math. de Michovia. (C) Leunclav. Bonfin. Iſtvánffi. (D) Anno 1464 VIII. Idus Januarii. (E) Vadingus Sed Bonfinius obſidione, ac vi captam a Mathia tradit Jaizam cum ſeptem, ac viginti oppidis finitimis. (F) Rattkay L. 3.

gnitatem eandem ad Laurentium filium Ducem de Ujlak haud transmiſit. Utriusque ſepulcrale monumentum rubeo marmori inciſum, e ruderibus minoris Illokienſis (A) Eccleſiæ erutum, nec ante multos annos translatum, viſitur hodie in æde Divo Joanni Capiſtrano ſacra Fratrum Ordinis Sancti Franciſci: in qua conotaphium ipſius etiamnum oſtenditur: ingruente enim Solimano anno 1526 corpus Capiſtrani illibatum per pios Baſilitas ſolemni pompa Nagy-Szőlőſium translatum eſt (B). Hunc fortiſſimum Serviæ defenſorem, & Chriſti athletam & ipſe veneror. Marmor utrumque Ujlakiorum effigie inſignitum, dignum eſt, quod fideli ſcalpro exprimatur (C): nec ſupervacaneum erit, ſi, quæ in utroque occurrunt, accuratius exponas.

BULG. Unum ex his, quod inſcriptione caret, eſſe proprium Nicolai, regis Boſnæ, prodit regni ſymbolum *globus*, quem ſiniſtra ſuſtinet; paludamentum, quod ex humeris pendet; & regalis pileus, quem dextra premit (D): & ipſa denique ſenilis facies. Effigiem ſcuta quatuor circumſtant: Leo, qui dextra ſuperiore parte viſitur, primæ conjugis; faſciæ, quæ ſiniſtro inferiore latere occurrunt, ſecundæ conſortis ſtemma fuiſſe opinor: reſidua duo ſcuta, ſuperius, quod coronas geminas præfert, & inferius, quod aliis duabus coronis Nicolaus auxit, gentilitium Ujlakiorum inſigne fuiſſe, ex coronis quatuor, quæ rurſum in Laurentii marmore comparent, conjicio. Marmor alterum, Laurentii Ducis vexillum geſtantis imaginem inter quatuor pariter ſcuta exhibet. Scutum quatuor coronarum Ujlakiorum proprium eſt: illi ad latus oppoſitum inſigne Catharinæ conjugis fuit (E). Scutum inferius, in quo ex luna ſtella emicat, Boſnæ, cujus pater rex erat, nos admonet, qui ad vetus iſthoc provinciæ inſigne, fors pro ſuo regali jure rotam, fortunæ ſymbolum, addidit. Huic a ſiniſtris oppoſitum ex cingulo militari dependens, parmæ, niſi fallor, loco in præliis ſervivit. Inſcriptio patens, & verum Laurentii titulum, & conſortis nomen diſerte exhibet. Ex anno obitus MCCCCC, marmori inciſo, non recte colligitur, hunc ei ſupremum fuiſſe: reſidui, quibus vixit, ſculptoris alterius induſtriæ addendi relicti ſunt, nec tamen in locum vacuum, fato quocunque ſunt additi. Produxiſſe Laurentium vitam

Sepulcrale monumentum Nicolai, Boſnæ regis, & filii Laurentii ab Ujlak exponitur.

ſupra

(A) Olim Monialium S. Claræ. (B) Amandus Herman in Capiſtrano triumphante. De cujus ſacrilega profanatione vide PP. Timon, & Szegedi in Obſerv. ad rubricas Art. Decret. Regn. Hung. (C) Cujus ectypon accuratum a viro Cl. officioſiſſimoque P. Joſepho Jakoſics Prov. Capiſtranæ Secretario nobis transmiſſum eſt. (D) Nec enim erat rex coronatus. (E) Quam ex Francopanovichiana domo fuiſſe Leones coronam ſuſtentantes, & avis galeæ incubans utcunque indicant.

ſupra annum MCCCCC. certiſſimum eſt ex decreto conventus generalis in campo Rákos celebrati anno MCCCCCIV, cui præſens adfuit, & poſt Joannem de Scepuſio, Vajvodam Tranſylvaniæ ſic nomen ſuum inſcripſit: *Dux Laurentius de Ujlak* (A). Attigit vivendo etiam annum MCCCCCXXIII, ut auctor novi Illyrici recte perhibet (B), confirmat hoc Ludovici II. donatio, & translatio bonorum, ac jurium Laurentii complurium, in magnificum Ladislaum More de Chiola, & Magdalenam ejus conſortem; quam Ferdinandus I. anno MCCCCCXXIX. confirmavit (C).

SERBL. His pro modulo expoſitis natales jam, geſtaque Nicolai, Boſnæ regis paucis comemoranda reſtant. Sunt, qui eum a Boſnæ regibus derivent, & Stephani ultimi regis filium venditent (D).

XX. Natales, religio, virtutes, ac geſta Nicolai regis.

BULG. Hos vero aperte refellit, errorisque convincit diploma donationis, quod Ladislaus poſthumus ſuper bonis Galgótzio, ac Temetvin anno 1453 Nicolao largitus eſt. In eo enim diſerte Ladislai Bani de Ujlak filius pronunciatur, & gentis origo vetus, nobiliſſimaque non quidem ad Boſnæ principes refertur, per Banos tamen, & Palatinos longa ſerie derivatur (E). Inde conſtat Nicolaum annos juveniles in aula Sigismundi regis peregiſſe: Sigismundo Imperatori, & Alberto numeroſis armatorum agminibus ſuccinctum armis, & conſiliis ſerviſſe: qui & ipſum Ladislaum poſthumum teſte Ænea Sylvio (F) anno 1440 inter coronationis ſolemnia baltheo militari præcinxit. Inde ultro conſtat Nicolaum pari cum Joanne Hunyade honore Tranſylvaniæ Vajvodæ, & Bani Machovienſis titulos geſſiſſe, collatisque cum eodem Hunyade viribus Iſacbegum ad Semendriam, Menidbegum, & mox Vezirium quoque ipſum in Tranſylvania ad internecionem deleviſſe ſub annum 1441: ac denique 1443 partis ſex victoriis inſignibus Amuratem e Servia in Romaniam retruſiſſe, ac Georgium Deſpotam in Serviæ ditiones reſtituiſſe. Ex Joannis Capiſtrani literis, (G) quibus Calliſto III. Papæ obitum Joannis Hunyadis inſinuat, conſtat Nicolaum Hunyadi in munere Ducis ſacræ militiæ ſucceſſiſſe, en epiſtolam: *Beatiſſime* &c. - - *Etſi ita placuerit Altiſſimo, quod de medio ſuſtulerit nobis illum illuſtriſſimæ memoriæ pugilem invictum, ſanctæ fidei catholicæ hoſtibus formidabilem defenſorem*

Fuit Dux ſacræ militiæ poſt Joannem Hunyadem.

(A) Ex MS. P. Heveneſi T. 73. (B) Ex edit. Poſon. Du Fresnio adjectus. (C) MS. Heveneſi T. 7. ubi inter cætera etiam jus patronatus in Abbatiam de Gotho eidem confirmatur. (D) Author Spicilegii Boſn. p. 86. (E) Hung. Diplom. Cl. Kaprinai L. 2. p. 368. (F) In Ms. de Friderico III. T. 2. Annal. Bibl. Vindobon. (G) Ex Salankamen 17. Auguſti anno 1456.

fenſorem Dominum Joannem de Hunyad ex hac jam vita delapſum XI. menſis hujus ex peſte: ſubſtituit tamen nobis non imparem ſibi virum Nicolaum de Hunylak (A), *ſub cujus dominatu valido, & potenti* (B) *ipſe idem Joannes cum quinque vel ſex equis ſuam militiam inchoavit.* Quibus præmiſſis, religionem, dotesque, ac virtutes Nicolai his verbis celebrat: *Eſt namque idem ipſe Nicolaus princeps illuſtris, in magnificentia excellens, in conſilio providus, in gerendis cautus, virilis animi, in fide fervens, in veſtræ ſanctitatis obedientia humilis: ſui honoris æmulator, & magni zeli, potens in opere, & ſermone: qui inter alios Principes, Prælatos, & Barones hujus regni de præſtantioribus reputatur, & de eo gerunt magnam expectationem, & famam laudabilem ſibi attribuunt univerſi, ſecundum quod officium in hoc regno hæreditarie poſſidet in Banatu.* Poſt quæ novi ſacræ militiæ Ducis encomia, orat ſummum Pontificem ad augendum novis ſupplementis cruce ſignatorum exercitum: *Nunc ergo Pater beatiſſime! ſolicitandi ſunt de novo reges, & principes chriſtiani: dum fornax ebullit coagulandum eſt aurum: dum debilis eſt hoſtis, & fervor viget in populo chriſtiano, excitanda ſunt arma bellica contra perfidos infideles.* At turbatis in Hungaria rebus anno hoc eodem ex cæde Ulrici Comitis Celejæ, & mox ex Ladislai quoque de Hunyad, ac denique ex regis poſthumi morte, nihil fere ante Mathiæ regis coronationem in Turcas præclare geri potuit. Hoc vero rege, anno 1459 cum Legato Apoſtolico Joanne Carvajallo, Cardinali ſancti Angeli, ad eliberationem Serviæ Sacrum eduxit exercitum Nicolaus: anno 1465 adfuit expeditioni Mathiæ regis in Raſciam, & ad Zvornik: & biennio poſt, cum Machvæ Banus præeſſet, Oratores Mahometis, inducias flagitantes ſuſcepit, & per ſuos Budam deduxit. Machvenſis Bani titulo anno adhuc 1469 uſus eſt (C), quin & anno 1473 inter Banos Sclavoniæ locum tenuit (D): & anno demum 1474 ob rem proſpere geſtam adverſus Mahometem, renunciatus demum eſt Vratislaviæ a Mathia Rex Boinæ (E). Nicolaum regem cum filio Duce Laurentio adfuiſſe nuptiis Mathiæ cum Beatrice Aragonia, conſtat ex deſcriptione nuptiarum anni 1476 (F). Qui, in quem deinceps uſque annum vitam produxerit, tacente ſepulcrali monumento, nec ego definiam. Majorem ſeptuagenario fuiſſe excitato Ladislai poſthumi donationis diplomate non incongrue eru-

Renunciatus Rex Vratislaviæ. Ætas, & mortis annus incertus.

(A) Rectius *Ujlak.* (B) Banatus de Ujlak hæreditarius Ujlakiorum erat: in eo Joannem Hunyadem rudimenta militiæ poſuiſſe, Nicolao admodum juvene affirmat B. Capiſtranus, nec quid præterea. (C) Ex Diplom. dato Comiti Tomco Marnavicio, quod exhibent notæ prælimin. de regnis Dalm. Croat. Sclav. p. 295. (D) Ibidem p. 289. (E) Tract. poſt. de novo Illyr. Du Fresnio addit. cui & Timon conſentit in imag. nov. Hung. c. 18. (F) Quam vide inter Scriptores Hung. apud Vechelium.

es, nec fortaſſe falleris, ſi octogeſimum attigiſſe dixeris. Nec tamen centeſimum ætatis annum ſuperaſſe putandus eſt ex Capiſtrani ſupra recitata epiſtola (A), ſi ei rectus ſenſus detur. Hæc de Nicolao Boſnæ rege dicta ſufficiant. Nunc res Catharinæ viduæ Stephani Thomæ Boſnæ regis abſolvamus.

XXI. De Catharina Boſnæ Reg. Moritur Romæ. Ejus Epitaphium.

SERBL. Catharina Boſnæ Regina, quam vitæ reſiduum Pontificum munificentia Romæ peregiſſe dixeras: ibidem in æde Mariana Aræ cœli tumulo illata eſt: cui juſſu Sixti IV. marmor, coronatam Catharinæ effigiem referens, impoſitum eſt (B), addito epitaphio Latino, Illyricove ſermone, ac charactere concinnato. Illyricum Orbinus ſic exhibet: *Catharini Kralizi Bosanskoi, Herzega ſvetoga Save, ſporodæ Jelline i Kuchie Zara Stiegana rojeni, Tomaſia Kralia Bosanskoga Seni, koliko ſivi godini LIV. i priminu u Rimi na lita Goſpodina MCCCCLXXIV. na XXV. Dni Octobra. Spominak nie pismom poſtavlien.* Quod ſic optime Latine reddes: *Catharinæ Reginæ Boſnenſi, Stephani Ducis ſancti Sabæ, ex genere Helenæ, & domo Cæſaris Stephani natæ Thomæ Boſnæ Regis conjugi. Quantum vixerit annorum LIV. & obiit Romæ MCCCCLXIV. die XXV. Octobris. Monumentum ipſius ſcriptis poſitum.* Hallucinantur itaque Vadingus, & Ciaconii continuator, cum *ſororem* Ducis ſancti Sabæ faciunt: & cum Vadingus pro *ſcriptis*, ſupponit *ſumtibus*.

Verus mortis annus MCCCCLXXVIII.

BULG. In annum mortis, apud Orbinum, vitio deſcribentium gravis irrepſit error: deceſſit enim MCCCCLXXVIII. teſte Jacobo Cardinali Papienſe, qui Romæ tunc aderat: & in literis ad Cardinalem Mantuanum anno eodem menſe Decembri exaratis refert, duos ex Catharinæ Reginæ familiaribus, iſtis diebus Pontifici Sixto IV. teſtamentum Catharinæ obtuliſſe, unaque Regni clenodia, enſem, ac calcaria conſignaſſe.

SERBL. Si Catharinæ teſtamentum ad manum eſt, profer in medium: illud de anno mortis dubium omne diſſipabit. Regni clenodia oblata Sixto, non obſcure innuunt, jura quoque regnorum Raſciæ, Serviæ, Boſnæque in ſedem Apoſtolicam translata eſſe.

BULG. Rem ipſam aſſequutus es. Catharina regina exul Boſna, poſt annos circiter duodecim Romæ pie exactos, ſummis beneficiis Sedi Apoſtolicæ devincta, ac pietate ſingulari impulſa, ſupremis tabulis regnorum ſuorum, quæ jam Turcorum tyrannis premebat, hæredem ſcripſit Romanam Eccleſiam, ſuaque, ac legitimorum

---

(A) Ut conjecit Cl. Pray P. 3. Annal. Hung. (B) Effigiem, & inſignia expreſſit continuator Ciaconii in Hiſt. Cardinalium.

rum ſuorum hæredum jura in eandem transfudit, reſervata nihilominus ſucceſſione Sigismundo filio, filiæque Catharinæ, quos ex rege Thoma ſuſceperat, ſi aliquando a Mahomete (ad quem infelix juvenis cum ſorore deſciverat) ad Chriſti ovile redirent. Tabulas ipſas ex authentico Chartophylacii Vaticani exſcripſit, recenſuitque Raynaldus (A), quæ ſic habent: *In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis Patris, Filii, & Spiritus ſancti amen. Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVIII. Ind. XI. die vero XX. menſis Octobris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris Domini noſtri, Domini Sixti divina providentia Papæ IV. In mei Notarii, & teſtium infra ſcriptorum, & ſubſcriptorum, ad omnia, & ſingula infraſcripta vocatorum ſpecialiter, & rogatorum præſentia. Illuſtriſſima Domina Catharina, quondam Ducis Stephani filia, Regina Boſnæ: nunc in alma urbe in regione Pineæ in domo ſuæ ſolitæ habitationis prope Eccleſiam ſancti Marci de urbe conſtituta, ægra corpore, ſana tamen, & compos mente - - - volens. Quod licet per immaniſſimum chriſtianæ religionis boſtem Turcum retroactis temporibus de facto, & per tyrannidem prædicto regno Boſnæ pulſa, & ſpoliata ſit, propterea tamen jus regni præfati non amiſit, quod ſpectat ad eam, propter incapacitatem, & inhabilitatem filiorum ſuorum legitimorum, & naturalium, & Illuſtriſſimi Regis Thomæ memorati regni Boſnæ, ex profeſſione Mahometanæ ſectæ contractam: habensque fiduciam in Domino, qui nullum violentum ſinit eſſe perpetuum, quod prædictum regnum aliquando de manu tyrannica excidet, & revertetur ab ea, & chriſtianæ ſubjicietur ditioni: volens propterea incolis regni prædicti, & regno conſulere, ne ad manus veniat aliquorum nullum jus habentium in regno, ſed ſuum juridicum, & legitimum habeat regem: præfata Regina ex præmiſſis, & quibusdam aliis rationabilibus cauſis animum ſuum moventibus: & memor munificentiæ, gratiarum, & beneficiorum a ſancta Romana Eccleſia, & Sede Apoſtolica, a felice, & ſanctæ memoriæ Paulo Papa II. & Sanctiſſimo Domino noſtro Sixto Papa IV. collatorum, quæ eam cum gratiſſima boſpitalitate ſunt ſemper proſequuti, ſubveniendo eidem ſecundum Regiam dignitatem condigno annuali ſtipendio, & proviſione ſufficienti pro ſuis neceſſitatibus: in prædicto regno Boſnæ cum omnibus, & ſingulis juribus, pertinentiis, dependentibus, connexis, & annexis præfati regni civitatibus, terris, villis, juribus, & jurisdictionibus, ac utilitatibus, & directo ejus dominio, ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam, & prædictum Sanctiſſimum D. N. Sixtum D. P. Papam IV. & ſuos ſucceſſores canonice electos, & intrantes, univerſales hæredes, & ſuos ſucceſſores inſtituit, rogavit, & rogat per ſolemne fidei commiſſum dictam Sedem Apoſtolicam, & prædictum Sanctiſſimum D. N. & prædictos ſucceſſores, ejusdem prædictæ ſedis fidei commiſit, & committit*

Ejus teſtamentum, & fidei commiſſum.

(A) Raynaldus Hiſt. Eccleſ. T. 7. a num. 43.

tit, & ita voluit, & ordinavit: quod filio ſuo, & prædicti Thomæ regis legitimo, & naturali SIGISMUNDO, ſi Deus per infinitam ſuam permitat clementiam ex Mahometanorum vomitu, in quo degit de præſenti, ad veram Chriſti fidem realiter, & cum effectu revertatur, prædictum regnum, & regni jura, dominia, & jurisdictiones absque detractione legis Trebellianæ, plene reſtituat, eumque Regem in prædicto regno nominet, inſtituat, & inveſtiat, quantum in prædicta ſede Apoſtolica fuerit. Si vero dictus SIGISMUNDUS ejus filius ad chriſtianam fidem non venerit, ut præfertur, tunc illo caſu dicta Illuſtriſſima Regina voluit dictum fidei commiſſum eſſe nullum, irritum, & inane, nulliusque roboris, & momenti, ac ſi factum non fuiſſet. Sed in tali caſu iterum rogavit, & rogat dictam ſedem Apoſtolicam, & Sanctiſſimum D. N. & ſuos ſucceſſores præfatos, & ejus, ac prædictorum fidei committit: quod ſi filia CATHARINA, quæ ſimiliter de præſenti Mahometanorum vomitum ſequitur, revertatur, realiter, & cum effectu, ad ſanctam Chriſtianam fidem, eidem filiæ ſuæ, modo, & forma præmiſſis regnum prædictum integraliter reſtituatur, quantum fuerit in eisdem. Ambobus autem, & filio, & filiæ prænominatis, in perfida Mahometana ſecta perſeverantibus; dictum fidei commiſſum prædicta Regina voluit ſimiliter eſſe nullum, irritum, & inane, modo, quo ſupra eſt præmiſſum. Et interim dictam ſedem Apoſtolicam poſſe plene, & libere de prædicto regno, ejusque juribus, & titulo diſponere, ad ſuam voluntatem, & beneplacitum, tanquam de re, patrimonio, hæreditate, & bonis ſuis propriis, quibusvis contradictionibus non obſtantibus &c. (A). Sed hæc donatio, inter pietatis regiæ monumenta ſubſtitit, Catharinæ liberis nunquam redeuntibus: & Mahomete jus omne in armis reponente: Mathia vero Hungarorum rege, jus devolutionis coronæ ſuæ vindicante: qui quadriennio antea Nicolaum, Boſnæ regem dixerat: ſæpe de eo gloriari auditus, quod ipſe Archi-Rex eſſet, qui regem haberet ſibi obnoxium (B).

Pia donatio effectu caruit.

SERBL. Du Fresnius, qui ſterilem Catharinæ cum Thoma rege thorum affirmavit, ex recitatis nunc tabulis plene refellitur. Nam præter illum, quem natum annos XIV. ereptum, ſepultumque Meledæ in æde prodigiis claræ Virginis apud Patres S. Benedicti teſtatur Orbinus (C), ſuperſtites Patri, matrique exſtitere *Sigismundus*, & *Catharina*, quibus teſtamenti tabulis jus poſtliminii reſervatum eſt a pia matre, ſi ſuperſtione Mahometi damnata ad Chriſtum redirent.

Du Fresne emandatus. Habuit enim Sigismundum, & Catharinam proles, Chriſti deſertores.

BULG.

(A) Codex MS. Archivi Vaticani ſigno *varia* circa medium. (B) Timon in imag. novæ Hung. c. 18. (C) Orbinus p. 370.

BULG. Poſtquam etiam illos *Raſciæ Reges*, qui ex Boſnenſi regno non minimam Serviæ, Raſciæque partem moderati ſunt, hoc eſt *Tvartkum I. & II.* cognomento *Scurum*, ac denique *Thomam*, filiumque *Stephanum* a Mahomete II. everſum: tum & *Nicolaum* de Ujlak, qui poſtremus titulum Regis geſſit, ac denique *Ducem ſancti Sabæ*, *Stephanum Coſſicium* Catharinæ Thomæ regis patrem Catholicorum numero accenſuimus, & Catharinam ipſam, regna Boſnæ, Raſciæ, Serviæque in jus ſedis Apoſtolicæ, quantum in ipſa ſtabat, transtuliſſe docuimus: eſtne aliquid, quod vos impoſterum remoretur ab arcta, ſinceraque communione cum Eccleſia Romana, ejusque capite, quo celerius ineunda, & ſancte, conſtanterque fovenda?

SERBL. Quod nos a concordia. & communione remoretur, ſane non ſunt Eccleſiæ Romanæ dogmata. Nam fervente etiam Photiano diſſidio, & in medio ejus æſtu, tam Apoſtoli gentis noſtræ Cyrillus, ac Methodius, quam & ipſe S. Ignatius, Conſtantinopoleos Patriarcha, a quo magnæ gentis noſtræ parti, & baptiſmus, & ritus Græcanicus obvenit, Eccleſiæ Romanæ charitate, obſequio, ac fide conjunctiſſimi fuerunt. Reges autem Serbliæ, principesque poſt innovatum etiam a Michaele Cerulario Schiſma, quos a Sanctitate conſpicuos numeramus, ac cæteri fere omnes obedientiam ſedi Romanæ Apoſtolicæ ultro detulerunt, dogmata complexi, fidemque confeſſi ſunt. Eſt vero, quod nos invitet magnopere, beneficia ſcilicet a ſacra illa ſede in nos large profuſa, quæ, ſicut numero, ita magnitudine ſua ſe commendant. Inde enim in nationem noſtram baptiſmus primus emanavit: ex fonte illo inſtitutiones, & doctrina Evangelica hauſtæ ſunt: ab eadem ſacra ſede coronæ, faſcesque Regii in primam Regum ſtirpem, ac ſubinde etiam in Nemanichiam domum illatæ: inde vexilla ſancti Petri, quæ ſæpius principes noſtri prece Pontificum Romanorum conſecrata, exercitibus ſuis prætulerunt. Denique per eosdem Pontifices Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus in regionibus noſtris conſtituti: Concilia ſub eorum præſidio celebrata, & ipſe Patriarchæ titulus, quem immerito Conſtantinopolitani antiſtites abrogatum eunt, eſt agnitus, & ſtabilitus. Itaque, poſtquam regnum noſtrum inde a ſui exordio diœceſis Romani Patriarchæ fuit: Reges ipſi ſe, regnumque ſuum toties in clientelam ſancti Petri, & protectionem ſummorum Pontificum commendarunt, & ſuſcepti ſunt, atque adverſus chriſtiani nominis hoſtem zelo eorum defenſum, protectumque eſt: ad extremum autem ex pia largitione, ceſſioneque Principum, in jus eorundem tutelare penitus conceſſit; & ſalvis juribus omnium, vero quodam ſenſu regnum ſedis Apoſtolicæ evaſit: quid rationi, quid æquitati magis eſt conſentaneum, quid ſaluti ipſi, & bono noſtro communi expedientius, quam, ut cujus toti ſumus ſacro, & profano nomine, tam vario, ac multiplici, eidem nos totos ex animo gubernandos in ſacris tradamus,

Anaſtaſius.

& fidei profeſſione æque, ac delatione obedientiæ, nos filios Eccleſiæ ejusdem comprobemus.

BULG. Nec arduum id, aut vicinum periculo cuiquam veſtrum videatur. Non ſunt multa, ſed nec nova ſunt, quæ a vobis depoſcit Romana Eccleſia. Perſtent in ſua integritate ritus ſacri veteres, & ipſi ſacri codices. Maneat, ut eſt, intactum ſymbolum. Permiſit hoc vobis & Florentina Synodus. Antiquorum, & Sanctorum Patrum veſtrorum verbis, ac ſenſu, uti vos vult Eccleſia, cum de diviniſſimo Spiritu agetis, ac docebitis: Dicite tunc igitur, ſed citra cavillationes, cum Athanaſio (A); *Quæcunque habet Spiritus, hæc a verbo habet.* Cum Epiphanio *Deus eſt ex Patre Filioque Filioque Spiritus* (B), *Spiritus ſanctus vere eſt a Patre, & Filio, ejusdem Divinitatis a Patre procedens, & ex Filio ſemper accipiens* (C). Cum Cyrillo (D): *Spiritus ſanctus conſubſtantialis eſt Filio, proditque ex ipſo, ut Deum decet.* Denique cum Chryſoſtomo (E): *Iſte eſt Spiritus procedens ex Patre, & filio, qui dividit ſingulis propria dona, ſicut vult.* (F) *Iſtum Spiritum ſanctum dicimus Patri, & Filio coæternum, & procedentem de Patre, & Filio.* Deferte deinde illam authoritatem, ac Primatum Sedi Petri Apoſtolicæ, quem teſtati ſunt, & detulerunt ſanctus Athanaſius Alexandrinus: Sancti Conſtantinopoleos Patriarchæ, Chryſoſtomus, Flavianus, & a Photio oppreſſus Ignatius: & ſancti gentium noſtrarum Apoſtoli, Cyrillus, atque Methodius. Verbo inſtauretur, & ſit hodie eadem prorſus veſtra confeſſio, quæ Regum, quæ ſanctorum gentis veſtræ fuit: & in tuto ſunt vobis omnia, reſtituta eſt in integrum charitas, pax, concordia, communioque Eccleſiarum coaluit: Eſt nobis, ne dubita, *Deus unus*: *fides una*: *unum baptiſma.*

(A) Oratione 4. contra Arianos. (B) In Ancorato. (C) Hæreſi 24. Sabelliana. (D) L. 11 in Joannem. (E) Homilia 1ma de Symbolo. (F) Homilia 2da de eodem.

COLLOQUIUM
DECIMUM TERTIUM.
DE
STATU ECCLESIÆ GRÆCO-SERVIANÆ
PER OMNE REGNI TEMPUS

SERBL. Manum de tabula levaveram, parabamque hinc excedere, cum mihi in mentem venit, quod te celare non debeo, inter multa, & varia, quæ copioſe induxiſti monumenta, &, quæ Reges, ſanctosque noſtros non dubie Romæ conjungunt: nullum omnino in publicum comparere, quod Epiſcoporum, & Cleri ritus Græco-Serviani proprium fuerit, ac peculiare, aut nominibus eorum exaratum, inſignitumve. Deſunt nempe Archi-Epiſcoporum communicatoriæ, deſunt Romana Palliorum brevia, &, ſi quæ ſunt, alia communionis eccleſiaſticæ cum ſede Romana argumenta: ut de diptychis vetuſtis nihil memorem, quorum ne veſtigia quidem perpetuæ bellorum vices, quibus conflictati ſumus, nobis reliquerunt. Non vacat hoc ſuſpicione, nec temere fors hinc judicabo, antiſtites noſtros, clerumque Græco-Servianum, qui, ut prima in Eccleſia ſubſellia obtinent; ita *Eccleſiæ* nomine præcipue intelligi ſolent, & ſub antiqua Regum, ac multo magis ſub nova Nemanidum domo, nihil commune cum Roma habuiſſe; ab ejus contubernio, ſicut ritu, ita doctrina quoque diviſos, primum in Photii, ac ſubinde etiam in Cerularii, & Leonis Achridani dogmata immigraſſe.

I. Obmovetur dubium, ſpeciatim de antiſtitum, & Cleri Græco-Serviani conſenſione cum Romana Eccleſia ex defectu communicatoriarum.

BULG. Suſpicio injuriæ proxima. Defendit ab hac nota Eccleſiam veſtram primorum Regum ſeries, ad interregni majoris uſque tempora, &, qui hanc Sæculo XI. clauſit, regis Vladimiri ſanctimonia Græco-Servianorum etiam ſuffragio probata: cujus integerrimum, illibatumque corpus, clarum prodigiis, *Creani* in æde Sacra Dei Genitricis affluxu promiſcuo, frequentiſſimoque ritus uterque Servianorum Sæculo adhuc XII. celebravit, coluitque, teſte oculari

II. Quo non obſtante iidem Eccleſiæ Catholicæ vindicantur ſub prima Regum ſerie.

Diocleate (A). Defendunt etiam ſubſequi catholici reges, qui poſt interregnum ad Draginam, & Radoslaum uſque floruerunt, quoad Neman I. Radoslao provinciis exuto, Vladimirum quoque fratrem, conflictu ad Priſtinam commiſſo, Raſſiæ Zupanatu evertit anno 1172 (B). Sed, qui integritatem Eccleſiæ veſtræ cumprimis commendant, ſunt *Serbienſis*, & *Boſnenſis* antiſtites, quos ab initio, & longo poſtea tempore, ſolos fere Græcanicus Serblorum ritus moderatores, (C) Præſidesque numeravit. Illi enim, ut ab Honorio legato Apoſtolico, ad ejus ritus populi neceſſitatem, Sæculo VII. inſtituti, ita Sæculo XI. per Alexandrum II. confirmati, Diocletanis Metropolitis Romanum ritum profeſſis nulla tergiverſatione parebant, & conciliis, quæ ab his coacta ſunt, ſubſcribebant.

SERBL. At facies Eccleſiæ noſtræ paulum immutata videtur, poſtquam XI. Sæculo pars gentis reſidua, deſerto idolorum cultu ad Chriſti ſacra tranſiit, & ritus Græcanicus multo exinde latius in gente noſtra diffundi cœpit (D).

III. Nec intereeſſit mutatio, ritu Græcanico Sæculo IX. per Serbiam adauctio.

BULG. Ne tibi imponat ritus Græcanicus, qui Sæculo hoc IX. majora incrementa, & novas etiam aliquas Epiſcoporum ſedes accepit (E): cogita, qui, qualesque tunc gentis veſtræ Apoſtoli, quis baptiſmi miniſter, authorque ritus Græcanici fuerit? Per Ignatium, ſanctum illum Conſtantinopoleos Patriarcham ſalutaribus undis abluti, ritu Græco informati eſtis: Cyrillus, & Methodius animos veſtros præparavit ſacris myſteriis, & Chriſti doctrinis imbuit: per eos, & codices ſacri ad vos pervenerunt. Eſtne vero, aut in codicibus, aut in codicum authoribus, aut in Ignatio ipſo, quod Photii, aut Cerularii dogmatis affine ſit, errores redoleat? Ignoras fortaſſe, quam iſti alieni a Photio, quantum a doctrinis ejus abhorruerint, quam orthodoxi, quam ſtricto fœdere Romanæ Eccleſiæ copulati fuerint. Ut, quis Ignatius exſtiterit, ex vero cognoſcas, Nicetam ſcriptorem coævum evolve (F). Cyrilli, & Methodii integritatem fidei, & obedientiam ad Sedem Romanam docebunt biographi (G). Fratres iſti duo, poſtquam Moraviæ intulerunt, aut latius ſparſerunt fidei.

(A) Coll. I. II. III. (B) Coll. IV. (C) Luccarius. Orbinus *Cyrilli* Serbienſis Epiſcopi ad annum 1141 meminit p. 247. *Theodorus* Serbienſis Dioclienſi Synodo anno 1199 ſubſcripſit. Serbienſium poteſtas vaga, per Serviam omnem late patebat in ſui ritus homines, ſicut Boſnenſium in Boſnam. *Theodoro* Serbienſi mortuo, ſucceſſit in locum Regius princeps Raſcus, in Monachatu Sabas dictus, Pechiæ Archi-Epiſcopus Græci ritus. Ita Tomco Marnavicius. (D) Anno 867. & 872. Coll. II. (E) *Raſſiæ* Archi-Epiſcopum SS. Petri, & Pauli Græci ritus fundavit IX. Sæculo Paulimirus Rex. Fors & Narentani Sæculo eodem proprium antiſtitem ritus ejusdem nacti ſunt. (F) In Collect. Byzant. Script. (G) In Actis SS. ad IX. Martii.

dei radios, a Nicolao I. Romam exciti, Hadrianum II. in Cathedra Petri ſedentem venerati, poſt acre examen, & ritus, doctrinæque approbationem nacti, & Epiſcopi conſecrati ſunt. Cyrillus, cum Romæ adhæſiſſet, ibi in Eccleſiæ gremio vitam beate clauſit. Methodii ad veterem ſtationem redeuntis orthodoxiam ab æmulis ſubinde apud Tribunal Romanum accuſatum, Joannes VIII., idem Judex, & defenſor, abſolvit, vindicavitque, & ritum Sclavonicum in ſacra invectum, ratum, gratumque habuit (A). Ab iſtorum autem magiſterio ne latum ungvem deſciviſſe gentem veſtram, comprobabit Joannes X; qui, cum nova rurſus lite appeteretur ritus a Methodio invectus, nec faventem, nec perinde amicum ſe exhibuit.

SERBL. Michaelis quidem interregis conjunctio cum Romana ſede explorata eſt: nam mota ritibus Sclavonicis lite gravi, ille non aliunde, quam a Sede Apoſtolica judicium in cauſa adeo lubrica, difficilique exquirendum ſibi duxit: atque hoc fine a Joanne X. nuncios, judicesque impetravit. At, num idem de Prælatis noſtris ſentire me oporteat, anceps adhæreo.

BULG. Atqui Michael non diviſus a ſuis, ſed in contubernio Epiſcoporum Servianorum, procerumque, & judicium Sedis Apoſtolicæ imploravit, & præſens Patrum concilio adſedit anno 925. Atque cum Joannes X. a Sclavonicis liturgiis ad latinas formas *traducere* Servianos peroptaret, conſtantiam eorum, tenacemque adhæſionem ad Methodium (B), & acrius reprehendit, & tantum non condemnavit. Nempe latuiſſe videtur Joannem X., & conditio Methodii, & integritas rituum ejus, fideique, quam Sæculo ſuperiore pro tribunali abſolvit, & merito laudum elogio ornavit Joannes VIII. Orthodoxiam porro, cui tunc gens veſtra tenaciſſime affixa fuit, per idem Sæculum X. atque XI. ad interregni uſque periodum continuatam, egregie confirmat hinc Græcæ, Bulgaricæque Eccleſiæ vobis vicinæ conſenſio cum Romana; inde ſanctimonia, quam ſupra laudavimus, Vladimiri, Sæculo adhuc XII. celebrata. Nec corrupit, aut labe aliqua aſperſit eandem Cerularius, vel Leo Achridanus, nec receſſio eorum vos a Romana Sede ſeparavit. Teſtem in hanc rem appello Alexandrum II., qui poſt motum ab illis anno 1053 ſuſcitatum, rebus adhuc recentibus, ad annum nempe 1061 in brevi ſuo Apoſtolico ad Petrum Dioclienſem, & Antibarenſem emiſſo diſertis verbis prædicat apud Servianos *Latinorum*, *Græcorum*, *Sclavorumque UNAM ESSE ECCLESIAM*: nulloque ritus diſcrimine populos, Eccleſias, Cœnobiaque univerſa hu-

IV. Et perſtitit primæva Antiſtitum, & Cleri fides ac communio per Sæculum quoque X. ac XI.

(A) Epiſt. Joannis VIII. 195. Indic. XII. anno 879. ad Methodium Archi-Epiſcopum: & anno 880. ad Sventopulcrum Moraviæ Comitem. (B) Coll. III.

jus Metropolitæ Serviæ moderationi, zelo, ac vigilantiæ ſubmittit, commendatque (A). Et quoniam Græcarum per Serviam Eccleſiarum regimen, regnante prima ſtirpe, ſub Antibarenſi Metropolita, maxima ſui parte ſtetit, unam ſi demas Raſſiam ſui juris exemtamque; ſit vero exploratum Antibarenſes Romanæ communionis fuiſſe inde confirmationem electionum, inde Pallia accepiſſe: dubium, quod de Græco-Servianæ Eccleſiæ concordia cum Romanis obmoveras, ſub tota illa principum ſerie evaneſcit penitus (B). Hæc alias a nobis ſparſim inducta, in pugnum collegi, ut conglomeratis tot probationibus, ex animo ſive tuo, ſive tuorum, ſuſpicionem, quam detexiſti, abſtergerem, Eccleſiamque Servianam, Prælatos, clerumque etiam Græcanici ritus a Photii erroribus, & quavis diviſionis ſpecie vindicarem: & vindicavi, ut mihi blandior feliciter.

SERBL. Aſſentior, & aquieſcam ex animo, ſi duo, quæ me adhuc retinent, impediuntque, ſubmoveas. Novus, qui Sæculo IX. declinante, ritui noſtro accrevit, Raſſiæ Archi-Epiſcopus ſcrupulum aliquem menti injicit. Nec enim illum in nationali Synodo anno 925 Spalati celebrata præſentem adfuiſſe, aut ſubſcripſiſſe invenio, quanquam Serviani pars regni eſſet. Deinde, quod Serviam Bulgaricam, Achridanorum antiſtitum doctrinis abductam, quanquam mitius, aberraviſſe tamen poſt Leonem Achridanum tu ipſe confeſſus ſis (C). Quod ſane utrumque dominante adhuc prima Regum Sobole, contigit.

V. Nec ſvadent, aut efficiunt oppoſitum Raſſiæ Græci Ritus Archi-Epiſcopi IX Sæculo fundati. Sed nec Serviæ Bulgaricæ Eccleſiæ, quas a Sæculo XI. Achridanorum Archi-Epiſcoporum labes inquinavit.

BULG. Raſſiæ Archi-Epiſcopum, ſi non ipſe Eccleſiæ, quem geſſit SS. Petri & Pauli titulus, tuetur certe a labe omni Paulimirus rex Serviæ Catholicus, qui victor de Liutimiro Raſſiæ Zupano, ut gratiam referret numini, & populi Græci ritus, jam tunc magnopere exaucti, ſaluti ſubveniret, hunc novum Archi-Epiſcopatum erexit anno 886, annis unde viginti poſt converſionem ſub Baſilio I. per Cyrillum, Methodium, & Ignatium factam. Is adfuerit-ne, an abfuerit a nationali Synodo, nequeo decernere, cum ſubſcribentium Serviæ Epiſcoporum nomina nulla ad noſtram memoriam transmiſſa ſint. Quem, ſi abfuiſſe demus, id tu vel exemtioni ejus a Diocliæ Metropoli adſcribas velim, vel bello Bulgarico, quo tunc vel maxime flagrabat Raſſia, quodque anno ſequente 926 univerſam montanam Serviam cum ipſo Raſſiæ Epiſcopatu in triſtem ſolitudinem permutavit (D). Neque te perturbet, quod de Servia Bulgarica per Achridanos Metropolitas corrupta, Colloquio IV. affirmavi. Nam cum Raſſiæ Archi-Epiſcopus, quoad ſtetit in Serviæ Regum pote-

(A) Coll. IV. (B) Coll. IV. V. (C) Coll. IV. (D) Coll. III.

poteſtate manſerit, nihil commune illi cum Achridanis aberrantibus interceſſit. Servia Bulgarica erat pars illa Serviæ primigeniæ, quæ per ripariam Daciam, ac ſuperiorem Mœſiam excurrens, Danubio proxime affunditur, & jam a longo tempore in ditionem, nomenque Bulgariæ immigraverat. Ea, cum poſt everſum etiam Bulgariæ regnum, Achridanis adhuc Metropolitis pareret, ex corrupta horum diſciplina labem parem traxit. Hoc eſt, quod Colloquio IV. intelligebam. Et quia in tractus illius gremio, *Belgradorum*, *Moraborum*, & *Branizobo* cenſebantur Epiſcopi, hos quoque Achridanorum labes aſperſit, juri Achridanorum ſubducti ſunt; tunc enim damnatis priſtinis erroribus, præeunte Calo-Joanne, ad Eccleſiæ Romanæ fidem, obſequiumque redierunt anno 1204 (A). Ex quibus concludes Serviæ Eccleſiam, quæ in Regum poteſtate degebat, incolumi ſtirpe prima in fide, & obedientia Pontificum ſubſtitiſſe ad Nemanidarum-uſque principatum, ſub quorum imperio, quæ rerum converſio, quis ordo, modusque tenuerit, nunc dicendum.

SERBL. Paulo durior ex hinc imminet tibi provincia ſub claſſe Regum altera, ritui Græco innutrita: quanquam tu hos ipſos etiam, ſanctosque nationis noſtræ, Eccleſiæ Romanæ aſſeclas ad regni excidium uſque multiplici argumentorum, & monumentorum fide, probe demonſtraveris.

VI. Eorundem Antiſtitum, ac Cleri religio catholica ſub altera etiam Regum ſerie ſæculo XII ac XIII pluribus argumentis oſtenditur.

BULG. Non opinor inveniri apud vos aliquem, qui Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Prælatos, Clerum, cœnobiaque, verbo Statum Eccleſiaſticum Græco-Serviani ritus, alia fide, inſtitutis, moribusque aliis a Regibus ſuis, a ſanctis ſuis, quos ipſi, ac concors populi ſuffragium aris impoſuit, vixiſſe, egiſſeque contendat. Cum vero una utrorumque, & conſentiens fides, ac ſacrorum modus exſtiterit, argumenta, monumentaque, quæ Reges, quæ ſanctos, eadem Statum quoque Eccleſiaſticum in Romana communione, fideque verſatos efficiunt. Huc facit, quod in Dioclienſi Synodo Volcano regnante anno 1199 celebrata *Serbienſis* Epiſcopus, qui Græcanicum per Serviam ritum moderabatur, univerſæ Græcanicæ Serviæ nomine canone VI. Primatui Sedis Romanæ ſubſcripſerit, eamque *matrem*, & *magiſtram Eccleſiarum omnium* decreverit, & teſtatus ſit (B).

SERBL.

(A) Ex L. 7. epiſt. Innocentii III. epiſt. 4. in qua Calo-Joannes Bulgariæ Imperator ſic profitetur: *ſubſignat autem Imperium meum ad ſecuritatem Chryſobolum: quod nunquam ab Eccleſia Romana - - imperium diſcedet, neque omnes imperii mei principes:* atque idem de conquirendis impoſterum quibuscunque terris, ſpondet, (B) Coll. V.

SERBL. Raſſiæ Archi-Epiſcopatum SS. Petri, & Pauli Tzeheſtlavus reſtituiſſe videtur cum univerſa Montana Servia anno 933 (A). Præerat illi anno 1172 Leontius. qui Nemanem I. vero Chriſti Eccleſiæ baptiſmo expiavit (B). Eandem ſicut in Principatu Neman I. numeravit; ita dubitari nequit in poteſtate quoque Volcani regis perſtitiſſe. Abfuit vero ille a Dioclienſi Synodo, nec laudato canoni ſubſcripſit. Quid ſi jam tunc Raſſia alterius mentis, ſententiæque fuit?

VII. Raſſiæ Archi-Epiſcopi abſentia a Synodo Diocletana nihil ejus communioni adverſatur.

BULG. Abfuit equidem, ſed non, quod dogma diverſum a Serbienſi Epiſcopo, a Regibus Simone, Volcano, & Magno Zupano Stephano ſectaretur: verum, quod Dioclienſi Metropolitæ inde a principio adſcriptus, ſubjectusque non exſtiterit, exemtus nempe, ſuique juris: vel a Conſtantinopolitano Patriarcha præreptus, aut per bellorum tumultus, qui Simeonem exercuerunt (C) jam ſecundo ſuppreſſus, deletasque eſſet.

SERBL. Poſtremum, quod ajebas, pronius amplector, cum inter recens erectos, vel aggregatos a Saba I. Epiſcopatus Græci ritus XII., Raſſiæ SS. Petri, & Pauli antiſtites, non jam ſplendido Archi-Epiſcopi, ſed ſimplici Epiſcopi nomine recenſeatur (D). Quanquam nec priora illa, quæ ajebas, ſint inverſimilia. Nam palam eſt, iſtis plane temporibus, Conſtantinopolitanos in Serviæ principes, cunctosque, qui ritu Græco operabantur Epiſcopos, jus Patriarchicum acriore contentione ſibi arrogaſſe. Quos illorum impetus, ut Innocentius III. infringeret, Colocenſem Archi-Epiſcopum ad Serviæ principes deſtinavit, eosque cum omni provincia ab invaſionibus Græci Conſtantinopoleos Patriarchæ defendi, vindicarique juſſit. Veſtigiis Græcorum Patriarcharum, cum Latinus quoque poſt captam a Francis Conſtantinopolim inſiſteret teſte Honorio III. per Apoſtolicum in urbe legatum a faſtu Græcanico, quo jam afflatus videbatur, anno 1219 repreſſus eſt: ut hæc pridem a te commemorata (E) fideli memoria retineo. Hæc cum in hunc modum ad Sabæ I. Archi-Epiſcopi tempora ſe habuerint, quæ, qualisque ſub Saba, ac ſucceſſoribus Eccleſiæ noſtræ Græcanicæ diſciplina viguerit? per brevi narratione comprehende, ne te tamen quid effugiat.

VIII. Sub Saba Imo, Peshiæ Archi-Epiſcopo, & ſucceſſoribus ad Helenæ Reginæ exitum uſque ejusdem Cleri, & Antiſtitum orthodoxia perſtitit.

BULG. Cum *Simeonem* regem, filiumque *Sabam I.* Archi-Epiſcopum, &, quem vivens ipſe ſibi ſucceſſorem ſuffecit *Arſenium*, dudum Catholicorum numero aſſeruerimus: horum vero memoriam Eccleſia veſtra conſecraverit, & ex uſu per antiquo Archi-Epiſcopi, Epiſcopique, eorundem invocatione juramenta ſua in ipſo muneris

(A) Coll. V. (B) Ibid. (C) Ibid. (D) Ibid. (E) Ibid.

neris novi veſtibulo confirment (A): quid aliud eſt conſequens, quam, ut antiſtites illi, qui pium hunc morem primi apud vos invexerunt, veſtigia etiam Sanctorum eorundem in rebus fidei, & diſciplinæ fideliter preſſerint, atque adeo præceſſorum imitatione concordes cum Romana Eccleſia, nec in aliquo diviſi diſcretive egerint? Et perſeveravit indubie hic cultus Sedis Apoſtolicæ poſt Stephanum primo coronatum ſub tertio etiam filio Stephano Uroſio I, quin & ad annos regiminis ſupremos piſſimæ ejus conjugis Helenæ Reginæ, quam Francicam appellatis, mos idem obtinuit.

SERBL. Helena Regina, e Francorum regum domo, conjux Stephani Uroſii I. marito ſuperſtes, regnabat anno adhuc 1308. Illa filios degeneres, Dragutinum, & Milutinum, tabo provinciarum, quibus a patre præfecti fuerant, affiatos, deviantesque a trita genitorum, & majorum ſemita, qua per Pontifices Romanos, qua per ſe ipſam ad damnandum ſchiſma, & peregrinas doctrinas permovit, adduxitque. Illa & Georgium, Bulgariæ Imperatorem, ut Romanæ Eccleſiæ conciliaret, non diligentiæ, non operæ alicui, non viarum fatigiis pepercit. Illa denique ſtrictiſſimo fidei, & obedientiæ vinculo Sedi Apoſtolicæ ad publicam Serviæ univerſæ notitiam colligata fuit (B): quid vero tu hinc elicis?

BULG. Audi, quid inferam. Hujus regnantis ſanctimoniam cum Servia omnis venerata ſit, & a fatis exuvias ipſas in varias provinciarum partes extulerit (C): concludo Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, ut tunc erant, pari cum Helena devotione Sedem Apoſtolicam proſequutos eſſe. Et profecto, niſi plane ad ſanctiſſimam hanc normam compoſita tunc fuiſſet Serviana omnis Eccleſia; &, ſi vel tenuis aliqua defectionis ſuſpicio animum ſanctiſſimæ, religioſiſſimæque principis pertentaſſet, quantum illa vel ad umbram tanti, talisque mali expaviſſet? quid actura, moturaque non erat, ut labantem Eccleſiam ſibi propriam, cujus & ipſa pars erat erat, a qua tot animarum ſalutem pendere noverat, a lapſu, periculove cohiberet, & rurſum Chriſti Vicario, ſummoque paſtori aggregaret, quæ tanta contentione, tot curis, laboribusque ſuſceptis vicinam Bulgariam ad ſinum Eccleſiæ Romanæ revocare conniſa fuerat. Iſthoc ſane officii, pietati Helenæ Reginæ in Serviam ſuam nemo ſanus negaverit. Cum ergo huc conniti, aut tale quid moliri, ne in mentem quidem illi venerit, conficio ætate illa Eccleſiam Serviæ, ipſosque Græci ritus antiſtites, communi, cum Helena, & Marito rege, cultu ſedem Apoſtolicam obſervaſſe.

(A) Coll. V. (B) Coll. VI. (C) Ibid.

SERBL. Si hactenus, & ad annum uſque 1308 Eccleſia noſtra, ejusque Prælati concordes in dogmate, & obſequio Sedis Apoſtolicæ perſtiterunt, cur obſecro, & unde impulſus Clemens V. ipſo illo anno, non jam ſoli Milutino Uroſio, quem in errores, & ſchiſma deflexiſſe palam omnibus fuit; Sed Prælatis, Cleroque univerſo Græcanici ritus, & præſcribit confeſſionem fidei, & ſchiſma abdicare imperat? cur *ob non recognitum Eccleſiæ Primatum* communione excidiſſe affirmat, & ab eo cenſuræ vinculo ſolvendos, legatis committit (A), ſi Prælati innoxii, ſi communione conjuncti, ſi catholici fuerunt, miſcendi profecto non erant cum rege a ſchiſmate, ab erroribus redeunte? Sed nempe Serviana Græci ritus Eccleſia, quæ ab Honorio III. ad exitum Benedicti X. nondum in errorum, ſchiſmatisque ſuſpicionem vocata fuerat; Clementi V. multis, gravibusque indiciis, ab obedientia, & recto tramite deceſſiſſe viſa eſt. De Prælatorum fide injecit cumprimis dubium ipſa Milutini regis ab eadem aberratio, & ſchiſma; tum & vexationes Latinorum Sacerdotum, invaſiones, direptionesque Eccleſiarum ritus ejusdem, ac denique Miſſarum Latinarum declinatio, execrationeque, quæ ex regni finibus nunciabantur. Videbat præterea Metropolitas Græco-Servianos ex longo jam tempore, a cæterarum Eccleſiarum ſalutari diſciplina devios, Eccleſias ſuas jure quodam autocephalo, ac independente gubernare, & neque communicatoriis literis indicare electiones, neque confirmationem, conſecrationem, aut pallia, poteſtatis plenitudinem expetere, vel, ut Roma obtinerent, curare. Quæ quidem, ſi diviſionis a Romana Eccleſia indicia, argumentave certiſſima non ſunt, neſcio, quæ tu alia luculentiora conſtitues, aut aſſignabis.

IX. Nec obeſt Clementis V. Papæ diverſus ſenſus, aut ſuſpicio de Antiſtitibus ac Clero anni 1308.

BULG. Ex cauſis, quibus Clemens in ſuſpicionem adductus eſt, tu vero Eccleſiam fidenter condemnaſti, non univerſæ feriebant *Servianam*, ſic proprie dictam, Eccleſiam, quam nempe ſub Metropolita Pechienſi conflabant XII. Epiſcopi, a Saba I. fundati (B). Nam Græci illi antiſtites, qui Latinorum templa, Sacerdotes, cœnobia, & ſacra profanabant, opprimebant, cunctaque illa ferociter agebant, quæ in turbulenta Cerularii Schola didicerant, accreverunt duntaxat Serviæ regno cum bello captis provinciis, ut ex impoſterum dicendis amplius clareſcet, &, ſicut Romanum, ſic nec Pechienſem agnoſcebant moderatorem, Conſtantinopolitano ſchiſmatico obnoxii, fretique. Quare exceſſus illorum Servianæ Eccleſiæ oneri eſſe non debebant apud Clementem, ſed latebat optimum Pontificem, cujus capitis membra impoſtores illi fuiſſent; & credidit, cum pars jam regni eſſent, membra quoque Eccleſiæ Servianæ evaſiſſe.

(A) Coll. VII. (B) Coll. V.

ſiſſe. Atqui nec Regis ipſius declinatio Servianæ Eccleſiæ vitio imputari debuit: nam venenum illud foris, & extra Serviam hauſerat, foris peregrina dogmata didicit; & paulo poſt, quam ipſum Serviæ regimen iniit, multis argumentis, indiciisque catholicum ſe probavit, ut Benedictus X. teſtatum reliquit (A). Denique legatione ſolemni ad Clementem adornata, tam viva internunciorum voce, quam literarum teſtimonio ſe filium Eccleſiæ profeſſus eſt, obedientiam obtulit, in gremium, ac protectionem, Apoſtolicam recipi rogavit, nuncios, magiſtrosque a ſancta Sede in regnum deſtinari expetiit. Hæc enim talia, nec ſine conſcientia, nec citra conſilium, annutumque Prælatorum egiſſe, ſcriptiſſe, expetiviſſeque putandus erat, cum ex horum conſilio in Servia penderent fere univerſa.

SERBL. Gravaverint hæc immerito Serviæ antiſtites apud Clementem, & nec injuriæ, quæ Latino irrogabantur ritui, nec ipſa Regis aberratio Prælatis Serviæ recte invidiam conflaverit: juſta tamen adhuc fuit Clementis adverſus illos ſuſpicio. Nam negari nequit libero quodam, abſolutoque more gubernatas ab ipſis fuiſſe Eccleſias, prætermiſſas communicatorias, quas vetus Eccleſiæ diſciplina præſcribebat; nec expetitam conſecrationem, aut confirmationem, ſeu ipſa Metropolitarum pallia per Epiſcoporum Synodicas: quæ quidem apud me non dubia ſunt, abruptæ communionis, defectionisque a Primatu Romano indicia.

BULG. Ut non negem iis, quæ nunc in medium protuliſti plus momenti ineſſe, imo & una facie alicubi ſchiſmatis inſtar ſpectari potuiſſe. At apud Serblos ritus Græcanici, Sæculo XIII., quo Pechienſis Archi-Epiſcopatus eſt, eo loco, ac ordine habenda fuiſſe pernego. Nam imprimis cum ex indulgentia Vigilii Papæ (B), quam & Nicolaus I. ratam habuit apud Illyricos, & Græcos, partium illarum mos univerſe invaluiſſet, ut Metropolitæ a Synodo Epiſcoporum propria legerentur, electique continuo conſecrarentur, ſublata videbatur conſecrationis Romæ quærendæ lex æque, ac neceſſitas.

SERBL. At cum poſt Vigilii quoque tempora Romani Pontifices ab Illyrico, & Græcis partium illarum Epiſcopis Synodicas relationes de electione, & ordinatione Archi-Epiſcoporum rite peractis, accipere, ac tum impertiri confirmationem, ſimulque pallium transmittere in more habuerint (C): & Nicolaus I. palliorum colla-

(A) Coll. VII. (B) Vide Coll. II. (C) Ex L. 4. epiſt. Gregorii I. ep. 7. ad Illyrici Epiſcopos. Et 8. ad Joannem Primæ Juſtinianæ Archi-Epiſcopum T. 6. Concil. Colleti.

collationem Romæ reſervatam eſſe Bulgaris partium illarum diſerte declaraverit ſub gravi onere non ſedendi in throno, nec conſecrandi quidquam antea præter corpus Dominicum (A): neſcio, qua ratione Pechienſes Serviæ antiſtites Illyrici ejusdem incolas; qui poſteriore ævo nullam obtinendorum palliorum, confirmationisve curam geſſerunt, a diviſionis nota vindicabis.

BULG. De Palliorum in Eccleſia origine, uſu, varia diſciplina, ac vicibus in Oriente, ac Occidente multa, & operoſe collegit Ludovicus Thomaſinus (B). Aſſerit Auguſtos id genus ornamenti regii in Romanum, cæterosque Patriarchas pie derivaſſe, ac commune iisdem feciſſe. Ab Auguſtorum pia largitione, ac arbitrio, adhuc ævo Gregorii I. Papæ, pallii uſum dependiſſe (C), &, cum quis Patriarcharum Sede movebatur, pallium Imperatori reddidiſſe (D). Favente, volenteque Auguſto anteceſſorem ad ſucceſſorem pallium transmiſiſſe (E). Denique palliorum ornatum ab initio diu poſtea, non neceſſitatis, ſed præcipui honoris fuiſſe, nec niſi magnis meritis, patrociniis, ſolicitisque precibus delatum (F). A Patriarchis, ſuæ Diœceſis Metropolitas, vel manus impoſitione, vel Pallii transmiſſione Epiſcopalis dignitatis firmamentum accepiſſe (G). Apud Romanos, cum obligatio conſecrationem Romæ quærendi deſiit, invecta eſt neceſſitas expetendi pallii gravi ſub

---

(A) Reſponſa Nicolai I. ad Conſulta Bulg. c. 72. & 3. ubi, poſtquam dixit: primum genti Epiſcopum Romæ conſecrandum venire: Subdit: *& ita demum Epiſcopos ſibi conſtituat, qui ei decedenti ſucceſſorem eligant: & propter longitudinem itineris, non jam huc conſecrandus, qui electus eſt, veniat: Sed hunc Epiſcopi, qui ab abeunte Archi-Epiſcopo conſecrati ſunt, ſimul congregati conſtituant: Sane interim in throno non ſedentem, & præter Corpus Chriſti, non conſecrantem prius, quam pallium a Sede Romana percipiat: ſicut Galliarum, Germaniæ, & aliarum regionum Archi-Epiſcopi agere comprobantur.* (B) Veteris, & novæ diſciplinæ P. I. L. 2. c. 53. (C) Gregorius I. L. I. ep. 27. *Suggeſtionem* inquit, *apud piiſſimos Dominos ſummis precibus plenam feci, ut virum beatiſſimum Anaſtaſium Patriarcham* (Antiochenum) *CONCESSO USU PALLII ad B. Petri Apoſtolorum principis limina mecum celebraturum miſſarum ſolemnia, transmittere debuiſſent: quatenus ſi ei ad Sedem ſuam reverti minime liberet, ſaltem mecum in honore viveret.* (D) Liberatus in Brev. 1. 21. de *Anthymo* throni Conſtantinopolitani invaſore a Papa Agapeto dejecto: *Videns ſe Sede pulſum, pallium, quod habuit, Imperatoribus reddidit, & diſceſſit.* (E) Acta Metrophanis, & Alexandri Byzantinorum Epiſc. in Bibl. Photii Cod. 256. (F) Gregorii I. L. 7. ep. 5. ad Brunichildem reginam Pallium Siagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo expetentem. (G) Synodus VIII. Oecum. Conſtantinopolitana anni 870. can. 17.

ſub onere, ut ex Nicolao I. oſtendimus. Ita quod liberum antea, maximique honoris fuit, progreſſu temporis, rebusque mutatis, evaſit neceſſarium.

SERBL. Si Patriarchæ Auguſtorum beneficio ornabantur palliis, nunquamne ergo a Romano ad Patriarchas pallia transmiſſa ſunt, aut quando demum, & cujus Auguſti favore provincia iſta Romanæ Sedi delata eſt?

BULG. Eſt hoc, quod Thomaſini diligentiam effugit. Ex liberato tamen, quem idem refert, clara luce effulget, jam ante Auguſtorum munificentiam, aqud primos Eccleſiæ Patriarchas Palli alicujus uſum viguiſſe, nec aliunde, quam ab ipſo Apoſtolorum principe Petro derivatum. Sane B. Marcum, primum Alexandriæ Patriarcham pallio ornatum fuiſſe conſtat: audiamus Liberatum (A) *Conſvetudo eſt*, inquit: *Alexandriæ, illum, qui defuncto ſuccedit excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dextram ejus, capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo beati Marci pallium, & tunc legitime ſedere.* At quis Marcum ipſum ornavit pallio? equidem nemo alius cogitari poteſt, quam Petrus, primus Romanus Epiſcopus, qui eundem & throno Alexandrino præfecit. Ab eadem Romana Sede Conſtantinopolitanos quoque Pallii honore decoratos fuiſſe aliquando, ex Luitprando Cremonenſi Epiſcopo diſcimus. Hæc autem Romana pallia ab auguſtalibus longe diverſa, ſicut uſus antiquiſſimi, ita multo erant ſacratiora, quia de corpore B. Petri ſumebantur. Sed & horum Conſtantinopolim mittendorum mos perturbatus eſt Sæculo X. ſedente Joanne XI. Nam cum *Romanus* Imperator Theophylactum filium ad thronum Conſtantinopolitanum provexiſſet, opera Alberici tunc Romæ tyrannidem exercentis a Joanne XI. impetravit denique Theophylacto, ac ſucceſſoribus jus pallii perpetui ſic, ut ſucceſſores non expectata nova licentia, indultuve Romanorum Pontificum palliis libere uterentur. Ex quo abuſus alter, quam novus, tam inſolens manavit, ut omnes Græciæ Epiſcopi palliis uterentur. Narrat hæc Luitprandus apud Baronium ad annum 935, qui paucum poſt tempus, hoc eſt: anno 946 Brengarii legatum Conſtantinopoli egit, cujus verba accipe: *Scimus* inquit: *imo videmus Conſtantinopolitanum Epiſcopum pallio non uti, niſi ex ſancti Patris noſtri permiſſu. Sed, poſtquam Imperator effecit, ut Papæ nomine Theophylacto literæ mitterentur, quarum authoritate, tam ipſe, quam ſucceſſores abſque Papæ permiſſione palliis uterentur; ex eo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non ſolum Patriarcha, ſed etiam Epiſcopi totius Græciæ palliis utantur* (B). Perturbata vero ad hunc modum jam

Nec omiſſa Pallii petitio.

A) Liberatus in Brev. c. 10. (B) Vide Baronium ad annos 935, 946, & 968.

Sæculo X. apud Græcos palliorum diſciplina, Pechienſes quoque, Serviæ Archi-Epiſcopi Græcum ritum profeſſi, Sæculo XIII., quo fundati ſunt, expetenda ſibi Roma pallia non cenſuerunt, ſeu, quod uſui Theophylacti indulgentia ad omnes Græcanici ritus Epiſcopos propagatæ inſiſtendum putarent: vel, quia etiam Latinus Conſtantinopoleos Pasriarcha, qui vices ſuas, & jura in Sabam primum, Pechienſem Archi-Epiſcopum large transtuliſſe fertur (A), jus quoque pallii perpetui in eosdem conderivavit: vel, quod ex Honorii III., & ſucceſſorum provida quadam, ut ajunt, œconomia, iſtud veteris diſciplinæ punctum relaxatum fuiſſe videatur: Nec enim quisquam ante Clementem V. de eo quæſtionem promovit: longa proinde conſvetudine, diſciplinæ illi veteri præſcriptum, derogatumque ſit. Quis enim neſcit res diſciplinæ, pro locorum diverſitate, aut temporum viciſſitudine commutari, & aliter, atque aliter ſe habere poſſe: ac univerſe ejus eſſe indolis, & naturæ, ut privilegio vel conniventia remitti, & diſtincta conſvetudine antiquari poſſint, ſalva, ac integra, tam puritate fidei, quam concordia, reverentia, obedientiaque, quæ Sedi Apoſtolicæ debetur: verbo, nullo derogamine, injuriave Primatus, quem Sedes illa a Chriſto accepiſſe noſcitur; cum præcipue viis aliis, modisque fovetur communio, & ſubjectio nota, teſtataque fuit.

SERBL. Pronius equidem ſubſcribam huic tuæ Sententiæ, nec Pontifices Serviæ Græcos diviſos a Sede Romana fuiſſe contendam, ſi tu qualemque communionis modum, formamque apud illos obtinuiſſe evincas.

BULG. Communicabant Græco-Serviani Epiſcopi Sedi Apoſtolicæ paulo aliter, ac Latini; nunc per transmiſſas a Regibus literas, legatosque obedientiæ teſtes: alias per expetitos in regnum Apoſtolicos nuncios, factaque poteſtate corrigendi evellendi, docendi, plantandi. Priorem modum tenuit Stephanus primo coronatus, cum per Oratorem Methodium Epiſcopum mandata, metusque Honorii III., in rebus utique Eccleſiarum, & ſalutem ſpectantibus, exquiſivit (B); alterum Uroſius Milutinus ſequutus eſt, cum nuncios Apoſtolicos, futuros gentis magiſtros expetiit. Idem vero ſuam, ac Eccleſiæ Græco-Servianæ ſubjectionem ſatis, niſi fallor, patule teſtatam fecit, cum uſum fermentati in Sacrificio; Symboli Conſtantinopolitani primævum morem retineri, & plura alia, quæ ritum ſacrorum ac fors quoque jura regalia attinebant, rata haberi, confirmarique ſupplex interceſſit (C). Quare neque veteris illius diſciplinæ per Synodicas pallia expetendi Romæ, intermiſſio Græco-Ser-

(A) Aſſemanus T. 5. P. 1. n. 18. relatus Coll. V. (B) Coll. V. (C) Coll. VII.

Servianam Eccleſiam in ſuſpicionem mutatæ, aut vacillantis fidei, vel abnegati Primatus, merito adduxit; cum præcipue eodem temporis articulo, & Rex ſe profiteretur Catholicum, & obedientiam ſponderet, protectioni Apoſtolicæ regnum ſubmitteret, Divi Petri vexillum imploraret, nuncios, & doctores expeteret, plura denique, quæ ad ritum veterem Eccleſiarum faciebant, Papæ ſuffragio, ſtabiliri optaſſet. Hæc enim, ut Eccleſiam ipſam Græco-Servianam propius reſpiciebant, ita ſane non absque antiſtitum arbitratu, ac ſynodali concurſu acta, quæſitaque fuiſſe Romæ, res ipſa admonebat, ac perſvadere debuit.

SERBL. Excuſent hæc utcunque Servianæ Eccleſiæ antiſtites a nota diviſionis, ſchiſmatisque, ac multo magis a quavis diſcordia in dogmate: eſt tamen rurſus, quod eorum fidei, concordiæque ſinceritatem in dubio ponit. Nam cum a Regibus impetrati nuncii Apoſtolici, & tunc, & poſtea in Serviam appuliſſent ſpebus optimis; unio tamen ſolemnis illa, ac univerſalis nunquam coaluit (A), refragantibus procul dubio Prælatis cumprimis, ac Clero Græcanici ritus: quorum authoritas, ut in regno noſtro ſemper præcipua fuit; ita Proceres, populumque facile in quamvis partem inclinavit, flexitque. Et vero, ſi Prælati noſtri, ſi Clerus tam remoti a labe Schiſmatis, quam velles, erant; cur ſanctus ille Rex Uroſius III., qui Milutinum patrem regno ſequutus eſt; apud Joannem ſummum Pontificem non propugnat eorum integritatem? Cur Cleri, populique totius nomine offert unionem, ſpemque facit certiſſimam abdicandi Schiſmatis?

BULG. Ut a poſtremo, quod opponebas ordiar: Uroſius III. ſuo, Cleri, populique nomine confeſſionem fidei catholicæ publicam, tum & ſolemnem abrenunciationem ſchiſmatis cujuscunque Joanni XXII. large obtulit, & fidenter eſt pollicitus: noverat enim Clerum ſuum Græcanici ritus jam ita comparaſſe animum, ut ad amoliendam ſemel, qua Romæ flagrabant ſchiſmatis invidiam, quanquam nec rei, nec convicti, ne a publica quidem, ſolemnique errorum, & Schiſmatis deteſtatione, damnationeque abhorrerent. Nulla vero apud Joannem Papam Cleri defenſione uſus eſt, quod in occupato Pontificis animo adverſus univerſam Serviam, ob ea potiſſimum, quæ regnante patre Milutino Uroſio, paucis ab hinc annis evenerant, nulli defenſioni locum dandum prænoſceret, atque ipſa fors excuſatio in malam partem verti poſſet. Sed ſolemnis, quæ in omnium votis erat unio, licet bis tentata, nunquam coaluit. Cauſas, ob quas tunc ſub Uroſio III., & paulo antea ſub Milutino Uroſio

X: Sed nec offi cit intertur bata ſolemnis unio ſub Milutino Uroſio II., & filio ejus Uroſio III.

(A) Vide Coll. VII., & Coll. VIII.

Urosio II. perturbata est, quia jam alias (A) copiose exequutus sum, hic rursus non repetam. Itaque, ut semel concludam: non dogmatum dissidium, non controversia mota Primatui Pontificis, rebus infectis partes semper diremit: dogmata enim, Primatumque, nec insciis, nec obluctantibus, imo suffragatione communi præeuntibus Prælatis, complexi, professique sunt Regum singuli. Quod ergo tunc, & alias impedimentum objecit, obstititque, res solius, ac meræ disciplinæ fuerunt: quas, cum innovare, atque, ut videbatur, in meliorem transferre formam pararent Pontifices: Serviani autem a quavis novationis, mutationisque specie in disciplina, ac ritibus superstitiose abhorrerent; omneque concordiæ ecclesiasticæ punctum sola dogmatum catholicorum confessione, & sponsione obedientiæ Primatui debitæ finiri, absolvique vellent: ea, qualiscunque tergiversatio, obluctatioque multorum judicio, gravem censuram subiit, atque ad ipsam schismatis notam pertracta est: quanquam me quidem arbitro nec caute satis, nec rectissime: nec enim reverens quævis, modestaque tuitio privilegiorum, jurium, rituum, disciplinæ, moris antiqui, vel consuetudinum, si illæ præcipue antiquæ, innoxiæ, probatæque fuerint, tam turpis nominis ignominia inurenda est, veluti cauterio quodam, nisi omnem prope catholicorum nationem, regna quasi universa probro consimili notare velis. Dissidiorum istius generis in gente quavis, & omni prope Sæculo innumera nobis exempla præbet Ecclesiæ historia, quin alicui propterea in mentem veniat, omnes, aut plurimos damnare schismatis.

XI. Etiam sub Stephano Rege, ac Imperatore, fidei, & Ecclesiarum consensio abrupta non est.

SERBL. Cum sub Urosio II. & III. interturbata licet solemni illa, ac publica unione, Serviana Ecclesia intra fidei catholicæ, præscriptosque obedientiæ limites adhuc constiterit; neque Stephano Imperatore, positos a Patribus terminos eandem violasse, aut transiliviſſe contendam: cum præcipue intelligam Innocentium VI. lenitate, ac moderatione incredibili gentem nostram complexum, omne negotium unionis nostræ, sola fere Stephani Imperatoris confessione catholica, pro confecto, absolutoque habuisse; & nec Imperatori ipsi, nec Ecclesiæ quidquam eorum, quæ bis antea tentatam solemnem unionem abruperant, injungendum duxisse (B).

BULG. Providum istud, sapientissimumque Innocentii VI. consilium, nunquam satis digne celebrare, efferreque laudando valeo. Et, quanquam tunc etiam altercatio infelix, undecunque orta, quæ Imperatorem cum Petro Apostolico nuncio commisit, spes maximas Imperatoris, ac Pontificis optimi non leviter afflixerit, retardaveritque; nihil tamen de integritate fidei, ac reverentiæ in Sedem Apostolicam

(A) Vide Coll. VII., & Coll. VIII. (B) Coll. IX.

cam detraxit, diminuitve: quidquid Petrus nuncius Apoſtolicus, aliique ab eo præventi de re hac ſenſerint, pronunciaverintque. Certe catholicam prorſus Imperatoris, & Eccleſiæ veſtræ fidem nulla hæreſeos, aut Cerularii macula adſperſam plene evincit Regium, & Synodale decretum, quod in Provinciarum ſuarum Græcos Epiſcopos Cerularii diſcipulos evulgarunt, cum illi venena ſua late, & quaqua verſum per emiſſarios funderent, nec a turbandis Romanorum Sacris, Eccleſiisque linguas, manusque ipſas abſtinerent.

XII. Eo imperante ſparguntur per Serviam a Cerularii aſſeclis novæ hæreſes. Conatus eorundem, ad dividendam a Romana Serviæ Eccleſiam.

SERBL. Ex inſtructione, Innocentii legatis anno 1354, data palam eſt, a recentiſſimis temporibus Cerularii Sectatores, turbas Serviæ graves admodum intuliſſe: has ex verbis Pontificiis cognoſce: *Nuper*, inquit, *rumor infeſtus ad noſtrum, non ſine gravi mentis turbatione, perduxit auditum: quod nonnulli iniquitatis filii, ſolo nomine ſe chriſtianos profitentes, fidei tamen chriſtianæ prorſus adverſi; in regno Raſſiæ, Albaniæ, & Sclavoniæ, ac aliis circum adjacentibus partibus inconſutilem Domini noſtri tunicam dividere, & lacerare conantes, ac perniciosa ſchiſmata ſuſcitantes, NOVAS INDUCUNT SECTAS, variosque ſeminare moliuntur errores: ex quibus, ut aliquos recitemus: falſo, & pertinaciter aſſerunt: SPIRITUM SANCTUM NON A FILIO, SED A SOLO PATRE PROCEDERE: - - iidem mendaciter aſſerunt, contra ea, quæ præfata Romana tenet Eccleſia; CORPUS CHRISTI NON IN AZYMO ſed fermentato pane confici debere: & quod IN AZYMO confectum eſt, ESSE DENEGANT CORPUS CHRISTI - - & CONCULCARE PEDIBUS non verentur. Dicunt etiam FORMAM BAPTISMATIS, ET CONFIRMATIONIS juxta ritum, quem prædicta ſervat Eccleſia, FALSAM ESSE, ac juxta formam hujusmodi baptizatos, & confirmatos, baptismati, & confirmationi ſic ſuſceptæ RENUNCIARE, ET CONFIRMARI compellunt. Præterea dicuntur aſſerere EANDEM ECCLESIAM - - IN PLERISQUE ALIIS, quæ in præſentibus exprimere non curamus, A VERÆ FIDEI TRAMITE DEVIARE* (A). Hæc de iis Innocentius, qui cum recens captis provinciis Serviano imperio acceſſerunt, accreveruntque. Quale vero in eos edictum Stephanus Imperator cum Synodo Eccleſiæ Servianæ vulgavit?

BULG. Antequam ad exponendum edictum progrediar, attentius adverte ad illa Innocentii verba: *novas inducunt ſectas, variosque ſeminare moliuntur errores.* Nova igitur, nec audita, certe non recepta, nec admiſſa apud Servianos fuit doctrina, de *Spiritus ſancti proceſſione a ſolo patre, & non filio*: de *nullitate ſacrificii in azymo*: de *irrito Romanorum baptiſmo, & confirmatione.* Integra itaque in veteri

(A) Coll. IX.

veteri fide ſubſtitit adhuc Serviana Eccleſia, & quanquam id ipſis vocibus ſymboli non exprimeret, credidit *Spiritum ſanctum a filio quoque proceedere*: Sacrificia, ac Sacramenta Latinorum in cultu, ac reverentia habuit. Nec diviſam, ſciſſamque a Romana fuiſſe, inde collige: quod Innocentius aperte teſtetur, hos eosdem iniquitatis filios eo conatus contendiſſe, *ut inconſutilem Domini tunicam in regno Raſſiæ, Albaniæ, & Sclavoniæ dividerent, & lacerarent.* Quod ſane ſententiam meam, quam adhuc propugnavi, de integritate fidei Servianæ Eccleſiæ hucusque propagatæ, & nullo hactenus ſchiſmate ſciſſæ, abruptæque, mire illuſtrat, confirmatque.

SERBL. Parce, interloquar: ſi iſta, quam laudas, de Servianæ Eccleſiæ fide, ac unione Innocentii VI. mens erat: ut quid igitur ab eodem Pontifice, eodem prorſus temporis articulo, reprehenditur *Joannichius* caput, & Patriarcha Eccleſiæ noſtræ? cur illi objectum eſt? *quod illicite paſtoris gerat officium*: *quod non per oſtium, id eſt per Eccleſiam, ſed aliunde intraverit* (A). Gravis hæc expoſtulatio, niſi ſchiſma notet, neſcio, quid aliud?

XII. Serviæ Patriarcha ab Innocentio VI. arguitur ob neglectam petitionem Pallii.

BULG. Hic, nec mutatam fidem, nec ſchiſmatis crimen *Joannichio* exprobrari palam eſt: vitio datur duntaxat, quod Pallio nondum a Sede Apoſtolica impetrato, paſtoris fungatur officiis. Sed hanc diſceſſionem a veteri obſervantia, nos jam antea emollivimus, & Joannichius ipſe conſvetudine diuturna differentis apud ipſos diſciplinæ, neglectum illum facile honeſtare potuit. Quibus per occaſionem declaratis ad Regium, & Synodale decretum revertamur. Poſt innumeros Græco-Cerulariorum Epiſcoporum exceſſus, injuriasque Latinis Eccleſiis irrogatas: poſt reſtitutos ab Imperatore in integrum, quos furioſi illi Prælaturis, cœnobiisque ejecerant: cum mandatis graviſſimis, minisque ſeveriſſimis coerceri perditi homines non poſſent a ſpargendo peſtiferæ doctrinæ veneno, a laſceſſendis Latinorum Eccleſiis, ſacrisque, & odiis in ejus ritus miniſtros, verbo, nullum illi finem turbandi, miſcendique facerent; coacta Epiſcoporum Serviæ Synodo, Regio ſuo, & Patrum decreto, univerſos hos Cerularii miniſtros, Epiſcopos, cum Clero omni, toto quam late patebat Serviæ imperio proſcripſit, exeſſe juſſit, expulit, ejecitque: obſequutus hac parte Clementis VI. pio, ac ſalutari monito, qui jam anno 1351 *bos, mali ſeminis, ac lolii ſatores, a finibus Chriſtianorum arceri* optabat (B). Malis enim extremis, extrema tantum proſunt remedia: & coruptelis, quæ medicinam reſpuunt, re nulla melius, quam amputatione occurritur. Et erectus ille, ac Deo, juſtitiaque cauſæ confiſus Imperatoris animus nihil reformidavit, aut reveritus eſt anathema,

XIV. Decretum Imperat., & Serviani Synod. in Cerularii aſſeclas, Epiſcopos Græcanicos: eorumque exilium.

XV. Anathema Calliſti, Conſtantinopoleos Patri-

(A) Coll. IX. (B) Ibid.

thema, quod propterea in ipſum, Serviæ Epiſcopos, Clerum, gentemque omnem Calliſtus Schiſmaticus Conſtantinopoleos Patriarcha anno 1355, princeps, ut ferunt turbarum omnium, author, motorque ſtrinxit, vibravitque. Sed neque ſucceſſor Uroſius, &, quæ eo imperante Serviana fuit Eccleſia, ad fulminis ejusdem memoriam, recordationemque expavit: ita ſpretum, neglectumque fuit tunc, ac diu poſtea ab omnibus.

archæ, propter Cerularianos ejectos vibratum in Serviam. A Serviana Eccleſia, & tunc, & ſub Uroſii IV. imperio neglectum.

SERBL. Non inſtitit iſtorum veſtigiis comes Lazarus: vix enim ad principatum provectus, ubi rei ſub Stephano Imperatore geſtæ vetuſtate prope obſitæ (A) per monachos montis Atho eſt admonitus, cum fors inde Servianorum infortunia derivarent; inito continuo cum Eccleſia ſua colloquio, oratores communi Serviæ nomine ad Joannem Palæologum VI, & Philotheum urbis Patriarcham deſtinavit, orans, & a vinculo Calliſti olim Patriarchæ exolvi gentem, & nova benedictione donari (B). Placuit legatio, & Auguſto, & Patriarchæ, quæ petebantur ample omnia, cumulateque tribuerunt, & veniam, & benedictionem: utque beneficium luculentius eſſet, Chryſobolum adjecerunt, quo Pechienſes Archi-Epiſcopi Serviæ, titulis, ac privilegiis Patriarchæ ornabantur, paresque cæteris univerſalibus, ſeu Oecumenicis decernebantur. Jam cum hæc talia, ſingulari veneratione ſuſcepta, & in publicum promulgata ſint inter ſacrorum ſolemnia, quibus peractis Lazarus corona redimitus eſt; vereor equidem, ne hinc initia tranſitus noſtri ad Conſtantinopolitanos, deſertis Romanorum partibus, ducenda nobis ſint.

XVI. Ejus vinculi ſolutionem Lazarus Comes Deſpota Conſtantinopoli quæſivit, ſalva, & integra fide Catholica.

BULG. Nihil eſt, quod vereris: petitiones illæ Lazari, Eccleſiæque non aliud erant, quam eminentis pietatis indicium. Erat nempe illis in votis, pacem, concordiamque colere cum univerſis Dei Eccleſiis, & Conſtantinopolitana ipſa, quæ tunc jam cum Joanne Imperatore bona ſui parte, miſſo ſchiſmati, & erroribus nuncio (C), unionem cum Romana Sede fovebat, ejusque obſequio ſe dediderat. Sed nec ſolemnis illa bullæ aureæ acceptatio, vulgatioque, qua Pechienſes æquabantur Patriarchis, Oecumenicis officiebat quidquam, ſtabant hæc omnia cum recta Servianæ Eccleſiæ fide, cum ſubjectione perfecta ad Apoſtolicum Petri Primatum, a quo nec reliqui Eccleſiarum Patriarchæ, nec Conſtantinopolitanus ipſe liber fuit, & exemtus. Quam Primatus Romani confeſſionem fidei, & obedientiæ communionem renova vit, iterumque teſtata eſt Eccleſia Serviana, quando ejus, ac Georgii Deſpotæ legati anno 1439 decretis Synodi Florentinæ ſubſcripſerunt, ut pridem ex Eugenii IV. literis docuimus (D). Nec ab iſta dogmatum integritate, ac communione deceſſum

In qua & ſucceſſores Deſpotæ cum Epiſcopis ad extremum uſque, & finem regni Serviæ perſtiterunt.

(A) Interceſſerant enim anni viginti. (B) Coll. XI. (C) Anno 1369. (D) Coll. XI.

ceſſum fuiſſe ad regni uſque excidium, Turcicamque captivitatem, inde palam, ac manifeſtum fit, quod Lazarus II. filius, collega, & ſucceſſor Georgii, ultimus Serviæ regnans Deſpota, principatum, ditionemque omnem ſuam in clientelam Eccleſiæ Romanæ, anno 1458, quo vitam Semendriæ concluſit, tradiderit, conſignaveritque per manus Cardinalis Joannis de Carvajallo Legati Apoſtolici Calliſti Papæ III. (A): &, quod Boſnæ principes Thomas, ac Stephanus, qui poſt Lazarum extinctum jura Serviæ, Raſciæque univerſæ in ſe derivarunt, titulosque regnorum geſſerunt, Eccleſiæ Romanæ ſimul cum Prælatis ſuis ad extremum usque conjuncti vixerint (B). Quæ cum a me hactenus ad defenſionem Eccleſiæ Servianæ perorata ſint, nolo cuiquam videri comparata hæc eſſe ad privatos etiam quoslibet a labe errorum, ac ſchiſmatis purgandos, liberandosque: ut enim nec ſementis optima ſine lolio, paleisque ſuccreſcit, nec aurum absque ſcoria provenit; ſic neque Eccleſia Serviana corruptis, inquinatisque membris ſemper, & ex omni parte caruit. Magnam plebis partem, aut corruptorum vicinia, aut ruditas, ruſticaque ſimplicitas abduxit: Procerum complures, aut Milutini, & Dragurini aberrantium exempla, aut infelices parentelæ, vel ipſa etiam vitæ licentia in ſchiſma, & errores præceps egit: de quibus a majorum inſtituto deviis plenæ ſunt jam Bonifacii VIII., & Benedicti X. epiſtolæ (C).

SERBL. Statue itaque, quæ vera putas defectionis Eccleſiæ Servianæ a Romana initia: nam & hanc deſciviſſe aliquando, hodiernum, quod apud noſtros regnat ſchiſma, extra dubitationem omnem conſtituit.

BULG. Ut colloquiis diuturnis finem imponam, ſtatuo: non impetu, ſed gradibus quibusdam Serviam denique huc prolapſam eſſe. Cum enim Eccleſiæ Servianæ puritas, integritasque turbari coepiſſet pravis Dragutini, & Milutini Uroſii II. principum exemplis turbæ autem illæ ſemel, atque iterum Milutino jam regnante, ac præcipue poſtremis vitæ annis erupiſſent, cum is fere in Proceres regni curas derivaſſet: Stephano Uroſio III. filio ejus, regnum adepto utcunque compreſſæ ſunt. Sed Stephano Imperatore, cum nova plurimarum, peſte infectarum provinciarum, ad Serviæ imperium acceſſio facta eſſet, turbæ eædem tantopere excreverunt, ut ad reddendam imperio, & Servianæ Eccleſiæ malaciam, ſiſtendumque Cerulariorum furorem, ac corruptelas, idem Imperator, & Epiſcoporum Serviæ Synodus, ad extremum remedium corripiendum coactos ſe ſenſerint; & Græcanicos illos Epiſcopos violentiſſimos

(A) Coll. XI. (B) Coll. XII. (C) Coll. VII.

mos novorum dogmatum Seminatores, Clerumque pari animi impotentia furentem, emisso edicto ab imperio amputandos, depellendosque censuerint, amputaverint, depulerintque. At cum neque hac providentia populorum saluti plene consultum esset, quin venenum jam multorum præcordiis haustum, latius in dies funderetur, multorumque animos, aut Cerularii, aut Patarena etiam dogmata illaquearent (nam & hæc pestis, devicta anno 1350 Bosna in Serviæ viscera se penetraverat, nec laniare desiit) Status Serviæ inter bellorum tumultus, qui Urosii IV. imperium convulserunt, multo corruptior, infeliciorque apparuit. Sed Pechiensis Serviæ Patriarcha, antistites, & Clerus nobilior, pauloque doctior, sustentantibus cumprimis principibus, tunc etiam integritatem suam sunt tuiti, nec antea in schisma, paucosque illos errores, quos hodie fovent, sunt provoluti, ac postquam regnum dissipatum, & pars nationis illa etiam, quæ in Hungariam excesserat, ibi quoque Turcorum jugum subiit, omneque fere commercium cum Romanis barbarie est interceptum. Quare Lazari II. fratrem *Stephanum* cœcum, Despotam, ejusque conjugem *Angelinam*, qui labantibus Serviæ rebus in Syrmium se receperant; filiosque *Joannem*, ac *Georgium*, *Maximum* dictum, primum illum Krusedolensem in Syrmio Archi-Episcopum, nihil labis in fide, ac communione passos affirmare non dubito. Nam illos, & paterna, maternaque institutio, & notitia historiæ domesticæ a corruptela integros servavit, & mors felix annis aliquot prius, malis futuris præripuit (A). At postquam apud Pechienes diuturno Turcorum jugo oppressos; neglectis, ut fit in barbarie, literarum studiis, ipsa etiam historiæ domesticæ momoria sensim obliterata est, illi ritus similitudine decepti, cum sibi relicti essent, facile Bulgarorum errores adoptarunt, & veteri sedium communione in Syrmienses quoque transfuderunt: sicque pedetentim fere universi Græci ritus Serviani, in hoc deplorandum schisma, quo hodieque scinduntur, sunt prolapsi. Quod illi nunc avitum, imo perpetuum fuisse in Ecclesia Serviana sibi persvadent, errore palmari, perniciosissimoque. Nam idcirco, & nativos sanctos, quorum beata corpora in potestate habent, malo eodem involvunt, sicque involutos vitam peregisse, præjudiciis, & veri ignoratione decepti, sibi blandiuntur. Hincque imprimis se, populumque ritus sui in devio errantem, fallunt, obfirmantque. Quem palpum, & hallucinationem, quamcunque alte impressam, nos toto

XVII. Nec nisi post diutur. nam captivitatem Turcicam, abrupto cum Romanis commercio in paucos Achridanorum errores, quos hodieque fovent, declinarunt.

(A) Joannes obiit anno 1503. Maximus Archi-Episcopus anno 1516. Syrmium Solimanus occupavit anno 1521, ac quinquennio post, hoc est: anno 1526 a clade Mohacsensi magnam Hungariæ partem sub jugum misit, quo jam ab anno 1459 Servia premebatur.

hoc opere, animis illorum eximere procuravimus, & ſpero ex radice ipſa revellemus, poſtquam duce hiſtoria, quam elucubrare genuine ſtuduimus, Reges ſuos, ſanctos ſuos, & ipſam adeo Eccleſiam puram a labe ſchiſmatis, errorumque, fide, ac obedientia Principis Apoſtolorum Sedi Romanæ, inde a Sæculo VII. ſeu primis chriſtianæ fidei incunabulis, ad extremum usque conjunctam egiſſe penitius cognoverint, probaverintque. Vale, & patrem luminum, cujus donum vera fides eſt, exora: mihique bene precare.

GENULATUS,

REX GOTHORUM IN SEPTEMTRIONE.

Ex Diocleatis Epocha prima regnare cepit inter annos communes Gelaſii I. Rom. Pontif. & Anaſtaſii Imp. hoc eſt: inter 492 & 496 regnavit circiter ad ad annum Chriſti 530. Habuit filios tres. Ex quibus

BRUSIUS primogenitus ſucceſſit patri in Septemtrione circa 530.

TOTILAS in Italiam abit. Obtinet Principatum Traviſii: & anno Chriſti 541 fit rex Gothorum in Italia. Perit anno 18 belli Gothici. Chriſti 552.

TOTILAS, ET OSTROILUS

egreſſi de Septemtrione cum exercitu circa annum 532 annis 533 & 4 proſpere cum Longobardis in Pannonia decertarunt. Anno 535 belli Gothici primo transeunt in Dalmatiam: auxiliantur Gothis contra Romanos: interſunt prælio quo Mauritius, & Mundus Duces Romanorum cæſi ſunt. Poſt quam victoriam copiis diviſis.

OSTROILUS in Dalmatia pugnat contra Romanos anno 536 & 7. & profligatis illic Gothorum rebus ſecedit anno 538 ad Sclavos trans Iſtrum colentes, manetque Anno 547 belli Gothici XIII. evocatus a fratre rege Totila cum Sclavorum, & Gothorum auxiliis redit in Dalmatiam: ubi anno 548. & 9. varia cum Romanis bella gerit.

Tabula Regum Prævalitanorum ex Diocleate

OSTROILUS.

Anno Chriſti 550 belli Gothici XVI. ditionem Prævalitanam quam occupavit, a Juſtiniano I. obtinet jure fiduciario poſſidendam. Sed cum poſt Thejam ultimum Gothorum in Italia regem vere anni 553 peremptum, extinctum in eo regnum Gothorum, Oſtroilus per *Senulatum* filium Prævalitanum regnum dilatare cepiſſet, per Duces Juſtiniani I. in prælio peremptus eſt anno 553.

SENULATUS.

Regnavit jure fiduciario ab anno 553, & anno regni XII. Chriſti 565 moritur.

SELIMIRUS.

Regnavit ab anno 565 & XXI. regni anno Chriſti 586 moritur.

VULADANUS SEU BLADINUS.

Regnavit ab anno 586. Hoc regnante Abares. & Bulgari ſub Kris Cagano irrumpentes in Dalmatiam XL. urbes everterunt anno 599. Nec tamen ſedem fixerunt, ut putavit Diocleates: qui cum ejus regni annos non notaverit, dici poteſt obiiſſe circa annum 619.

RADIMIRUS.

Regnavit ab anno 619. Invaſit varia Dalmatiæ loca. Chriſtianorum hoſtis, & perſecutor. Ejus regni annos non notavit Diocleates. Obiit improlis. Et Abari anno 636 circa paſcha Prævalim cum Romana Dalmatia occuparunt, domitis aut expulſis veteribus incolis, colonias ſuorum induxerunt ſedesque in Dalmatia fixerunt.

Regnum ABARUM IN DALMATIA ex Diocleate.

Anonymi IV. tyranni ſucceſſive regnarunt a vere anni 636 ad finem anni 639.
Anno 636 ſub autumnum veniunt Chrobati ad Heraclium I., & in Abares bellum movent continuantque per annos ſequentes.
Anno 638. Advenerunt & Serbli, junctique Chrobatis in Abares bellum promoverunt: occiſis ſucceſſive tribus ex gente Abarica tyrannis.
Anno 639. Quartus quoque tyrannus ſub finem anni hujus a Satimiro Serblorum Principe perimitur, & ſubjugatis Abaribus regnum eorum in Dalmatia exſtingitur.
Anno 640 Dalmatia inter Chrobatos, & Serblos dividitur. Superior, a Drilone ad Zentinam fluvium Serblis obtingit cum Servia Montana. Dalmatia inferior a Zentina ad Iſtriam usque ceſſit Chrobatis.
Anno eodem 640 exeunte Chrobati, & Serbli baptizantur agente Heraclio I. Auguſto, in cujus Clientelam gens utraque conceſſerat.

TABULA I.

Regum Serviæ ex Diocleate ab anno Christi 638. ad 862. sive ad Interregnum Ciaslavi.

Epochæ Regum ex Cat. Rom. Archi-Ep. Spalat.		Anni Regum quos Diocleates notavit.
Ab Anno 638.	I. SATIMIRUS advenit ex Cat. Romano anno 638. Decessit ex Porphyrogenito ante Bulgarorum irruptionem anni 679. Igitur an. 677, vel sequente. Hinc fluit regnasse annos circiter 40. Diocleates annos non adnotavit.	Nihil.
Ad annum 680.	II. BUDIMIRUS. Decessit ex Cat. Rom. anno 680. mense Martio teste Diocleate qui etiam tradit regnasse an. 40, & 4. menses. Igitur jam anno 639. cum patre regnabat. Celebravit Concilium anno 679. ubi simul Rex Serviæ, & Chrobatiæ.	Rexit annos 40. & 4. mens.
Ab an. 680.	III. SVETOLICUS. Rex totius Serbliæ, & Chrobatiæ: quia ex Diocl. regnavit XII. annos igitur decessit 692.	Rexit an. XII.
	IV. VLADISLAVUS. Cujus regni annos Diocleates non exposuit. Si regnasse ponatur annos XIII. decessit 705.	Nihil.
	V. TOMISLAUS. Frater Vladislai fuit a principio solius montanæ Serviæ princeps. Post fata fratris totius Serbliæ, & Chrobatiæ Rex ad an. usque 722.	Rexit an. XVII.
	VI. SEBESLAUS. Decessit anno 746.	Rexit an. XX.V.
	VII. RASBIVOJUS. Decessit anno 753.	Rexit an. VIII.
Ad an. 774.	VIII. VLADIMIRUS. Frater Rasbivoi, fuit initio solius montanæ Serviæ princeps: post fata fratris totius, Serbliæ, & Chrobatiæ Rex. Obiit anno 773.	Rexit an. XX.
Ab anno 774.	IX. CORAMIR. Rex totius Serbliæ, & Chrobatiæ. Sub hoc rebellavit Alba Chrobatia: & Franci occuparunt Istriam, & Liburniam anno 789. quo eodem in prælio occubuisse videtur. Ejus annos non exposuit Diocleates. Hinc videntur fuisse XVI.	Nihil.
	X. TVARDOSLAVUS. Recuperavit partem Chrobatiæ. Annos Diocleates non exposuit. Fuit Rex Serbliæ Maritimæ, & partis Chrobatiæ. Obiit improlis.	Nihil.
	XI. TOLIMIRUS. Frater Tvardoslavi: fuit principio solius montanæ Serbliæ princeps. Post fata fratris simul utriusque Serbliæ rex, & partes Chrobatiæ. Annos regni Diocleates non exposuit. .	Nihil.
	XII. PRIBESTLAVUS Diocleatis, qui est idem cum Porphyrogeniti Boiseftlabo. Annos Diocleates non exposuit. Occisus a Bosnensibus anno 805. Annum hunc cædis pono, quia ex Diocleate liquet anno 806. Cressimirum jam regnasse. Quare anni XVI. qui sunt ab anno 789. ad 805. inclusive dividendi sunt inter Tvardoslaum, Tolimirum ejus fratrem, & Pribistlavum Tolimiri filium.	

Epochæ Regum ex Cat. Rom. Archi-Ep. Spalat.		Anni Regum quos Diocleates notavit.
Ad an. 830. vel potius 827. usque 840.	XIII. CRESSIMIRUS. Hoc rege Franci anno 806. occupant Albam Chrobatiam, & dant Chrobatis Duces quorum primus *Borna* legitur ad annum 818. Decessit anno 827. Quare Catal. Rom. Spalat. aberravit annis tribus.	Rexit an. XX. & mensem unum.
	XIV. SVETORADUS. Frater Cressimiri, fecit pacem cum Francis. Ejus regni annos non exposuit Diocleates. Catalogus Archi-Ep. Spalat. notat circiter usque 840. regnasse.	Nihil.
Ab anno 840.	XV. RADOSLAVUS. Frater Cressimiri, & Svetoradi: regnavit ex Catal. Rom. ab anno circiter 840. Iste ab initio regni Cressimiri fuit Serbliæ montanæ princeps. Sub hoc rebellavit Belitzius Banus albæ Chrobatiæ anno circiter 850: quem cum vicisset: a Ciaslavo filio regno pulsus est.	Nihil.
Ad annum 860. vel potius 862.	XVI. CIASLAVUS. Patre pulso regnavit usque 862. quo ab Hungaris cæsus est. Sequitur *Interregnum* anno 862. ad 868.	Nihil.
	PROSEGOES. Radoslavi filius, & Ciaslavi frater: ex Porphyrogenito fuit Princeps montanæ Serbliæ.	
	XVII. BLASTIMERES. Ex Constantino Porphyrogenito filius Prosegois nepos Radoslavi. Post mortem patris Prosegois fuit solius montanæ Serbliæ Princeps a Basilio I. Imp. Rex factus anno 868. rexit ex eodem Porphyrogenito ad annum 885. ab hoc descendunt Serviæ montanæ principes.	
	N. Filia nupta Krajnano ex qua Paulimirus seu Phalimeres Princeps Terbuniæ: qui postea XVIII. Rex Serviæ de quo vide Tab. II. Regum Serbliæ.	Filii montanæ Serbliæ principes Muntimerus: Stroemerus, & Goinicus quorum descendentes vide Tab. II. Principum montanæ Serbliæ ex Const. Porphyrogenito.

TABULA II.

Regum Serviæ ex Diocleate ab anno 886. ad 1015. sive majus Interregnum Serviæ.

A Catalogo Roman. ponitur regnasse solus ab. an. 880. ad 892 & inter 892. & 914. cum filio Tisimiro. Ab anno 914. solus Tisimirus usque 940. in quo desinit adnotare Principes Serviæ.

PAULIMIRUS.	Diocleatis est idem cum *Phalimere* Const. Porphyrogeniti. Phalimeri avus erat *Bela* Zupanus Terbuniæ. Pater vero Krajnan Princeps Terbuniæ, cujus uxor erat N. filia Blastimeri Regis Serviæ. Mortuo Blastimero ad annum 805. cum filii ejus se invicem bellis atterunt.	
PAULIMIRUS, XVIII. Rex	seu Phalimeres fit Rex Serbliæ maritimæ. Is recuperavit Rassiam superiorem. Cum Hungaris bellavit, & pacem fecit Savo fluvio regnorum limite constituto. Aquisivit filium posthumum nomine Tisimirum: quo spreto a proceribus fuit	Calcul. Annorum noster. Rexit ab an. 886. ad 903.
	Interregnum.	Ab an. 903.
	Quo durante potentissimi duo in Servia Principes exstitere. *Petrus* Goinici filius. Princeps *montanæ* Serbliæ, & Paganiæ: qui desiit an. 918.	ad
	Item *Michael* Dux *Chulmiæ* quem Lupus Protospatha Regem Sclavorum vocat. Obiit circa 933.	an. 933.
TISIMIRUS. XIX Rex.	Est idem cum Tzuzimero Porphyrogeniti. Uxor filia Cidomiri Bani Albæ Chrobatiæ. Post fata *Michaelis* Interregis regno susceptо. Periit ex vulneribus in prælio acceptis.	Regnat an. 933. ad an. 940.
PRELIMIR. XX. Rex.	Recuperat provincias plures. Frater ejus Cressimir recuperat Bosnam: & post fata Cidomiri Banatum quoque Albæ Chrobatiæ. Orbinus *in regno suo Chrobatiæ* putat fuisse regem Chrobatorum. Obiit Prelimir an. 976. cum paulo ante divisisset provincias. . . .	Rexit ab 940. ad annum 976.
Hvalimir, obtinuit Zentam. *Boleslaus*, Trebinam. *Dragislav*, Chernaniam. *Svevladus*, Podgoriam. Omnes sunt perempti a Legeth filiis, sed anno eodem, & Legeth cum filiis DEO vindice perit.		Anno 977.
SYLVESTER XXI Rex.	cum filio Tegimiro R. XXII. & Hvalimiro Rege XXIII.	Ab an. 977. ad 990.
PETRISLAVUS Rex XXIV.	Zentæ Princeps, & postea quoque Podgoriæ. Fratres ejus *Dragmir* Princeps Terbuniæ occisus a Catharensibus circa annum MXVII. Alter fratres Miroslav Podgoriæ Princeps: quo submerso Podgoria Petrislavo cessit. Obiit circa MIX.	Ab an. 990. ad an. MIX.
VLADIMIR XXV.	Rex princeps Zentæ, & Podgoriæ. A Samuele Imper. Bulgariæ regno exutus. Sed restitutus, & gener factus. A Joanne Bladislao Imp. Bulgariæ peremptus anno MXV. die 22. May Ind. XIII. teste Scylize.	Ab an. MIX. ad an. MXV.
	Ex Dragomiro Bratislavi fratre.	
	DOBROSLAVUS posthumus, qui post longius *Interregnum* instaurabit Reges Serviæ ab anno circiter MXXXVII. De quibus Tab. III. Regum Serviæ.	

TABULA III.

Regum Serviæ poſt majus Interregnum ab anno MXXXVII. ad MCLXII.

Ex Dragmir Terbuniæ Principe.

I. Rex *Dobroslaus* poſthumus, qui & Stephanus Boiſtlavus. Inſtauravit Regnum Serviæ, & regnavit ab anno MXXXVII. ad MLI.

II. Rex MICHAEL ab anno MLI. | ad MLXXXIV.

III. Rex BODINUS. regnat ad MC. | uxor Jaquinta

MICHAEL primogenitus, ob Jaquintæ odium, throno excluſus.

GEORGIUS VI. Rex ab anno MCXV. ad XVIII quo dejectus eſt. *Idem.* Recepto regno VIII. rex regnat circiter ad annum MCXLVIII. quo Conſtantinopolim abductus eſt captivus.

VLADIMIR. | VLADIMIR V. Rex regnat usque MCV.

Ejus Frater RADOSLAUS Zentæ Princeps.

DOBROSLAUS Rex IV. ab an. MC. brevi dejectus, & in cuſtodiam Vladimiri regis datus.

BRANISLAV, GOISLAV, GRADISLAV, HVALIMIR, RANINA, COCIAPOR, & PIZENEK fratres.

Senior DRAGINA, PETROSLAV, TVARDOSLAV, PREDINA: DRAGILLO, & frater eorum GRUBESCA REX VII. Georgio ſubſtitutus regnavit usque an. MCXXV, quo a redeunte Georgio cæſus eſt.

Junior DRAGINA, & Fratres: PARVOS, GRUBESA, NEMAN, & SIROK.

IX. Rex regnat usque MCLIX. circiter:

X. Rex Radoslav idemque ultimus ex hac ſtirpe deponit regis nomen anno MCLXI. expellitur Zenta, a Stephano Nemane Chulmiæ Principe anno MCLXIX.

VLADIMIR fit Raſſiæ Zupanus an. MCLXIV. gubern. usque MCLXXII. vel ſequentem quo expellitur a Stephano Nemane.

IVANISE cum Radoslavo fratre ſimul Zenta ejectus a MCLXIX.

TABULA IV.

Regum Serviæ ex ſtirpe Stephani Nemanis M. Zupani Serviæ qui obiit MCXC.

TIHOMIL M. Zupan. Serviæ ab anno MCXC. ad MCXCI.

I. Rex STEPHANUS NEMAN II. regnat ab an. MCXCI. fit Monachus in cœnobio dictus *Simeon*.

II. Rex VOLCAN ab an. MCXCV. ad MCCXIX.

STEPHANUS initio M. Zupanus: poſtea III. Rex Serviæ regnat ab anno MCCXIX. ad MCCXXIV. dictus *primo coronatus* uxores duas ſucceſſive habuit.

RASCO in cœnobio *Sabas* dictus. Pechiæ I. Archi-Epiſcopus.

Ex Eudocia I. uxore.

IV. Rex RADOSLAUS regnat ab a. MCCXXV. ad an. MCCXXXVI.

V. Rex VLADISLAUS regnat usque annum MCCXLIII.

Ex Veneta uxore II.

STEPHANUS UROS I. VI. Rex qui & RADOSLAVUS, & HRAPAVI, & *ANEPSI* dictus regnat usque MCCXCI.

PREDISLAVUS fit Monachus, & poſtea Pechiæ III. Archi-Epiſcopus dictus Sabas II.

VII. Rex STEPHANUS DRAGUTINUS præfuit toti Serviæ ab anno MCCXCI. ad MCCXCVII. quo fratri ceſſit regnum, reſervatis ſibi ditionibus dictis *Terra Regis Stephani*. Obiit MCCCXVII.

VIII. Rex MILUTINUS UROS II. regnavit ab an. MCCXCVII.

IX. Rex ULADISLAUS ab anno MCCCXXI. bella geſſit cum CONSTANTINO fratre, quo crudeliter perempto anno MCCCXXII. & ipſe regno pulſus eſt.

X. Rex STEPHANUS NOTHUS, UROS III. dictus etiam Cœcus, & Dechanenſis: regnat ab anno MCCCXXIII. ad annum MCCCXXXIII.

STEPHANUS DUSIANUS XI. Rex & Imperator I. Serviæ & Romaniæ regnavit ab an. MCCCXXXIV. ad MCCCLVI.

SINISA Princeps Acarnaniæ.

UROS IV. Rex XII. & II. Imperator regnavit ab anno MCCCLVII. ad MCCCLXXI. quo a Vukaſino, quem Regem inſtituerat, eſt peremptus. In eo ſtirps Nemanichia regnare deſiit.

Ex Nobili *MARNJA*.

I. Rex Serviæ & Romaniæ VUKASIN. Periit MCCCLXXII.

UGLIESA frater, Deſpota, periit in eodem cum Turcis prælio.

GOICO frater ſimiliter periit.

II. Rex JOANNES UNCLIS, ab anno MCCCLXXXII. ad III. vel IV. quo fit Monachus.

TABULA V.

Regum Serviæ Raſciæ, & Boſnæ.

EX BANIS BOSNENSIBUS.

I. Rex TVARTKO I. ab anno 1374 coronatus anno 1376 regnavit ad annum 1392.

II. DABISIA ab anno 1392 ad 1396.

III. Rex TVARTKO II. Nothus Tvartki I. regnavit usque 1443.

Correges habuit:

OSTOJAM usque 1435.

STEPHANUM JABLANOVICH usque 1433.

IV. Rex STEPHANUS THOMAS, regnavit ab anno 1444. ad 1460.

V. Rex STEPHANUS paricida Thomæ nothus regnavit usque 1463 cui, & regno finem impoſuit anno eodem Mahometes II.

TABULA VI.

Deſpotarum Serviæ, & Raſciæ.

EX COMITIBUS GREBLANOVICH.

I. Deſpota LAZARUS I. ab anno 1374 ad annum 1389.

II. Deſpota STEPHANUS filius ab anno 1389 ad annum 1427.

EX DOMO VUKO BRANKOVICH, ET MARA FILIA LAZARI I.

III. Deſpota GEORGIUS rexit ab anno 1427 ad annum 1457.

IV. Deſpota LAZARUS II. tertio genitus Georgii: Deſpota ultimus: rexit ab anno 1457 ad 1458.

Succeſſit in regimine Uxor.

HELENA PALÆOLOGA: gubernavitque ad annum 1459 quo Turcæ occuparunt omnia.

Lazari II. fratres ab Amurate excæcati.

GREGORIUS, qui a Patris morte Monachus factus, dictus eſt *German.*

STEPHANUS, qui cum *Angelia* uxore in Syrmium ſe recepit, & gubernavit ditiones ſuas.

JOANNES, & VUKUS.

GEORGIUS, qui poſt breve gubernium, dominatum fratri ceſſit, factus Monachus, & *Maxim* dictus: Archi-Epiſcopus I. Syrmii in *Kruſedol.*

JOANNES, qui poſt Georgium, Syrmii ditiones gubernavit. Quas poſt Joannem mortuum 1503.

rexit

HELENA uxor ex domo Jakſich usque an. 1521.

quo

SOLIMANUS Belgradum una cum Syrmio occupavit.

TABULA I.

Serviæ montanæ Principum ex Conſtantino Porphyrogenito.

Cum Principibus Serviæ ex Diocleate Presbytero petitis.

Epochæ.	CONCILIATA.		
Ab Anno 638. Ad an. 680.	I. Anonymus Porphyrogeniti	eſt	SATIMIRUS, qui fuit ſimul Rex Serviæ.
	II. Anonymus	eſt	BUDIMIRUS, qui fuit ſimul Rex.
Ab	III. Anonymus	eſt	SVETOLICUS, qui fuit ſimul Rex.
an. 680.	IV. Anonymus	eſt	TAMISLAVUS frater Regis Vladislavi: qui fuit initio ſolum Princeps Montanæ: poſt Uladislaum ſimul Rex.
ad	V. Anonymus	eſt	SEBESLAUS ſimul Rex.
774.	VI. Anonymus	eſt	VLADIMIRUS frater regis Rasbivoi: qui fuit initio ſolum Princeps Montanæ, poſt mortem fratris ſimul Rex.
Ab	VII. Anonymus	eſt	CARAMIR ſimul Rex & Princeps Montanæ.
	VIII. Anonymus	eſt	TOLIMIR frater Tvardoslavi regis: fuit initio ſolum Princeps Montanæ: poſt fata fratris factus ſimul Rex.

EX TOLIMIRO.

an. 774. Porphyrogeniti BOISESLAVUS: PRIBISLAVUS a Diocleates dictus, qui fuit ſimul Rex & Princeps Montanæ.

ad Ex quo

RADOSLAVUS, qui fuit initio ſolum Princeps Montanæ: poſt fratres autem *Creſſimirum*, & *Svetoradum* reges, factus ſimul Rex: ſed a filio *Ciaslavo* throno pulſus.

an. 862. Ex quo

PROSEGOES Porphyrogeniti, Princeps ſolum Montanæ Serviæ	&	CIASLAVUS Diocleatis, qui pulſo patre regnum invaſit, peremptus ab Hungaris anno 862.
BLASTIMERES Porphyrogeniti, initio ſolius Montanæ Serviæ Princeps: usque finem interregni ſeu annum 868. Poſt Interregnum ſimul Rex & Princeps Montanæ Serviæ usque 885.		*Sequitur Interregnum.* ab anno 862. ad 868.
Hunc DIOCLEATES in Regum numero non poſuit: ſed Interregnum produxit usque ad Paulimirum, qui regnare cepit anno 886.		

Ab an. 862. ad an. 885.

TABULA II.

Principum Montanæ Serviæ juxta Conſtantinum Porphyrogenitum.

EX BLASTIMERO.

- I. Serv. Mont. Princeps MUNTIMIR ab anno 885, ad 887.
  - II. Serv. Mont. PRIBISLAUS a. 887.
    - V. ZACHARIAS Montanæ Serviæ Princeps anno 921. ad 926.
  - STEPHANUS, BRANUS,
    - PAULUS IV. Princ. Montanæ Serviæ anno 918. ad an. 921.
- STROEMERUS.
  - CLONIMIR.
    - TZEHESLABUS VI. Princ. Mont. Serviæ anno 926. captivus abducitur. Reſtaurat Principatum 933. regit adhuc 949. quo Porphyrogenitus ſcribere deſiit Librum de Adm. Imperii.
- GOINICUS.
  - PETRUS III. Montanæ Serviæ Princ. ab 887. ad 918.

TABULA III.

Continuantur Principes Montanæ Serviæ ex Diocleate.

TZEHESTLABO.

Succeſſit ANONYMUS Raſſiæ Banus: quem Zimiſces Imperator Principatu ejecit. Prelimir autem Rex Serviæ anno 976. repoſuit.

PINIA ET RADIGRAD
quorum anni incerti.

LIUTOMIR ſocer Dragmiri Terbuniæ Principis, Zupanus Raſſiæ, præfuit ad an. MXVIII.

Sequitur Interregnum majus.

Græcis occupantibus Bulgariam, Serviam, & Raſciam.

Poſtea fuit:

ANONYMUS Raſſiæ Zupanus, quem aliqui LIUBOMIRUM vocant: qui anno MXXXVII. ſe oppoſuit *Dobroslavo* Regnum Serviæ recuperanti. Cujus ſucceſſores vide Tab. II. Zupanorum Raſſiæ.

TABULA I.

Zupanorum Raſciæ ex Diocleate Presbytero.

Inter annos 840, & 862.	I. TIHOMIL quem *Ciaslavus* rex partis Raſciæ ſuperioris ad ſe ſpectantis Zupanum inſtituit. Qui ſocero ſucceſſit in Banatu Raſſiæ ſuperioris.
Inter 886, & 903.	II. LIUTOMIR quem rebellantem *Paulimir Rex* in prælio peremit: & partem illam Raſciæ ſuperioris ceſſiſſe videtur Montanæ Serviæ Principibus. Nec enim impoſterum usque ad reſtauratum a Dobroslavo regnum Serviæ, diſtincti Raſciæ Zupani leguntur.

TABULA II.

Zupanorum Raſciæ a DOBROSLAVO REGE ſeu an. MXXXVII. ad Stephanum Nemanem I. ſeu an. MCLXXII.

Inter MXXXVII. & MLI.	ANONYMUS: vel ut alii LIUBOMIRUS, qui cum Chelmi duce, & Boſnæ Bano, Dobroslavo regnum Serviæ recuperanti ſe oppoſuit.
Inter MLI, & MLXXX.	PEJASLAV ſeu PEJASSOV Regis Michaelis filius, Zupanus a patre inſtitutus.
Inter MLXXX, & MLXXXIV.	Anonymus Raſſiæ Zupanus qui a Rege Bodino defecit.
Inter MLXXXV, & MCXVIII.	BOLCANUS & MARCUS duo Raſſiæ Zupani a Bodino præfecti.
Inter MCXVIII, & MCXXIV.	DRAGINA Raſſiæ Zupanus a Rege fratre Grubeſa conſtitutus.
Inter MCXXV. & ſequentes.	DRAGILLUS a Rege Georgio Zupanus factus, & hoc mox in carcerem dato: *Bela Uros I.* caput ſtirpis Nemaniæ, ſubſtitutus eſt. Qui anno MCXXVII. Helenam filiam deſpondit Belæ cœco mox Regi Hungariæ futuro, præfuit neſcitur quamdiu.
Anno MCL. & ſequentes.	BACHINUS Archi-Zupanus ex Bolcani Raſſiæ Zupani progenie.
Circa MCLIX.	PRIMISLAUS Belæ Uros I. filius: ob rebellionem depoſitus anno MCLXII.
Anno MCLXII.	UROS II. Subſtitutus ab Orientis Imperatore fratri Primislao: ſed mox principatu relicto abit in Hungariam.
Anno MCLXII.	DESSA ſubſtituitur Uroſo fratri; ſed anno MCLXIV. Conſtantinopolim captivus abducitur.
Ab Anno MCLXV. ad an. MCLXXII.	VLADIMIRUS ex ſtirpe regum veterum frater Radoslai ultimi regis in locum Deſſæ ab Imperatore Zupanus inſtituitur: ſed anno MCLXXII. vel ſequente a Stephano Nemane I. Deſſæ filio Chulmiæ Principe Raſſia expellitur.
Ab a. MCLXXIII, ad MCXC. quo obiit.	STEPHANUS NEMAN I. Deſſæ filius, dejecto Vladimiro ſit Archi-Zupanus Raſſiæ, ex quo deinceps propagati ſunt Reges Serviæ quos Tabula IV. regum exhibet. Fratres autem eorum juniores magni Knezii, & magni Zupani dicti ſunt.

TABULA I.

Regum Chrobatiæ albæ.

Ab anno 636. ad an. 639. vel initium 640.	I. Chrobatiæ albæ Princ. ex Catal. Rom. Archi-Epiſcopor. Spalatenſium CHROBATUS: quem etiam Porphyrogenitus inter quinque fratres numerat. Fuit advena ex Chrobatia alba ultra Pannoniam ſita a Porphyrogenito *Porgæ pater* dictus ex eodem regnavit ab anno 636. obiit ante baptiſmum anni 640.
Ab anno 640. ad an. 678.	II. Rex PORGA baptizatus anno 640. In iſto circa annum 678. deſiere proprii Chrobatiæ albæ reges: & regna Chrobatiæ, ac Serviæ conjuncta ſunt in *Budimiro*: & perſeverarunt usque ad *Creſſimirum* Regem XIII. ſub quo *Franci* occuparunt *Dalmatiam* & *Chrobatiam albam*: & Chrobati cœperunt numerare Duces proprios ſub Francorum clientela.

TABULA II.

Ducum Chrobatiæ albæ ſub Francorum clientela.

Anno 818.	I. Dux Liburniæ, Dalmatiæ, & Chrobatiæ BORNA.
Anno 821.	II. Dux nepos Bornæ LADISCLAVUS.
Anno 822. ab anno 825. ad annum 832. & ultra.	III. Dux MISLAVUS ex diplomate Terpimiri.
	IV. Dux PORINUS qui poſt bellum ſeptennale in Francos geſtum anno demum 832. Chrobatorum gentem libertati aſſeruit: & partem gentis quæ adhuc pagana erat baptizari fecit per Sacerdotes Roma accerſitos.
Anno 838.	V. Dux TERPIMIRUS I. ex diplomate proprio qui rurſus videtur Francorum clientelam ſubiviſſe.

TABULA

Regum Bulgariæ Chriſtianorum a Michaele I. usque ad Interregnum.

Regnat usque 883.	I. Rex CHRISTIANUS MICHAEL I.
usque 885.	II. PRESIAM.
usque 888.	III. MICHAEL BORYZES.
usque an. 932.	IV. VLADIMIRUS, & filius *Rex V.* SIMEON.
usque an. 970.	VI. PETRUS Simeonis filius.
usque an. 973.	VII. BORYZES.
ab anno 975.	VII. ROMANUS SIMEON: in Mœſia inferiore Rex Ternovæ, cui ſucceſſit filius Stephanus.
ab anno 976. usque an. 1014.	IX. Rex SAMUEL cum fratribus in Macedonia. Idem in Macedonia ſolus regnat ab anno 978. Qui ſubinde & reliquam Bulgariam Mœſiæ inferioris ſibi adjunxit, regnavitque usque annum MXIV.
anno 1015.	X. Rex Gabriel Samuelis filius occiſus a Joanne Bladislavo.
usque an. 1018.	XI. Rex JOANNES BLADISLAVUS: quo etiam interriit. Sequitur Interregnum Bulgariæ ab anno MXIX.

Expoſitio Fidei, quam Romana tenet Eccleſia, & quam Clemens IV. Pontifex transmiſit ad Michaelem Palæologum Conſtantinopoleos Imperatorem, in literis, quarum initium eſt: Magnificentiæ tuæ Literas: *datis Viterbii IV. nonas Martii anno Pontificatus IV. qui eſt Chriſti MCCLXVIII. quamque ſuſcipi humiliter, & fideliter profiteri præſcripſit.*

EXPOSITIO FIDEI.

Credimus Sanctam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Unum Deum omnipotentem, totamque Deitatem coeſſentialem, conſubſtantialem, coæternam, & omnipotentem. Unius voluntatis, poteſtatis, majeſtatis. Creatorem omnium Creaturarum: a quo omnia, & per quem omnia, in quo omnia, quæ ſunt in cœlo, & in terra viſibilia, & inviſibilia, corporalia, & ſpiritualia. Ad Colloquium VII.

Credimus ſingulam quamque in ſancta Trinitate perſonam, unum verum Deum plenum, & perfectum.

Credimus ipſum Filium Dei, Verbum Dei, æternaliter natum a Patre conſubſtantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in Divinitate. Temporaliter natum de Spiritu ſancto ex Maria ſemper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem: Deum verum, & hominem verum proprium in utraque natura, atque perfectum, non adoptivum, neque phantaſticum, ſed unum, & unicum filium Dei in duabus, & ex duabus Divina ſcilicet, & humana naturis, ſed in unius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem, & immortalem divinitate; ſed in humanitate pro nobis, & pro ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum, & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, & tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione: die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne, in qua reſurrexit, & anima aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Patris. Inde venturum judicare vivos, & mortuos: & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala.

Credimus etiam in Spiritum ſanctum, plenum, & perfectum, verumque Deum, ex Patre, & Filio procedentem, & æqualem, & coeſſentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri, & Filio.

Credimus hanc ſanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed unum Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem, & incommutabilem.

Credimus ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam unam eſſe veram Eccleſiam, in qua unum datur baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum.

Credimus veram reſurrectionem ejusdem carnis, quam nunc geſtamus, & vitam æternam.

Credimus etiam novi, & veteris teſtamenti Legis, & Prophetarum, & Apoſtolorum unum eſſe auctorem Deum, ac Dominum omnipotentem.

Hæc eſt vera fides Catholica: & hanc ſuperdictis articulis tenet, & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia.

Sed & propter diverſos errores, a quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit, & prædicat eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos. Sed per veram pœnitententiam, ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum.

Quod ſi vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam digne pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & ommiſſis, eorum animas pœnis purgatorii poſt mortem purgari, & ad pœnas hujusmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſinas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſveverunt ſecundum Eccleſiæ inſtituta. Illorum igitur animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt peccati contractam maculam, vel in ſuis maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas: eadem ſancta Romana Eccleſia credit, & firmiter aſſeverat.

Et quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.

Tenet

Tenet etiam, & docet eadem ſancta Romana Eccleſia ſeptem eſſe Eccleſiaſtica Sacramenta: unum ſcilicet Baptiſma, de quo dictum eſt ſupra: aliud eſt Sacramentum confirmationis, quod per manus impoſitionem Epiſcopi conferunt chrismando renatos: aliud eſt Pœnitentia: aliud eſt Euchariſtia: aliud eſt Sacramentum Ordinis: aliud eſt Matrimonium: aliud eſt extrema unctio, quæ ſecundum doctrinam Beati Jacobi infirmantibus exhibetur.

Sacramentum Euchariſtiæ *ex Azymo* cnnficit Romana Eccleſia, tenens, & docens, quod in ipſo Sacramento panis vere transſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

De Matrimonio tenet, quod nec unus vir ſimul plures uxores, nec una mulier ſimul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege Matrimonii per mortem alterutrius conjugis, ſecundas, tertias, & deinceps plures nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum Canonicum ex cauſa alia non obſiſtat.

Ipſa quoque ſacroſancta Romana Eccleſia ſummum, & plenum Primatum, & Principatum ſuper univerſam Catholicam Eccleſiam obtinens, quem ſe ab ipſo Domino, in Beato Petro Apoſtolorum Principe ſeu vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe, veraciter, & humiliter recognoſcit: ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic &, ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debet judicio definire.

Ad quem poteſt gravatus quilibet in negotiis, ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, appellare. Sed & in omnibus cauſis, ad examen Eccleſiaſticum pertinentibus, ad ipſius poteſt recurri judicium. Et eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubjectæ, ipſarumque Prælati, & obedientiam, & reverentiam ſibi debent. Apud quam ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod Eccleſias cæteras ad ſolicitudinis partem admittit: quarum multas, & Patriarchales præcipue diverſis privilegiis eadem Romana Eccleſia honoravit: ſua tamen prærogativa tam in generalibus, quam in quibuscunque aliis ſemper ſalva.

JOANNIS VIII. PAPÆ

Epiſtola 297. ad Michaelem Regem Bulgarorum

data Indic. XV. anno 882. menſis neſcitur.

Ad Colloquium II.

Cum non tam initia ſint in bonis laudanda, quam finis: Deo omnipotenti, factori omnium viſibilium, & inviſibilium gratias agimus, qui veſtrum bene velle hactenus in ſoliditate veræ fidei ſolidavit: & ſui amatorem efficiens, tanquam revera ex tenebris olim lumen ſplendeſcere fecit, & ad ſalutem multorum benigniſſimum cor veſtrum gratia ſuæ potentiæ illuſtravit. Sed & hinc devotioni veſtræ Regiæ dignum duximus congruas grates referre, quod partim finis oſtendit, quam fidelitatem erga ſanctam Romanam Eccleſiam omnium terrarum Matrem, & caput obſervare curatis: cum hanc, & initio veſtræ converſionis quæſiveritis; & ad præſens auxiliatricem habere, ad perpetuam ſcilicet veſtram ſalvationem, monſtrare non omiſeritis; ſanctos videlicet Apoſtolos viſitando, & eorum, ut diximus ſuffragia poſtulando.

Igitur abſurdum valde eſt, & inconveniens, quod pia veſtra voluntas, aliter ſe poſt habere voluit, quam, ſicut omnibus notum eſt, primum. Vos enim divinitus inſpirati, matrem omnis religionis, ſanctam quoque Eccleſiam Romanam ductricem, & viam, per quam ad æternitatis paſcua duceremini, merito expetiſtis. Et illa, quia omnibus fidelibus viſcera materna præbet, ac præbuit; vos expanſis ad Deum ulnis, Chriſto gratias agens, recepit: conſequens fuit, ut a recti greſſu itineris, in partem non flecteremini; in partem non flecteremini; nec manum mittentes in aratrum retro aſpicere, cujuscunque forte ſvaſionibus niteremini. Nunquid non fili chariſſime ſanctum Evangelium ſurda aure auditis: quo legitur: qui perſeveraverit uſque in finem ſalvus erit. Aut ſi auditis, & obauditis, redite ad mentem veſtram, redite ad cor, & veſtræ ſponſionis reminiſcimini: quia plus amor, & timor Dei vos fecit eſſe credulum Apoſtolici privilegii, quam, ut ita dixerim, exempla multorum.

Si enim, quod, quicunque Deo vovit, hoc debet & reddere; valde oportet, ut vos, quod Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſponte voviſtis, finetenus reddere ſtudeatis: non ignorantes, quod Beatus Petrus Apoſtolus regni cœleſtis claves a Domino Jeſu Chriſto acceperit

perit, & quibusque fidelibus aperiendi, aliis autem claudendi promeruit poteſtatem.

Hac igitur, ſicut & noſtri prædeceſſores nos poteſtate, licet indigni utentes; cogimur, ſi non emendaveritis, quod geſſiſtis, & ad præſens vos in hoc Sæculo digne corripere: &, ut in futuro, quantum in nobis eſt, maledictionibus repleamini, non præterire.

Hujus rei gratia Fili chariſſime! feſtinate corrigere, quod inique geſſiſtis: & omni occaſione, omnique mora poſtpoſita, nobis per veſtrum legatum, quidquid ſuper hoc emendare vultis, mandate. Quia nos Deo juvante, omnem voluntatem veſtræ correctionis implebimus: & vos animo, & corpore ſalvos exiſtere cupientes, cauſam ſecundum Deum ordinare ſtudebimus.

PRESBYTER DIOCLEATES

DE

REGNO SLAVORUM.

Regnante in urbe Conſtantinopolitana Anaſtaſio, qui ſe, & alios hæreſi Eutychiana maculaverat: Romæ vero Gelaſio Papa (A).

Secundo (B) eo tempore præclaruerunt in Italia Germanus Epiſcopus, & Sabinus Canuſinæ ſedis Epiſcopus, atque venerabilis vir Benedictus apud Caſſinum montem (C).

Exiit quoque gens a ſeptemtrionali plaga, quæ *Gothi* nominantur, gens ferox, & indomita: cui erant tres fratres principes, Regis *Gemulati* filii: quorum nomina ſunt: primus *Brus*: ſecundus *Totila*: tertius vero *Oſtroillus*. Itaque, qui major erat, defuncto patre *Brus*, ſedit in ſolio, regnavitque pro eo in terra nativitatis ſuæ.

Totila vero, & *Oſtroillus*, ut ſibi magnum nomen facerent, conſilio, & voluntate primogeniti fratris, congregantes exercitum magnum valde, & fortem, exierunt de terra ſua, & venientes debellaverunt *Panoniam* provinciam, & bellando obtinuerunt eam (D).

Poſt hæc cum valida pervenerunt in Templana (E). Tunc *Rex Dalmatinorum* (F), qui in civitate magna, & admirabili *Salona* manebat, miſit literas, & nuncios ad *Regem Iſtriæ* provinciæ, ut congregaret exercitum, quatenus exirent eis obviam, & defenderent ſe.

Igitur ambo congregantes exercitum gentis ſuæ exierunt obviam Gothis. Venientes itaque caſtrametati ſunt juxta eos. Tunc per

(A) Nempe Imo.: quorum regimen concurrit ab anno 492. ad 496. quæ eſt prima Diocleatis Epocha. (B) Pro *eo*, lege *quo*. (C) Hæc eſt ſecunda Diocleatis Epocha. Germanus Capuanus claruit inter annos 516, & 541. Sabinus inter 514, & 566. Benedictus ab anno 529. (d) Hæc ſunt exaggeratius dicta. (E) Videtur eſſe regio eadem cum *Tempa* de qua Cinamus L, 1. (F) Præfectos *Dalmatiæ*, ac *Iſtriæ* Reges appellat.

per ſpatium octo dierum, quia prope erant caſtra ad caſtra, hinc inde armati procedentes graviter ſe vulnerabant, & trucidabant; octavo vero die hinc inde chriſtiani, & gentiles (A) armati exierunt, & commiſſum eſt magnum prælium (B) ab hora diei tertia ad veſperam: & Dei judicio, cui nemo audet dicere, cur ita faciat? quia forte aliquod magnum peccatum latebat in chriſtianis, victoriam Gothi crudeles habuerunt, ceciditque pars chriſtianorum, & interfectus eſt *Rex Iſtriæ* (C), & multa millia hominum chriſtianorum in ore gladii mortua ſunt, & plurima captiva ducta ſunt. Evaſit autem *Rex Dalmatinorum* cum valde paucis militibus, & aufugit in civitatem ſuam Salonam (D).

Poſt hæc, quia magnus erat exercitus *Totilæ*, & *Oſtroilli* fratris ejus, populus ei accreverat multus: conſilio inito cum magnatibus ſuis, diviſerunt exercitum, & *Totila* per Iſtriam, & Aquilejam cum exercitu transiens, Italiam petiit, multaque, & magna prælia ibi commiſit, regiones, & civitates plurimas vaſtavit, atque incendit. Inde inſulam Siciliam ingrediens, pauco tempore vitam finivit, ſicut ei dixerat Dei famulus Benedictus (E).

Oſtroillus autem cum ſuo exercitu *Illyriam provinciam* ingreſſus, crudelia committendo bella: *quia non erat, qui ei reſiſtere poſſet* (F), obtinuit *totam Dalmatiam, & maritimas regiones*: donec advenit, & reſedit in regione *Prævalitana*.

Tunc retentis ſecum aliquantis militibus, miſit filium ſuum *Senulatum* nomine (G), ut regiones transmontanas ſubjugaret. Inter hæc Imperator Conſtantinopolitanæ urbis congregans exercitum contra *Oſtroillum* miſit, eo, quod audierat remanſiſſe eum cum paucis in Prævalitana urbe. Præterea venientes, qui ab Imperatore miſſi fuerant, invenerunt, ſicut dictum eſt *Oſtroillum* cum paucis. Attamen, quia vir forti animo erat, paravit ſe ad bellum. Commiſſo itaque bello cecidit *Oſtroillus*, & interfectus eſt, &, qui cum eo erant, in fugam converſi ſunt.

Audiens autem filius *Senulatus* mortem patris, venit quantocius cum exercitu, putans invenire Imperatoris gentem, ſed minime

---

(A) Hi Gothi ex ſeptemtrione profecti, pagani adhuc erant. (B) De hoc prælio vide Procopium Cæſarienſem L. I. de bello Goth. anni 535. (C) Iſtriæ Regis nomine *Mauritium*, & Regis Dalmatinorum nomine *Mundum* Magiſtrum militiæ videtur intelligere. (D) Codex Marulanus Diocleatis hunc etiam gravi vulnere ſaucium *Salonam* profugiſſe ait: Quem Procopius L. 1. de Bello Goth. occubuiſſe ait. (E) Hinc patet Diocleatem loqui de ipſo illo *Totila*, qui Rex Italiæ fuit. (F) Rurſus exaggerate dictum. (G) Marulus Codex *Sveiladum* Orbinus *Svevladum* vocat.

me invenit. Denique cepit regnum, & regnavit in loco patris. *Duodecimo* anno regni ſui mortuus eſt *Senulatus*.

Cui ſucceſſit filius *Silimirus* in regno (A), qui, quamvis paganus, & gentilis, tamen cum omnibus pacificus fuit, & dilexit chriſtianos, & minime perſequutus eſt eos. Iniit quoque pactum cum eis, & facti ſunt tributarii. Replevit multitudine *Slavorum*, & quievit terra in diebus ſuis. Genuit quoque filium, quem *Bladimum* vocavit. *Vigeſimo primo* anno regni ſui mortuus eſt *Silimirus*.

Accepit regnum ejus *Bladinus* (B), & in via patris ſui ambulavit: & poſſedit regnum patrum ſuorum cum pace. Genuit quoque filium, quem *Ratomirum* (C) vocavit: qui ab infantia ſua cœpit eſſe durus valde, & ſuperbus.

Præterea, regnante *Bladino*, exiit innumerabilis multitudo populorum a magno flumine *Volga*, a quo & nomen acceperunt: nam a *Volga*, *Vulgari* usque in præſentem diem vocantur (D).

Hi cum uxoribus, filiis, ac filialibus, atque cum omni pecunia, & ſubſtantia magna nimis venerunt in *Syllo Duxiam* (E) provinciam. Præerat eis quidam nomine *Kris*, quem lingua ſua *Caganum* appellabant; quod in lingua noſtra reſonat *Imperator*. Sub eo erant *octo Principes*, qui regnabant, & juſtificabant populum, quoniam multus erat nimis. Inde debellando, ceperunt totam *Macedoniam*, poſt hæc totam provinciam *Latinorum*, qui illo tempore *Romani* vocabantur; modo vero *Moro Vlahi*, hoc eſt: *nigri Latini* vocantur (F). Imperator etiam plurima cum eis faciens bella, ſedens in ſolio, nec valens in aliquo ſuperare, miſit, & fecit pacem cum eis, & ſic dimiſit eos.

Similiter *Bladinus*, cernens, quod maxima multitudo populi eſſet, cum eis fecit pacem: cœperuntque ſe utrique populi valde inter ſe diligere, id eſt *Gothi*, qui & *Slavi* (G), & *Vulgari*: & maxime, quod ambo populi gentiles eſſent, & una lingua omnibus. Deinde *Vulgari* jam ex omni parte ſecuri conſtruxerunt ſibi villas, & vicos, & inhabitaverunt terram, quam ceperant, usque in præſentem diem. Interea mortuus eſt *Bladinus*.

Et

(A) Marulo *Selimirus*. (B) Orbino *Vuladanus*. (C) Orbino *Radimir*, vel *Radomir*. (D) Hæc irruptio *Bulgarorum* ſimul cum *Abaris* ſpectat ad annum 599. ſub *Kois* Cagano. Nec tamen tunc, ſed anno tantum 679. Bulgari in Macedonia ſedem fixerunt. (E) *Syllo Duxia* videtur eſſe Dacia ad *Syll*, ſeu *Ziul* flumen, quaſi *Syllo Dacia*. (F) Quos Turcæ, voce idem ſignificante, *Cara Vlahos* hodieque vocant. (G) Ob permixtionem cum Slavis, ſic dicti.

Et regnavit pro eo *Ratimirus* filius ejus, qui inimicus nominis Chriſtiani exſtitit a pueritia, cœpitque ultra modum perſequi chriſtianos, voluitque delere de terra, & de regno ſuo nomen eorum: multas quoque civitates, & loca eorum deſtruxit, & alias in ſervitute redigere reſervavit (A). At chriſtiani, videntes ſe in magna tribulatione, & perſequutione poſitos, congregantes ſe, cœperunt ſuper cucumina montium, ac fortia loca, caſtella, & ædificia, prout poterant, conſtruere: conſtruere: ut vel ſic evaderent manus eorum, donec Deus viſitaret eos, & liberaret.

Defuncto autem *Ratimiro*, & ejus progenie (B): regnaverunt poſt *quatuor iniqui reges*, non in uno quidem tempore, ſed unus poſt alium temporibus ſuis. Quorum temporibus ſemper in perſequutione chriſtiani fuerunt. Et, quia inimici, & perſequutores chriſtianorum, longum duximus narrare eorum iniquos actus, & vitam. Quoniam ad meliora, & delectabiliora transire feſtinamus. Attamen diebus eorum multi chriſtianorum ex maritimis, & transmontanis, nolentes ſe inquinare eorum pollutis moribus; fugiebant quotidie, undique jungebant ſe illis, qui in montanis, & locis fortioribus manebant: eligentes magis cum eis ſuſtinere perſequutiones, & penuriam, & ſalvare animas ſuas, quam gaudere ad tempus cum gentilibus, & in eorum cœtu perdere animas.

Poſt mortem vero *quatuor Regum iniquorum*, natus eſt ex eorum progenie (C) quidam *Zvanimirus* (D), qui accepto regno deſtitit chriſtianos perſequi.

Poſtremi duo Paragraphi ſic habent

EX CODICE MARULANO.

Haud multo poſt moritur *Ratomirus* absque liberis, nulla poſt ſe prole relicta. Suffectus eſt tamen in ejus locum quidam ex propinquis (E).

Deinde hoc mortuo *alius*, uterque autem gravis atque moleſtus chriſtiano nomini imprimis fuit. Deinde alii duo, unus poſt alium

---

(A) Regnum Ratimiri in Chriſtianos crudele, iisque infeſtum. (B) Item *quatuor iniquorum regum*, qui non erant ex progenie *Ratomiri*. (C) Eſt iſte error Diocleatis Genealogicus. Nam, qui *quatuor iniquos reges* ſequutus eſt: erat *advena* ex *Alba Serblia* teſte Porphyrogenito. (D) *Zvanimirum* hic vocat, quem alias *Saramirum*, & *Satimirum* dixit. (E) Si *propinquus* pro *vicino* accipiatur, verum erit: non item, ſi pro *cognato*.

alium regnaverunt: *Omnes tamen, ut melioribus locum darent, satis celeri morte de medio sublati sunt* (A). Cæterum, quamdiu vixerunt, usque adeo noſtræ religioni infensi erant, ut nonnulli ex Christianis, perſequutoribus afflicti ad illorum ritum declinarent. Sed, quibus fides charior erat, omnia extrema perpeti malebant, quam gentilitatis criminibus implicari.

Quintus autem ab his in regnum vocatus, nomine *Salimirus* (B) abſtinuit a fidelium infeſtatione, atque in omnes pariter æquo animo. Eo regnante in publicum prodibant, qui diu latuerunt, quique antea metu conterriti a fide defecerant, partim fugerant, priſtina libertate uſi, ad ſua quisque loca redibant.

Continuatio Diocleatis de Zvanimiro primo Serblorum Rege.

Temporibus hujus (nempe Zvanimiri) (C) floruit, ut rosa, in civivitate Theſſalonica quidam Philoſophus *Conſtantinus* nomine, filius cujusdam Leonis patricii, vir per omnia Sanctiſſimus, atque in divinis ſcripturis profundiſſime a pueritia edoctus.

Hic vir ſanctus a Spiritu ſancto admonitus de civitate ſua Theſſalonica exiens venit in *Cæſaream* (D) provinciam, ibique cum pluribus Philoſophis diſputans diebus plurimis, convicit eos, ſuaque doctrina, & prædicatione totam *Cæſaream* provinciam ad fidem Jeſu Chriſti convertit, & baptizati ſunt omnes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Poſt hæc convertit totam gentem *Bulgarinorum* (E), & ſimiliter baptizati ſunt in fide Sanctæ Trinitatis. Inter hæc mortuus

---

(A) Hinc patet *iniquorum quatuor regum* perbreve fuiſſe regnum. (B) Idem alibi *Zvanimirus*, & *Saramirus*: qui fuit primus Serblorum Rex Sæculo VII. advena ex *alba Serblia*. (C) Rex *Zvanimirus*, *Saramirus*, ſeu *Satimirus*, primus Serblorum Rex, floruit Sæculo VII. poſt *reges iniquos*. Unde, graviſſimo errore chronologico conjungitur hic cum *Conſtantino*, ſeu *Cyrillo*, qui Sæculo IX. cum fratre *Methodio* fuit Apoſtolus gentium noſtrarum. (D) Lege *Gazariam*. Nam *Gazaros*, eorumque provinciam, quæ tunc temporis ſitu erat in hodierna *Crimæa*, convertit *Conſtantinus* ad Chriſtum. (E) Converſioni Bulgarorum initium fecit *Conſtantinus* cum *Methodio*: quam abſolvit *Nicolaus I.* Rom. Pontifex.

mortuus eſt *Saramirus* (A), & accepit regnum ejus *Svetopelek*, (B) nomine.

Regnante vero *Svetopelek* rege, miſit *Papa Stephanus* (C) literas ad venerabilem virum Conſtantinum doctorem, vocans eum ad ſe. Audierat enim de eo, quod ſua prædicatione converti fecerat innumerabilem gentem, & ob hanc cauſam deſiderabat eum videre.

Itaque Conſtantinus vir ſanctiſſimus ordinavit (D) Presbyteros, & literam lingva Sclavonica componens commutavit Evangelium Chriſti, & Pſalterium, & omnes divinos libros veteris, & novi teſtamenti de Græca litera in Slavonicam, nec non & Miſſam eis ordinans more Græcorum. Confirmavit eos in fide Chriſti, & valedicens omnibus, quos ad fidem Chriſti converterat; ſecundum Apoſtolicum dictum (E) Romam pergere feſtinabat.

Dum autem pergeret, transiens per regnum Regis *Svetopelek* (F), honorifice ab eo ſuſceptus eſt. Tunc vero vir Dei Conſtantinus, cui nomen poſtea Cyrillus a *Papa Stephano* impoſitum eſt (G), quando conſecravit eum Monachum: cœpit prædicare regi Evangelium Chriſti, & fidem Sanctiſſimæ Trinitatis.

Ad cujus prædicationem *rex Svetopelek* credidit Chriſto, & baptizatus eſt (H) cum regno ſuo, & effectus eſt orthodoxus, & verus Sanctæ Trinitatis cultor. Aliquantis poſt hæc diebus immoratus cum rege vir beatiſſimus, confirmavit eum in fide, atque doctrina

---

(A) Rectius, quam *Zvanimirus*: optime vero cum Marulo *Satimirus*. (B) Eſt hoc nomen appellativum a Sanctitate ductum: quem Codex Marulus proprio, & vero nomine *Radimirum* appellat. (C) Loco *Papa Stephanus* lege *Pontifex Summus*. Nam nullus *Stephanus* Papa rege Budimiro Sæculo VII. occurrit, & conſtat a *Nicolao I. Papa* Conſtantinum Romam accerſitum. (D) Conſtantinus, cum tunc nondum eſſet Epiſcopus *Presbyteros ordinare* non potuit, niſi in ſenſu lato: hoc eſt *diſpoſuit*. (E) Id eſt ad Mandatum Apoſtolicum Nicolai I. Papæ anno 867. quo cum fratre Methodio Romam conceſſit. (F) Hinc elucet *Conſtantinum* ex Moravia per Panoniam, & Serbliam iter inſtituiſſe Romam. (G) Ab Hadriano Nicolai ſucceſſore Cyrilli nomen obtinuit. Hinc error apertus in nomine *Papæ Stephani*: ortus forte ex adſcriptis initialibus literis *P. S.* quæ non *Papam Stephanum*, ſed *Pontificem Summum* denotabant. (H) Serbli cum Chrobatis Sæculo VII. baptizati ſunt, dum *Satimirus* ſimul cum *Budimiro* apud Serblos regnabant, & *Porga* apud Chrobatos. *Conſtantinus* autem cum Methodio fratre Sæculo IX. anno 867. operam contulerunt ad ſecundum Serblorum baptiſmum ſub Interregno Serblorum, Orientis Imperatore Baſilio I.

ctrina Chriſti, & valefaciens omnibus Chriſticolis, *Romam* profectus eſt.

Tempore iſto facta eſt lætitia magna, & Chriſtiani deſcendentes de montanis, & locis abditis, quo diſperſi erant, cœperunt nomen Domini laudare, & benedicere, qui ſalvos facit ſperantes in ſe (A).

Poſt hæc *Svetopelek* rex juſſit chriſtianis, qui Latina utebantur lingva, ut reverterentur unusquisque in locum ſuum, & ædificarent civitates, & loca, quæ olim a paganis deſtructa fuerant (B).

Placuit etiam regi, ut temporibus ſuis rememorarentur, & recordarentur, ſeu ſcriberentur termini, ac fines omnium provinciarum, ac regionum ſui regni: quatenus unaquæque gens ſciret, atque cognoſceret fines, ac terminos provinciarum, & regionum ſuarum. Congregans igitur omnes ſapientes regni ſui (C) loquutus eſt eis de verbo hoc: ſed nullus eo tempore inventus eſt, qui certam reſponſionem daret regi de hac re.

Tunc rex Dei ſpiritu plenus, ſano utens conſilio, miſit Sapientes, ac Nobiles viros legatos ad Venerabilem, & Apoſtolicum virum *Papam Stephanum* (D), & Imperatorem Conſtantinopolitanæ urbis *Michaelem* (E), rogans, & petens, quatenus antiqua privilegia, quibus termini & fines provinciarum, ac regionum ſeu terrarum ſcripti continebantur, mittere cum viris ſapientiſſimis dignarentur.

Dum autem legati regis Romam veniſſent, de verbo regis *Papæ Stephani* (F) inſinuaſſent: gaudio magno gaviſus eſt Papa venerabilis, & maxime, quod occaſione accepta mitteret ſapientiſſimos viros, qui novellum, ac tenerum regem (G) adhuc in fide, ac populum ejus paſcerent, & ſatiarent pane celeſti, & verbo vitæ. Miſit

---

(A) Hoc ſpectat ad Sæculum VII., & baptiſmum primum, regnantibus *Satimiro*, & *Budimiro* filio. (B) Hoc quoque ad Sæculum VII. pertinet poſt baptiſmum primum Serblorum. (C) Hoc quoque ſpectat ad Sæculum VII. poſt fata Satimiri I. Serblorum, & Porgæ regis Chrobatorum, regnante jam *Budimiro ſolo* in Serblis una, & Chrobatis, & ad annum circiter 679. quo Synodus *Delmi* eſt celebrata. (D) Lege: *Pontificem Summum.* (E) Legatio ad *Michaelem* Imperatorem miſſa ſpectat ad IX. Sæculum: nec hoc ejus argumentum fuit; ſed auxilia adverſus Saracenos. Legationem poſt cæſum Michaelem ſuſcepit Baſilius I. tempore interregni Serblici. (F) Lege iterum: *Pontificem Summum.* (G) Hoc ad Budimirum regem Sæculi VII. pertinet, uti & Synodus Delmi celebrata, præſidente Legato Apoſtolico *Honorio.*

ſit itaque Vicarium ſuum *Honorium* nomine Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem, cui & tradidit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, evellendi, & diſſipandi, ædificandi, atque plantandi, ſicut moris eſt, quando per mundi partes legati ſeu Vicarii a Sede Romana mittuntur. Et ideo alios duos Cardinales Epiſcopos quoque juſſit eum ſecum aſſumere, qui adhuc rudi populo in fide Epiſcopos, ſive Eccleſias conſecrarent, & verbum vitæ in eorum cordibus quotidie ſeminarent.

Advenientes itaque Cardinales, & Epiſcopi, invenerunt Regem in planitie Dalmæ (A): a quo magno honore, & reverentia ſuſcepti ſunt. Tunc rex juſſit congregari in eadem planitie Dalmæ omnes populos terræ regni ſui.

Inter hæc, dum populi congregantur, advenerunt legati Nobiles, miſſi ab Imperatore Michaele (B) *Leo*, *& Joannes*, & alii ſapientes: qui a rege, & Cardinalibus honorifice ſuſcepti ſunt.

Igitur omnes congregati, tam & Latina, quam & Sclavonica linqua qui loquebantur (C) juſſu *Honorii* apoſtolici Vicarii, & Chriſtianiſſimi regis *Svetopelek* (D): per ſpatium dierum XII. Synodum fecerunt. In qua diebus VIII. de lege Divina, & Sacra Scriptura, ac de ſtatu Eccleſiæ tractatum eſt. Cæteris autem IV. diebus de poteſtate regis, de Ducibus, Comitibus, & Centurionibus, & de ſtatu regis ſermocinatum eſt (E). Relecta ſunt, & in eadem Synodo antiqua privilegia, tam Latina, quam Græca, miſſa ab Apoſtolico, & ab Imperatore, audientibus cunctis populis de diviſione provinciarum, ac regionum ſeu terrarum, ſicut ab antiquis Imperatoribus (F) ſcripta, & ordinata fuerunt: & placuit regi, & cuncto populo.

Finita Synodo duodecima die per manus *Honorii*, & Cardinalium, atque Epiſcoporum ordinatus eſt Rex, atque coronatus more Romanorum Regum. Et facta eſt lætitia magna in populo, & univerſo regno.

Poſt

(A) Marulus Codex legit: *in Campo Clievnæ*, qui idem eſt cum *Dalmæ planitie*. (B) Hi legati non pertinent ad baptiſmum ſecundum Serblorum; quia a Michaele expetitus, & a Baſilio I. miſſus fuit. *unus Cæſarianus* teſte Porphyrogenito. Spectant igitur ad Concilium Delmi celebratum. (C) Serbli, & Chrobati Sclavonica: Dalmatæ Romani Latina utebantur. (D) Id eſt *Budimiri*: ex Codice Marulano. (E) Acta Synodi Delmitanæ. (F) Veriſimile eſt hic lectam fuiſſe veterem diviſionem provinciarum Dalmatiæ in *cis*, & *transalpiam*: ſeu *Maritimam*, & *Transmontanam*, aliasque ſubdiviſiones.

Poſt hæc juſſit rex, ut conſecrarentur Archi-Epiſcopi, unus in *Salona* (A): & alius in Dioclia (B). Similiter & Epiſcopi plurimi conſecrati ſunt: & Eccleſiæ, quæ deſtructæ erant, & violatæ manebant, reædificatæ, & conſecratæ ſunt.

Statuit etiam rex: ut nullus perturbaret in aliquo aliquam Eccleſiam, aut haberet aliquam poteſtatem, ſeu dominationem in aliqua Eccleſia (C), niſi ſolus Archi-Epiſcopus, vel Epiſcopus, ſub cujus jure eſſet eadem Eccleſia, qui vero aliter faceret, Regiam coronam offenderet.

Poſt hæc ſecundum continentiam privilegiorum, quæ lecta coram populo fuerant, ſcripſit privilegia, diviſit provincias, & regiones regni ſui, ac terminos, & fines eorum hoc modo (D):

Secundum curſum aquarum, quæ a montanis fluunt, & intrant in mare (E) contra meridianam plagam, *maritima* vocavit.

Aquas vero, quæ a montanis fluunt contra ſeptemtrionalem plagam in magnum flumen Donavi (F) vocavit Sumbra (G).

Deinde *Maritima* in duas diviſit provincias: a loco Dalmæ ubi rex tunc manebat, & Synodus tunc facta eſt, usque ad Valdevino (H) vocavit *Croatiam Albam*, quæ & inferior Dalmatia dicitur. Cui inferiori Dalmatiæ conſenſu Domini *Papæ Stephani* (I), & legatorum ejus inſtituit Salonitanam Eccleſiam Metropolim.

Sub cujus regimine has Eccleſias ſtatuit (K): *Spalatum*, *Tragurium*, *Scardonam*: *Stranſonam*, quod nunc eſt caſtrum *Jadræ*, *Ennonam*,

---

(A) Hoc ita intellige: ut pro Chrobatis, & Dalmatis Metropolita ſtatutus ſit Salonitanus, ſeu Spalatenſis. (B) Pro Serblis autem Diocletanus. Idem intellige & de cæteris Epiſcopis, ex quibus, qui nondum conſecrati fuerant, tunc conſecrati ſunt. (C) Exemtio, & immunitas Eccleſiarum. (D) Diocleates generaliorem diviſionem regionum ibi conſtitutam attigit formamque gubernii. Subdiviſiones omiſit. (E) Aquæ illæ, ſeu fluvii ſunt: *Arſia*, *Tedanium*, *Titius*, *Tilurus*, ſeu *Næſtus*, aut *Zetina*, *Naro*, ſeu *Orontius*, *Bislas*, *Zachluma*, *Barbana*, ſeu *Boliana*, *Driloniger*. (F) Tales aquæ ſunt in Boſna: *Verbas*, *Boſna*, *Drina*. In Raſcia: *Colubra*, *Jeſova*; ad Semendriam: *Lepaniza*, ſeu *Lapia* in Moravam; *Morava* in *Danubium* influens: in quem & aquæ Boſnenſes, Savo mediante exeunt. (G) Orbinus legit rectius *Surbiam*, vel *Serbliam*. (H) *Valdevino* eſt Oppidum ad ſiniſtram Arſiæ fluvii ripam. (I) Lege: *Pontificis Summi*. (K) Suffraganei Salonitani Metropolitæ, cujus Sedes jam tunc copulata erat Spalato.

nonam, *Arbuam*, *Abſarum*, *Vegliam*, *Epitaurum*; quod nunc dicitur *Raguſium*.

Item ab eodem loco *Dalmæ*, usque *Bambalonam* civitatem, quæ nunc dicitur *Dyrrachium*, *Croatiam*, *Rubram* (A) vocavit.

Et ſicut inferiori Dalmatiæ Salonitanam Eccleſiam conſtituit Metropolim, ſimili modo ſuperiori *Diocletanam* Eccleſiam pro jure antiquo (B) ſtatuerunt Metropolim. Sub cujus regimine has Eccleſias declararunt ſcilicet: *Antibarium*, *Buduam*, *Eccatarum*, *Dulcinium*, *Suacium*, *Scodram*, *Drivaſtum*: *Poletum*: *Sorbium*: *Boſonium*, *Tribunium*, *Zachlumium* (C).

Surbiam autem (D), quæ & *Transmontana* dicitur, in duas diviſit provincias: una a magno flumine *Drina* contra occidentalem plagam uſque ad *montem Pini*, quam & *Boſnam* vocavit: altera vero ab eodem flumine Drina contra orientalem plagam usque Lapiam, (E) quam *Raſſam* vocavit.

Unaquaque autem in provincia *Banum* ordinavit, id eſt *Ducem* ex ſuis conſanguineis fratribus, & *Jupanos* id eſt *Comites*: & *Sednicos*, id eſt *Centuriones* ex Nobilioribus earundem provinciarum (F).

Dedit autem unicuique *Bano*, ſeu *Duci* poteſtatem ſub ſe habere ſeptem centuriones (G), qui recte, & juſte populum judicarent: & tributa acciperent, & Bano præſentarent. Bani poſthæc medietatem Regi perſolverent, & medietatem ſibi retinerent.

Comitibus vero, id eſt *Jupanis* juſſit ſub ſe habere unum Sednicum, qui cum eo ſimiliter judicarent populum cum juſtitia (H), & duas partes tributorum Comites, id eſt Jupani Regi ut ſolverent: tertiam vero ſuo uſui retinerent. Banis vero, ſeu Ducibus nullam rationem facerent: ſed unus quisque teneret, & dominaretur *Jupanis*

(A) Diviſio Dalmatiæ Maritimæ in *Chrobatiam albam*, & *rubram* non recte rejicitur a Farlato T. 1. P. 2. p. 126. Quippe quam confirmat ipſum antiquiſſimum regni Chrobatiæ Scutum ex *albis*, *rubrisque taxillis* permixte compoſitum. (B) Hoc eſt: pro jure veteri Dalmatiæ ſuperioris, quæ pariter olim ſuum habuit Metropolitam, non quidem Diocliæ, ſed Scodræ. (C) Suffraganei Diocletani Metropolitæ, ex quibus *Sorbienſem*, & *Boſonenſem* Græco ritu operatos cenſeo. (D) Quam antea corrupte *Sumbram*, nunc correctius *Surbiam* ſcripſit: eſtque Serbia, ſeu Serblia, ſic proprie dicta. (E) *Lapia* videtur eſſe fluvius *Lepaniza*, qui paulo infra Oppidum *Lapovam* fluvio *Moravæ* veterum *Margo* ſe miſcet. (F) Forma regiminis. (G) Banorum authoritas. (H) Jupanorum authoritas.

nis earundem provinciarum, ac regionum: ſed ſoli Regi rationem redderent.

Multas leges, & bonos mores inſtituit: quos, qui velit agnoſcere, *librum Sclavorum*, qui dicitur *Methodius* (A) legat. Ibi reperiet qualia bona inſtituit Rex benigniſſimus.

Itaque perfectis omnibus, Cardinales, Epiſcopi, ac Legati Imperatoris, accepta a Rege licentia, & agentes gratias Deo, ac Regi, cum honore magno, & cum plurimis donis a Rege datis reverſi ſunt ad loca ſua.

Similiter & Bani, & Jupani, atque Centurianes noviter ordinati cum univerſo populo laudantes Deum, & ſalutantes Regem abierunt unusquisque in provinciam in regionem ſuam.

Regnavit præterea Rex Sanctiſſimus XL. annos, & menſes quatuor (B). Genuitque filios, & filias: & ſeptima decima die intrante menſe Martio, mortuus eſt: Sepultusque in Eccleſia ſanctæ Mariæ in civitate Diocletana.

Tunc congregantes ſe populi lamentaverunt illum flentes. Et in eadem Eccleſia in qua ſepultus eſt clamaverunt filium ejus *Svetolicum* (C). Ibique conſecratus eſt ab Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis.

Ex illa denique die mos adolevit, ut in eadem Eccleſia (D) eligerentur, & ordinarentur omnes Reges hujus terræ.

(A) Codex legum per Principes ſucceſſive latarum, in unum corpus collectus eſt per *Methodium* Sæculo IX: & a compilatore ſuo, *Methodius* nuncupatus eſt, in quo & Budimiri leges. (B) Anni regni Budimiri, ſive Svetopelech regis ſecundi ſunt XL, & menſes IV. (C) Rex Serblorum tertius *Svetolicus*. (D) Fuit Eccleſia illa ritus Latini, ſicut & Archi-Epiſcopi Dioclienſes.

EX LIBRO CONSTANTINI PORPHYROGENITI AD FILIUM ROMANUM DE ADMINISTRANDO IMPERIO. QUEM CONSCRIPSIT ANNO 6457. QUI EST CHRISTI 949.

CAPUT XXIX.

DE *DALMATIA*, ET *POPULIS ADJACENTIBUS.*

Diocletianus Imperator Dalmatiam ſummopere amavit. Quare etiam colonias populi Romani eo duxit. Populique *Romani* quoque nuncupati ſunt: quippe qui *Roma* eo commigraſſent. Manetque iis cognomen iſtud ad diem hodiernam usque. 1.

Diocletianus urbem illic *Aſpalatum* condidit, & nobiliſſima palatia exſtruxit: quorum nunc etiam reliquiæ ſuperſunt, veteremque magnitudinem teſtantur. 2.

Similiter urbem quoque *Diocleam* exſtruxit Imperator, a quo & nomen habet: & incolæ regionis *Diocletianorum* cognomen habent. 3.

Ipſorum autem *Romanorum* termini protendebantur usque ad flumen *Danubium.* Quod cum aliquando trajeciſſent, ſcire volentes, quinam Trans-Danubium habitarent? invenerunt *Sclavinos*, qui & *Abari* nuncupati; gentem inermen. Neque vero hi trans flumen, neque illi cis flumen quenquam credebant (A). Quia autem inermes, & imparatos ad bellum *Abaros* comperiebant *Romani*, debellantes eos, præda, & captivis inde abductis, receſſere. Et ex eo tempore 4.

(A) Rem eandem, & veriſimilius, narrat Porphyrogenitus hic c. 30. n. 2.

pore permutationes duas inſtituerunt *Romani* a paſchate ad paſcha ſuos permutabant, ita, ut ſancto Sabbato obviam ſibi fierent, & qui a manſionis ſuæ loco diſcederent, & qui in hanc ſervitutem ſuccederent & qui in hanc ſervitutem ſuccederent. Etenim prope mare urbs eſt *Salona* dimidium habens ejus magnitudinis, cujus eſt Conſtantinopolis. In ea congregati omnes *Romani* arma ſumebant, indeque diſcedentes ad *Clauſarum* pergebant, quatuor mille paſſibus ab urbe *Salona* diſtantem, quæ in hodiernam diem *Cliſſa* nuncupatur, quod illac prætereuntes quaſi concludat. Atque inde ad flumen proficiſcebantur. Hac igitur permutatione multis annis facta, *Sclavi*, qui trans flumen habitabant, qui & *Abari* dicti; re conſiderata, dixerunt inter ſe: *Romani hi*, ex quo primum trajecerunt, prædamque nacti ſunt, trajicere non deſinent: itaque aliquid contra eos machinemur. Sic re decreta *Sclavi*, ſive *Abari*, cum *Romani* aliquando trajeciſſent, poſitis inſidiis illos adorti ſunt, viceruntque, ac ſumtis eorum armis, vexillis, ac ſignis bellicis reliquis, trajecto flumine prædicti *Sclavi* ad *Clauſuram* venere. Quos ubi viderunt *Romani*, qui illic excubias agebant, conſpectis vexillis, & armatura gentilium ſuorum, ſuos eſſe arbitrati, cum *Sclavi* ad *Clauſuram* acceſſiſſent tranſitum illis permiſerunt. Sed intromiſſi *Romanos* oppido expulerunt, nec non etiam *Salonam* occuparunt, ibique ſedibus poſitis: paulatim ex eo tempore incipientes prædari *Romanos* in campis, & locis editioribus habitantes, deleverunt, eorumque loca invaſerunt. Cæteri vero *Romani* in oræ *maritimæ* oppidis ſervati ſunt, eaque etiamnum tenent, & ſunt iſta: *Rauſium*, *Aſpalatum*, *Tetrangurium*, *Diadora*, *Arbe*, *Betia*, & *Opbara*: eorumque habitatores in hodiernum usque diem *Romani* nuncupantur.

5. Ab imperio autem *Heraclii Romani* imperatoris (A) (uti, cum de *Chrobatis*, & *Serblis* agemus, dicetur) *univerſa Dalmatia*, *nec non finitimæ gentes Chrobati*, *Serbli*, *Zachlumi*, *Terbunitæ*, *Canalitæ Diocletiani*, & *Arentani*, qui & *Pagani* nuncupati ſunt; ditioni Romanæ ſe ſubtraxerunt. Quippe cum Romanum imperium per imperantium tunc temporis ignaviam, & maxime *Michaelis Amorienſis Balbi* (B) tantum non expiraſſet. Qui Dalmatiæ oppida incolebant *ſui juris* facti, nec *Romano Imperatori*, nec cuiquam alteri ſubjecti: itidem conterminæ illis gentes *Chrobati*, *Serbli*, *Zachlumi*, *Tribuniotæ*, *Canalitæ Diocletiani*, & *Pagani* excuſſis *Romani imperii* habenis, *liberi*, *ſuisque*, *non alienis legibus uſi ſunt* (C).

Prin-

(A) Nempe Imi. (B) Qui imperabat ab anno 820. ad 829. (C) *Dalmatæ maritimi* jam ante Baſilii I. imperium Prætori Romano tributum pendebant: ex c. 30. n. 16. *Serbli* liberi, & ſui juris vixere usque ad primum ejusdem Baſilii annum.

Principes vero, ut ajunt, hæ gentes *non* habent, *præter Zupanos ſenes*, quemadmodum etiam reliqui *Sclavorum populi* (A. 6.

Plurimi etiam *ex his Sclavis non baptizabantur*, imo diu *baptiſmi expertes* manſerunt. 7.

Imperante autem piiſſimo Imperatore Baſilio, legatos miſerunt petitum, ut, qui ex ipſis *baptizati nondum eſſent*, *baptizarentur* (B), eſſentque, *velut ab origine*, imperio *Romano ſubjecti* (C). Horum precibus auditis beatus ille Imperator *Cæſarianum unum* (D) cum Sacerdotibus *miſit*: omnesque, qui in prædictis gentibus *baptizati non erant*, *baptizavit* (E). 8.

Baptizatis autem ipſis, tunc *Principes* ipſis deſignavit, quos vellent, eligerentque e ſtirpe, quam maxime amarent. Atque ex eo tempore Principes ipſis ex eadem ſtirpe hodiedum, & non ex alia eliguntur (F). 9.

Pagani autem, qui & *Arentani* Romanorum lingua vocantur, in locis inacceſſis, & præruptis *baptiſmi expertes* relinquebantur. *Pagani* quippe *Sclavorum lingua*, *non baptizati* dicuntur. 10.

Deinceps vero & *hi*, miſſis ad eundem præclarum Imperatorem legatis, *petierunt baptizari*. Miſit itaque, & *baptizavit* (G). 11.

Deinde vero, ut antea dixi (H), per imperantium ignaviam retrolapſæ ſunt res *Romanorum*, ac incolæ *oppidorum Dalmatiæ* ſui juris facti, neque Romano Imperatori, nec cuiquam alteri paruerunt (I). 12.

Poſt aliquod vero tempus præclaro illo *Baſilio* moderante imperium ab Africa Saraceni cum Soldano, Galba, & Clafone navibus 13.

(A) Locus iſte ſic intelligendus eſt: quod *Serbli* a *Ciaslavi* regis morte, anno nempe 862. Principes non habuerint. Nam prius habuiſſe, conſtat ex Porphyrogeniti c. 32. n. 7. De Chrobatis quoque hoc ipſum conſtat ex c. 31. n. 5. & ex Francorum hiſtoria jam anno 818. *Borna* Princeps eorum fuit. (B) Soli itaque gentiles baptiſmum expetierunt. (C) Subjectionem vero omnes, qualis ſub Heraclio I. fuit, obtulerunt Baſilio I. (D) Legatum a Cæſare tunc *unum* fuiſſe hinc patet, Sacerdotes autem Conſtantinopolitanos. (E) Qui baptizarunt anno 667. (F) Ex inde reges Serbli rurſus numerarunt. (G) Anno nempe 872. (H) Nempe poſt Heraclium I. (I) Locum hunc intellige de *Dalmatia ſuperiore* ubi *Rauſium*, & aliæ urbes maritimæ: nam *Liburnia* pars *Dalmatiæ inferioris* jam anno 789. in poteſtatem Francorum venit. Atque cum anno 806. magna quoque Dalmatiæ pars ad Francos acceſſiſſet: anno 812. Carolus M. pace facta Maritima Michaeli Imperatori ceſſit.

vibus XXXVI. applicuere *in Dalmatia*, ac urbes *Butua*, *Rot*, & inferius *Decatera* expugnarunt. Inde adverſus *Raguſium* profecti, XV. menſes obſedere. Tum Raguſini cives in anguſtias redacti, *Baſilio* ſemper memorando id ſignificarunt: *miſerere* ajebant, *noſtri*, *nec nos permitte ab infidelibus peſſumdari.* Motus ergo *Imperator*, *Nicetam* patricium mittit Drungarium rei navalis, *Oriphan* cognominatum cum Chelandiis centum. At advenientes ubi Saraceni reſciverunt, deſerta obſidione in Longobardiam trajicientes urbem *Barium* obſidione cinxerunt, expugnaruntque. Tunc Soldanus exſtructis ibi palatiis, *Longobardiam* omnem Romam usque annos quadraginta tenuit. Hac itaque de cauſa *Imperator* ad *Ludovicum Franciæ* regem, & ad *Papam* Romanum legatos miſit, petens, ut exercitui ferant auxilium. Qui obſequentes jungunt ſe cum copiis multis, una cum *Chrobatis*, *Serbliis*, *Zachlumis*, *Terbuniotis*, *Canalitis*, & *Raguſinis*, cunctisque *Dalmatiæ oppidorum* incolis. Nam hi omnes ex *mandato Imperatoris* aderant. Qui trajicientes in *Longobardiam*, urbem obſederunt, & expugnarunt. Sciendum autem eſt, quod *Chrobatos*, reliquosque *Sclavorum Principes*, *Raguſini* cives ſuis navibus in *Longobardiam* transmiſerunt. Et urbem quidem *Barim*, totamque regionem, ac prædam univerſam ſibi habuit *Imperator Romanus*. Soldanum vero, cum reliquis Saracenis, *Rex Franciæ Ludovicus*: & *Capuam*, ac *Beneventum* ipſos abduxit &c. &c.

CAPUT XXX.

DE

THEMATE *DALMATIÆ* NARRATIO.

Cupientibus ſcire de *Dalmatia*, quomodo a *Sclavis populis* capta ſit? licebit hinc diſcere.

1. Sed primo ſitus ejus narrandus eſt. Olim *Dalmatia* incipiebat a *confiniis Dyrrachii* ſive ab *Antibari*, & ad *Iſtriæ montes* usque pertingebat. In latitudine vero usque ad *Danubium* flumen ſe extendebat. Eratque omnis ille finitimus tractus ſub *Romanorum* poteſtate, & præſtantiſſimum thema omnium occidentalium habebatur.

2. Cæterum a *Sclavis* occupata fuit hoc modo. Prope *Aſpalatum* urbs *Salona* eſt. Utraque a Diocletiano Imperatore eſt condita. *Aſpalati* Imperatoris erat palatium. *Salonam* vero magnates incolebant, & magna populi multitudo: atque hæc urbs Dalmatiæ totius *caput* erat. Congregabantur itaque ex reliquæ *Dalmatiæ urbibus quotannis* equites, & mittebantur *Salona* usque ad *mille* ad fluvium *Danubium*,

nubium, ut ibi excubias contra Abares agerent. Ad illam enim Danubii partem *Abares* tunc commorabantur, ubi hodie Turcæ (A) degunt, Nomadum inſtar viventes. Venientes autem *quotannis Dalmatæ*, cum ſæpe illic jumenta, & homines viderent, trajecere aliquando, & inveſtigarunt, quinam illic degant? Cum ergo trajeciſſent, *Abarum fœminas*, & *pueros ſolos* invenerunt, *viris ad expeditionem bellicam profectis*. Unde ſubito irruentes, multos cepere, nullumque damnum paſſi, cum præda *Salonam* regreſſi ſunt. *Abares* ex expeditione bellica reverſi, conſternati ſunt. At, unde hoc vulnus accepiſſent, ignorabant. Quare obſervandum tempus, & rem ediſcendam ſtatuerunt. Poſtquam ergo pro more rurſus miſſi ſunt *Salona*, & alii eſſent a primis; idem conſilium & ipſi ceperunt, trajicientes contra *Abares*. Incidentes autem in illos, non ſparſos, ut antea, ſed collectos; partim cæſi, partim capti fuere, nullo elapſo. Percontati ergo omnia, cum reſciſſent, unde eſſent? & ipſos eſſe, a quibus mala perpeſſi erant; inſuper loci qualitate intellecta; amore loci accenſi, in vinculis eos tenuere. Veſtibus eorum ſumtis, equisque conſcenſis, flamula, & reliqua ſigna, quæ ſecum attulerant, tollentes; more exercitus *Salonam* petierunt. Cognito itaque tempore, quo a Danubio redire ſoliti erant præſidiarii, quod erat *magnum Sabbatum*, & ipſi eodem die venerunt. Multitudo autem omnis cum urbi propinquaret, ſe ſe occultavit: *mille* vero, qui, & equos, & veſtes *Dalmatarum* ſumſerunt, ut fallerent, ulterius perrexerunt. Oppidani cognitis ſignis ſuis, veſtitu, & die reditus; portis apertis gratulabundi eos exceperunt. Illi vero ſtatim, ac intraſſent, portas occupant, & ſigno reliquis, qui in inſidiis erant, dato, accurrere, & aggredi jubent. Interfecerunt itaque omnes cives, ex eo tempore Dalmatiam univerſam occuparunt, ſedemque illic ſuam collocarunt: exceptis oppidis mari adjacentibus, quæ ſe ipſis non tradiderunt, ſed in *Romanorum poteſtate* manſere, eo quod ex mari victitarent. Videntes itaque *Abares* pulcherimam eſſe hanc terram, ſedes illic poſuerunt.

Chrobati vero tunc habitabant, ultra Bagibarias (B), ubi nunc 3.
ſunt *Belo Chrobati*. Una autem generatio, nempe quinque fratres, *Klukas*, *Lobelus*, *Koſentzes*, *Muchlo*, *Chrobatus*; & duæ ſorores *Tuga*, & *Buga*, una cum ſuis populis diſcedens ab ipſis, in *Dalmatiam* venit: ubi *Abares* incolas invenerunt. Belloque per *annos aliquot* inter eos geſto, *vicerunt Chrobati*: *Abarumque* quidem alios interfecerunt, alios vero parere ſibi coegerunt. Atque ex illo tempore a *Chro-*

(A) Id eſt Hungari, qui ſiniſtrum Danubii latus tunc tenebant. (B) Id eſt ultra *Vagi flumen*, quod ex Carpatho monte ortum in Danubium effunditur. Ibi enim a Carpatho ad *albos Serblos* usque porrigebatur *Alba Chrobatia*.

Chrobatis poſſeſſa hæc regio fuit. Suntque etiamnum in *Chrobatis Abarum* reliquiæ, & Abares eſſe cognoſcuntur. (A).

4. Cæteri vero *Chrobati* verſus Franciam commorabantur (B), & appellantur hodie *Belo Chrobati* ſive *Chrobati albi*: qui proprio principi ſubjecti ſunt, parent autem *Othoni*, magno *regi Franciæ*, quæ & *Saxonia*. *Baptiſmique* expertes, affinitatem cum Turcis (C), & amicitiam contrahunt.

5. At a *Chrobatis*, qui in *Dalmatiam* venerunt, pars quædam ſeceſſit, & Illyricum, atque Pannoniam occupavit (D). Habebantque & ipſi principem ſupremum, qui ad Chrobatiæ tantum principem amicitiæ ergo legationem mittebat.

6. Per aliquot vero annos etiam Dalmatiam incolentes Chrobati, Francis ſubjiciebantur, quemadmodum & antea dum in ipſorum terra degerent.

8. Tanta autem in ipſos *crudelitate* utebantur *Franci*, ut lactentes adhuc eorum pueros occidentes, canibus objicerent. Quæ res, cum *intolerabilis Chrobatis* eſſet, facto diſſidio, principes, quos ex ipſis habebant, interemerunt (E). Unde magnus contra eos exercitus movit e Francia.

9. Et poſt *ſeptem annorum bellum*, ægre tandem ſuperiores facti *Chrobati* omnes Francos, eorumque principem *Kozilin* e medio ſuſtulerunt. Et exinde liberi, ac ſui juris facti, ſacrum baptiſma a Romano Pontifice petierunt, miſſique Epiſcopi ipſos baptizarunt *principatum* tenente *Porino* (F).

10. Diviſa eſt ipſorum regio in Zupanias XI. quarum nomina: *Chlebiana*, *Tzentzina*, *Emota*, *Pleba*, *Peſenta*, *Parathalaſſia*, *Brebera*, *Nona*, *Tzena*, *Sidraga*, *Nina*. Ipſorumque Banus tenet *Krihazam*, *Litzam*, & *Guczekam*. Et quidem *prædicta Chrobatia* cum *reliquis Sclabiniis* ita ſita eſt.

Dioclia

(A) Nempe vel ex habitu peculiari, vel dialecto diverſa. (B) Per *Franciam* intelligit *Saxoniam*. (C) Id eſt Hungaris. (D) *Illyrici* nomine pars Boſnæ occidentalis congrue intelligitur. *Pannoniæ* nomine *Savia*, & pars ultra Dravum fluvium. (E) Circa annum 825. (F) Chrobatorum baptiſmus ſecundus: circa an. 832. Hinc etiam vides ante Baſilii I. Imperium, qui cœpit 867. Chrobatos habuiſſe Principem, & quidem a Bano diverſum ex n. 9.

Dioclia porro propinqua eſt *Dyrrachii* oppidis, *Eliſſo*, *Helcinio*, & *Antibari*, extenditurque *Decatera* usque: *Montana* autem *Serbliæ* finitima ſunt. 10.

A *Decateris* vero incipit *Terbuniæ* principatus, porrigitque ſe *Rauſium* usque: at verſus *Montana Serviæ* adjacet. 11.

A *Rauſio*: *Zachlumorum* principatus initium habet, & protenditur ad *Orontium* flumen usque: oraque *maritima Paganis*; *Montana* quæ ad ſeptemtrionem *Chrobatis*: quæ in fronte *Serbliæ* conterminat. 11.

Ab *Orontio* flumine *Pagania* incipit, & porrigitur usque ad *Zentinam* fluvium. Et Zupanias tres habet *Rastozam*, *Mocrum*, & *Dalen*. Et quidem priores duæ Zupaniæ ad *mare* ſitæ ſunt, & ſagenas habent: *Daleni* vero Zupania procul a mari ſita eſt, & ejus incolæ ex agricultura vivunt. Habet quoque *Pagania* in propinquo *inſulas* quatuor, nempe: *Meletam*, *Curcuram*, *Brazum*, & *Phaoum* omnes pulcherrimas, fertiliſſimasque. *Oppida*, item *Deſerta*, & paludes multas, in quibus habitant, & jumenta alunt, unde victum parant. 13.

A *Zentina* autem fluvio *Chrobatia* incipit, extenditurque *verſus mare* ad *Iſtriæ* usque conſinia, ſeu *Albunum urbem*: verſus *Montana* aliquatenus etiam *ſupra Iſtriæ thema* excurrit. At verſus *Zentina*, & *Chlebena*, *Serviæ* regionem attingit. 14.

Serviæ autem in *fronte habet* cæteras *omnes regiones*, ad *Septemtrionem* quidem *Chrobatiæ* propinqua eſt, ad *meridiem* vero Bulgariæ. 15.

Ex quo vero dicti jam *Sclavi* inhabitarunt *finitima* omnia *Dalmatiæ*, *urbesque Romanorum* inſulas colebant, ex iisque vivebant. At, cum quotidie a *Paganis* captivi abducerentur, & exterminarentur; *inſulas deſeruerunt*, continentem colere volentes. Verum a *Chrobatis* prohibebantur, cum nondum illis tributa penderent. Nam ea, quæ hodie *Sclavis pendunt*, tunc *Prætori* exhibebant. Sed cum vitam tolerare non poſſent, ad *Baſilium* illum præclarum Imperatorem acceſſerunt, eumque res a nobis commemoratas docuerunt. Iis itaque Imperator author fuit, ut ea omnia, quæ *Prætori* ſolvebant, *Sclavis* darent pacis cauſa: & *Prætori exiguum* aliquid *penderent*, ad oſtendendam duntaxat *Romano Imperatori*, ejusque *Prætori* debitam ſervitutem. Atque ex eo tempore omnes iſtæ urbes *Sclavorum tributariæ*, pacta ipſis ſolvunt. *Aſpalatus* quidem urbs numismata CC. *Tetrangurium* numismata C. *Diadora* CX. *Opſara* C. *Arbe* C. *Becla* C. ita, ut univerſim eſſent numismata DCCX. Excepto vino, & cæteris ſpeciebus diverſis, quæ etiam exhibebant. Cæterum *Rauſium* urbs medium jacet inter has duas regiones: nempe *Zachlumorum*, & *Terbu-* 16.

nianorum: & habent Ragusini cives in utraque hac regione, etiam vineas suas: penduntque *Zachlumorum* quidem principi numismata XXXVI., & totidem *Terbuniæ* principi.

CAPUT XXXI.

DE

CHROBATIS, ET TERRA, QUAM *NUNC* INCOLUNT.

1. *Chrobati*, qui *Dalmatiæ partes* nunc inhabitant; a *Chrobatis non baptizatis*, *qui* & *Albi* appellantur, originem ducunt. Qui sane ultra Turciam (A), prope Franciam (B) incolunt, & *Sclavis* contermini sunt *non baptizatis Serblis* (C).

2. *Chrobati* autem dicuntur *lingua Sclavorum* (D) id est: *terram multam possidentes.*

3. Atque *hi ipsi Chrobati* ad Romanum Imperatorem Heraclium confugerunt (*ante*, quam *Serbli* confugissent *ad eundem* Imperatorem *Heraclium*) *quo tempore Abares* inde *Romanos* ejecerunt armis, quos Roma adductos Diocletianus Imperator illic habitare fecerat, unde & Romani nuncupati sunt, quod Roma venientes, sedes posuissent in illis regionibus, nempe *Chrobatia*, & *Serblia*, uti nunc vocantur.

4. *Pulsis* vero *Romanis* ab Abaribus tempore *ejusdem Romani Imperatoris Heraclii*, desolata eorum regio jacuit. Quapropter *jussu ejusdem Imperatoris*, *iidem Chrobati*, armis arreptis *Abares* ex illis locis expulerunt, & in ipsorum terra, quam etiam hodie colunt, sedes collocarunt.

5. Erat autem *Chrobatis illis* tunc temporis *Princeps*, *Porgæ pater*. *Heracliusque* Imperator *Roma* per legatum *sacerdotibus* accersitis, constitutoque ex ipsis *Archi-Episcopo Episcopo*, *Presbyteris*, & *Diaconis*, *Chrobatos baptizavit*. Et *tunc* quidem temporis *Chrobatorum Princeps* erat *Porga*.

Regio

(A) Id est: Hungariam. (B) Id est Saxoniam. (C) Serbli enim erant ad occasum Chrobatorum. (D) *Chrobati*, nempe cum addito *Veli*, id est *magni*, significare potest, quod ait Porphyrogenitus.

Regio autem hæc, quam incoluerunt Romani, ab initio erat 6.
ſub poteſtate *Romani Imperatoris*: unde hodiedum palatia, & hypodromus Diocletiani Imperatoris ſuperſunt *in regione Chrobatorum* in urbe *Salona*, &, quæ urbi proxima eſt, *Aſpalato*.

Hi autem *Chrobati baptizati* extra limites propriæ terræ, 7.
non libenter *bellum aliis inferunt*. Idque quia oraculum quoddam ſeu ſtatutum a *Romano Pontifice*, qui ſub *Heraclio Romano* Imperatore *Sacerdotes miſit*, *eosque baptizavit*, acceperunt. *Chrobati* ſiquidem *poſt acceptum baptiſmum* pepigerunt, & chyrographis propriis datis, ſancto *Petro Apoſtolo* juraverunt, nunquam ſe *alienam terram* armis *invaſituros*, ſed pacem habituros cum omnibus volentibus: & imprecationem viciſſim *a Romano Pontifice* acceperunt, ut ſi quando *aliæ gentes* ipſorum *Chrobatorum terram* invaderent, belloque infeſtarent, pro ipſis pugnaret, vindexque eorum eſſet *ipſorum Deus*, *victoriam conciliante Petro* Chriſti diſcipulo.

Multis vero annis elapſis, in diebus Principis *Terpimere* (A) 8.
qui pater fuit Principis *Kraſemere*; e *Francia*, quæ inter *Chrobatiam*; & *Venetiam* media eſt (B) veniens vir quidam *Martinus* nomine, maxime quidem pius, ſed habitu ſæculari; quem *iidem* quoque *Chrobati* miracula plurima feciſſe dicunt. Hic porro vir pius, *imbecillus* admodum, & *pedibus mutilatus*, ita ut quatuor bajulis deferri deberet; *illud ſanctiſſimi Pontificis mandatum Chrobatis* ad ultimum finem *ſervandum eſſe* itidem ſanxit, eadem etiam illis, quæ antea Pontifex *imprecatus*. Quapropter, nec ſagenæ ipſorum *Chrobatorum*, neque conduræ unquam ad aliquem bello infeſtandum abeunt, niſi, ſi quis eos adoriatur. Sed hujusmodi *navigiis Chrobati mercatores* ad emporia proficiſcuntur, oppidatim circumeuntes *Paganiam*, & *ſinum Dalmatiæ*, *Venetias* usque.

Chrobatiæ autem *Princeps* ab initio, id eſt ab *Heraclii* Im- 9.
peratoris temporibus, *Romano Imperatori*, *non Bulgariæ Principi* ſubditus erat (C). Neque *Bulgarus* cum *Chrobatis* bellum geſſit, præter *Michaelem Boryzem Bulgariæ Principem*, qui ſumtis armis bellum ipſis intulit. Sed cum nihil efficeret, muneribus datis, & acceptis pacem fecit.

(A) Nempe *Secundi*, qui Sæculo X. nempe poſt Tamislavum, & poſt annum 925. regnavit: atque teſte Andrea Dandulo filios habuit *Muntimirum*, ſeu *Mucimirum II.* & *Suringam*: & ex Porphyr. c. 31. *Creſimirum I.* patrem *Myroslavi*, quem *Prebuniæ* Banus poſt 42 regni annos occidit. Interregno durante usque ad *Dircislaum* filium Creſimiri I. qui ab anno 979. regnavit. (B) Eſt regio *Carnioliæ*, & *Toro Julii*. (C) Bulgari enim ſerius advenerunt imperante nempe Conſtantino Pogonato; anno 670.

fecit. Neque *Chrobati unquam Bulgaris* tributum dederunt: Sed alteri alteros ſæpe amicitiæ ergo donis cohoneſtarunt.

10. *Baptizatæ* vero *Chrobatiæ* urbes habitatæ ſunt: *Nona*, *Belogradum*, *Belizin*, *Scardona*, *Chlebena*, *Stolpum*, *Tenen*, *Cori*, *Clabeka*: exhibetque equitum LX. millia peditum C. millia: & Sagenas LXXX. Conduras C. Et Sagenæ quidem XL. habent viros: Conduræ vero XX. nempe quæ majores: nam minores X. tantum viros habent.

11. Atque hæc quidem Chrobatiæ potentia, & copiæ fuerunt usque ad Principatum *Kraſemere*, quo mortuo cum *Myroſllabus* filius, poſtquam quadriennium genti præfuiſſet, a *Pribunia* Bano interfectus eſſet: plurimis obortis diſſidiis, ac factionibus; *equitum*, *peditumque* numerus valde imminutus eſt: item & *Sagenarum*, & *Conduarum*. Et Sagenas quidem *nunc* (A) XXX. habent. Conduras magnas, parvasque, & equitatum, peditatumque (B).

12. *Magna* autem *Chrobatia*, quæ etiam *alba* cognominatur, in hodiernum usque diem *ſine baptiſmo* eſt: quemadmodum & *finitimi Serblii*. *Equitem*, *peditemque* non habet tam numeroſum, *quam baptizata Chrobatia*: quippe frequentibus incurſionibus infeſtata *Francorum*, *Turcorum*, *Pazinacitarum*. Nec *Sagenas*, *Conduras*, aut *navigia* ad mercaturam, utpote a mari remota: a quo quidem XXX. dierum itinere diſtat: mare autem, a quo totidem dierum itinere diſtat, illud eſt, quod *nigrum* appellatur.

CAPUT XXXII.

DE

SERBLIS, ET REGIONE, QUAM NUNC IPSI INCOLUNT.

1. Sciendum eſt *Serblos* oriundos eſſe a *Serblor non baptizatis*, qui etiam *Albi* cognominantur: & *ulteriora Turciæ* incolunt in loco ab illis *Boiki* nuncupato, cui finitima eſt *Francia*, uti & *magna Chrobatia baptiſmi expers*, quæ etiam *alba* cognominatur. Illic autem initio *Serbli bi* habitabant.

2. *Principatu* autem *Serbliæ* a Patre ad duos filios devoluto alter ſumta populi parte dimidia ad Romanum *Imperatorem Heraclium* confugit;

(A) Id eſt anno 949. quo ſcribebat Conſtantinus Porphyrogen. (B) Horum decrementum expreſſum non eſt.

git; qui & excepto, locum ad habitandum dedit *in themate Theſſalonicæ*, qui ex eo tempore *Serblia* nuncupatur.

Serbli autem Romanorum lingua *Servi* dicuntur: unde *Serbula* vulgo *Servorum calceamenta* appellantur: & *Serbulianos* illos vocamus, qui ita viliter, & pauperum more ſunt calceati. *Serbli* autem inde ſic cognominati ſunt, quod Romanorum *Imperatori ſervirent* (A). 3.

Aliquanto vero *poſt* viſum eſt *Serviis* in ſuam terram redire, & dimiſit quoque illos Imperator. Sed cum trajeciſſent *Dannbium* fluvium, pœnitentia ducti per *Prætorem*, qui tunc temporis *Belgradum* adminiſtrabat; ab *Heraclio Imperatore* petierunt, *aliam* ſibi *terram* ad habitandum aſſignare vellet. 4.

Cumque ea, quæ nunc *Serblia* dicitur, & *Pagania*, &, quæ *Zachlumorum* terra vocatur, & *Terbuniæ*, & *Canalitarum* regio, quæ Imperatoris Romani ditiones erant, propter *Abarum* excurſiones deſertæ eſſent *expulſis inde Romanis*, qui nunc Dalmatiam, atque Dyrrachium incolunt: regiones illas *Serviis* habitandas Imperator dedit. *Cui* etiam *ſubjecti* erant, *a quo* etiam *baptizati* fuere, per *Presbyteros Roma* accerſitos, & pietatis opera edocti, antiqua fide accepta. 5. 6.

Cum autem ſub *Romanorum poteſtate* eſſet *Bulgaria* (B): *Serviorum Principe*, qui ad Imperatorem confugerat, vita functo: *filius* ipſius ſucceſſit, mox *nepos*, & ſic omnes, qui ab eo deſcenderunt. 7.

Ex quibus poſt annos aliquot fuit *Boiſeſthlabus*: a quo *Radoslabus*: a quo *Proſegoes*: a quo *Blaſtimeres*. 8.

Ad cujus usque tempora *pacem* cum *Bulgaris* habuere *Servii*, utpote vicini, & confines, inter ſe amantes, & ſervientes Romanis Imperatoribus, & ab ipſis beneficiis ornati. 9.

Sed *principatum* tenente laudato Blaſtimere, arma contra *Servios* movit *Bulgariæ Princeps Preſiam*, ſubjicere ſibi ipſos cupiens. Verum poſt *trium annorum* bellum, non ſolum nihil effecit, ſed & plurimos e ſuis amiſit. 10.

Poſt mortem autem *Blaſtimeri*, regionem inter ſe partiti, *Principatum Serviæ* exceperunt *tres ejus filii*, *Muntimerus*, *Strœmerus*, & *Goinicus*. Hos aggreſſus eſt *Michael Boryzes Bulgariæ Princeps*, ſtragem, quam pater *Preſiam* paſſus erat, vindicare cupiens. Sed eum bellan- 11.

(A) Hæc tunc apud Conſtantinopolitanos traditio, quanquam non vera fuit: eſt enim antiquius *Serblorum* nomen. (B) Vult dicere: deceſſiſſe vita primum Serviorum Principem paulo ante Bulgarorum adventum, cum nempe regio illa adhuc in Romana poteſtate erat.

bellantem adeo afflixerunt *Servii*, ut filium ejus *Blaſtemerum* in vinculis abducerent una cum machinis grandibus XII. Tunc filii caſu permotus *Boryzes*, quamvis invitus pacem cum Serviis fecit. In *Bulgariam* vero rediturus, & *Serviorum* in itinere inſidias timens: *Muntimeri Principis* filios *Borena*, & *Stephanum* viæ duces petiit: qui & indemnem usque ad *Raſe* deduxerunt, & ingentia ab eo munera, beneficiis hujus nomine acceperunt: viciſſim donantes xeniorum vice *duo mancipia*, *duos falcones*, *duos canes*, & *pelles nonaginta*: quod Bulgari pactum eſſe dicunt.

12. *Paulo poſt* autem, tres fratres Serviæ Principes contra ſe mutuo arma ſumſerunt: ſuperiorque factus *Muntimerus*. Qui cum vellet ſolus principatum tenere, *captos duos* in *Bulgariam* transmiſit: ſolum *Petrum* fratris *Goinici* filium apud ſe retinens, & ſedulam curam ejus gerens: qui fugiens in Chrobatiam venit, ſed de eo paulo poſt dicetur.

13. *Stramerus* vero frater, cujus ſupra mentionem fecimus, in Bulgaria filium habebat *Clonimerum*, cui uxorem Bulgaram dedit Boryzes, ex qua Tzeheſtlabum in Bulgaria ſuſcepit.

14. At *Muntimerus* utroque fratre expulſo, principatu potitus filios tres genuit: *Pribeſtblabum*, *Branum*, & *Stephanum*. Eique mortuo ſucceſſit maximus natu *Pribeſtblabus*.

15. Anno igitur ſequente Chrobatia eggreſſus *Goinici* filius *Petrus*, cujus ſupra meminimus, patruelem *Pribiſtblabum* cum duobus ejus fratribus Principatu dejicit, & ipſe eum capeſſit. Illi vero fuga ſibi conſulentes in Chrobatiam abeunt.

16. Triennio autem poſt *Branus* motis contra *Petrum* armis victus, captusque, oculis ab eo privatus eſt.

17. Biennio vero poſt e *Bulgaria* quoque fugiens *Clonimerus*, *Tzeheſtblabi* pater movet & ipſe, *urbemque Serviæ Dominica* cum exercitu ingreditur principatus occupandi cauſa: *quem* armis ſuperatum *Petrus occidit*. Et Principatum rexit *alios XX. annos* imperante beatiſſimo, ſanctoque *Imperatore Leone*, cui *ſubjectus* erat.

18. Pacem quoque habuit cum *Simeone Bulgariæ* Principe, cujus etiam filium in baptiſmo ſuſcepit.

19. *Poſt* Imperium autem Domini *Leonis* (A), Dyrrachii Præfectus *Leo Rabduchus*, poſtea Magiſter, & Logotheta curſus publici factus,

(A) Leo Imp. obiit an. 911.

factus, in *Paganiam*, quæ tunc temporis *a Serviæ Principe* occupata fuerat, venit, ſermonem, conſiliumque inſtituturus cum laudato *Petro Principe* de aliquo negotio. Invidia autem ob hanc rem motus *Michael Zachlumorum* Princeps, *Simeoni Bulgarorum* Principi ſignificat: *Romanum* Imperatorem, *Petrum Principem* colere muneribus, quo *Turcorum* (A) copiis adjutus *Bulgariam* invadat: erat quippe tunc temporis bellum Romanos inter, & Bulgaros ad Acheloum (B). Tuens ideo Symeon contra *Serviæ Principem Petrum* mittit cum exercitu *Theodorum Sigritzem*, & *Marmaen* una cum *Paulo Brani Principis* filio, quem *Petrus* Serviæ Princeps excæcaverat. Dolo igitur *Bulgari*, *Serviæ Principem* aggreſſi, & prole in ſacro lavacro ſuſcepta, & dato juramento, nihil eum mali ab ipſis paſſurum, per fraudem exire perſvaſum, & in vincula e veſtigio conjectum, in *Bulgariam* abduxerunt: ubi & in carcere vitam finiit.

In ejus autem locum ſucceſſit *Paulus*, *Brani* filius, qui Principatum *triennio* tenuit. Dominus autem *Romanus* Imperator ſecum habens *Pribeſtlabi Serviæ Principis* filium *Zachariam*, miſit eum, ut *Principatum Serviæ* occuparet. Sed illum venientem, prælio ſuperavit *Paulus*, captumque *Bulgaris* tradidit, in vinculis aſſervandum. 20.

Deinde elapſo *trium* annorum ſpatio, *Paulo Bulgaris* hoſte facto, *Zachariam* miſit, quem Dominus *Romanus* Imperator antea miſerat. Ipſeque *Paulo dejecto*, Principatum *occupavit Serviorum*. Et illico memor beneficiorum, quæ a *Romano* Imperatore acceperat; *Bulgaris* ſe oppoſuit, mallens potius Imperio *Romano ſubeſſe*, quam Bulgaris. 21.

Quare cum exercitum contra ipſum miſiſſet *Symeon* ſub præfectis *Marmaen*, & *Theodoro Sigrize*; capita eorum, atque arma *Romano* Imperatori miſit, ſigna partæ victoriæ. Adhuc enim bellum inter *Bulgaros*, & *Romanos* erat. Nec unquam ſubjici *Romano* Imperatori, & parere deſinebat, quemadmodum & *priores Principes* mittere ad ipſos ſoliti erant. 22.

Symeone vero iterum mittente novas captas contra *Zachariam* Principem ſub præfectis *Kneno*, *Hemneko*, & *Ezbochlia*, & miſſo ſimul *Tzebeſtlabo*; metuens tunc *Zacharias* in *Chrobatiam* profugit. 23.

Bulgari autem Zupanis ſignificarunt, ut ſe convenirent, & Principem *Tzebeſtlabum* exciperent: juramentoque deceptos, atque ad primum pagum adductos, protinus in vincula conjicientes. *Serviam* invaſerunt, populumque omnem a minimo ad maximum in 24.

Bulga-

(A) Id eſt: Hungarorum. (B) Anno nempe 917.

Bulgariam abduxerunt. Quidam vero profugi in *Chrobatiam* se receperunt, manſitque regio deſolata.

25. Porro circa illud etiam tempus *Chrobatiam* cum *Alogoſotur* armata manu ingreſſi *Bulgari*, omnes a *Chrobatis* interfecti ſunt.

26. Et *poſt VII. annos* fuga deſerens Bulgaros *Tzebeſtlabus* cum aliis quatuor, *Preſtlabo* in *Serviam* venit. Non invenit autem in ea regione præter viros L. ſine uxoribus, liberisque venatione victitantes. Cum his regionem obtinens, per nuncios, tutelam, & auxilium ab Imperatore *Romanorum* petiit *promittens obedientiam* per internuncios ejus juſſibus, qualem & ejus *anteceſſores* præſtitiſſent. Atque ex eo tempore multis illum beneficiis affecit *Romanus* Imperator: ita, ut *Servii*, qui a *Symeone* diſſipati, in *Chrobatia*, *Bulgaria*, aliisque locis, ac regionibus commorabantur, re audita, ad ipſum undique gregatim convenirent. Quin etiam in urbem *Conſtantinopolitanam* plurimi e *Bulgaria* fugientes venerunt, quos veſtibus, cæterisque beneficiis ornatos Imperator *Romanorum* ad *Tzebeſtlabum* miſit. Qui magnificis Romani Imperatoris largitionibus, *regione conſtituta*, & ad priſtinam frequentiam incolarum reducta, totum ſe *Romano* Imperio *ſubjecit*: quippe Imperatoris auxilio, frequentibusque beneficiis, regione illa conſtituta, *Princeps quoque illic confirmatus eſt.*

27. Cæterum *Serviæ Princeps* ab initio, id eſt ab Imperio *Heraclii* usque *Romanorum* Imperatori *ſuberat*, *non Bulgarorum* Principi.

28. Suntque in *baptizata Serblia oppida*, quæ habitantur; *Deſtenicum*, *Tzernabuſce*, *Megyretus*, *Dresnez*, *Lesnek*, *Salenes*. In *agro* vero *Boſonæ*, *Catera*, & *Desnez*.

CAPUT XXXIII.

DE

ZACHLUMIS, ET EA, QUAM NUNC HABITANT, REGIONE.

1. *Zachlumorum* terræ, *Romani* primum dominabantur: illi nempe *Romani*, quos *Diocletianus* Imperator *Roma* eo velut in coloniam duxit. Quemadmodum & in *Chrobatorum Hiſtoria* de iis dictum eſt. Sed ab *Abaribus* poſtea ſubjugata, & in vinculis abductis ipſius incolis, tota hæc regio deſerta fuit.

2. Qui vero nunc illic habitant *Zachlumi*, *Servii* ſunt, *ab illo Principe*, qui ad Imperatorem *Heraclium* confugit.

Zachlumi

Zachlumi dicti ſunt a monte *Chlumo*: & alias *Sclavorum dialecto*, *Zachlumi* dicuntur ii, qui *poſt collem* habitant, quandoquidem magnus ibi collis eſt: in cujus vertice urbes duæ ſunt *Buna*, & *Chlum*: retro autem hunc collem flumen *Bunos* (A), *Buna* nuncupatum, devehitur, quod Græcis *KALON* ſignificat. 3.

Venit autem poſteritas *Pro-Conſulis*, & *Patricii Michaelis* (B), *Buzebuze* Zachlumorum Principis filii, a *non baptizatis* accolis fluminis *Bislas*, quod & *Dizize* nuncupatur; habitavitque ad flumen *Zachluma* nuncupatum. 4.

Suntque *in Zachlumorum* territorio urbes habitatæ; *Stagnum*, *Mokriſich*, *Josie*, *Galumanie*, & *Dobriſich*. 5.

CAPUT XXXIV.

DE

TERBUNIOTIS, ET *CANALITIS*, EORUMQUE REGIONE, QUAM *NUNC* HABITANT.

Terbuniotarum, & *Canalitarum* eadem eſt regio: incolæ vero a *non baptizatis Serbliis* deſcendunt: qui illic habitarunt *inde ab eo Principe*, *qui* a *Serblia non baptizata* ad *Heraclium* Imperatorem confugit, usque ad *Blaſtemerum Serviorum Principem*, qui filiæ ſuæ maritum dedit *Krainan*; *Belæ Terbuniæ Zupani* filium: & honoris ergo *Principem appellavit*: &, ut *ſui juris eſſet*, effecit. 1.

Atque *ex illo Palimeres* natus eſt: ex quo Tzuzemeres. 2.

Terbuniæ vero *Principes* ſemper *Serviæ Principi* parebant. Et regio ipſa *lingua Slavorum* locum *munitum* ſignificat: quandoquidem multæ in ea munitiones ſunt. 3.

Eſtque ſub eo alia adhuc regio, quæ *Canale* nuncupatur. *Canale* vero *viam plauſtri* Sclavorum *idiomate* ſignificat. Nam propter loci planitiem ſervitutes omnes plauſtris præſtant. 4.

Habet autem, tam *Terbunia*, quam *Canale* oppida, quæ habitantur hæc: *Terbuniam*, *Hormum*, *Rbiſena*, *Lukabete*, & *Zetlebe*. 5.

(A) Ex *Buna* trahit originem pars illa *Sclavorum*, qui hodie adhuc *Bunievzi* appellantur. (B) *Michael* iſte, & *Rex* a nonnullis dictus eſt Lupus Protospatha in chron.

CAPUT XXXV.

DE *DIOCLETIANIS*, EAQUE, QUAM NUNC INCOLUNT, REGIONE.

1. Etiam *Dioclea* regio primitus *Romanorum* erat. Sed ab *Abaribus* devastata, & subjugata fuit. Sub *Heraclii* autem Imperatoris temporibus, iterum habitari cœpit: quemadmodum *Chrobatia*, *Serblia*, *Zachlumia*, *Terbunia*, *Canalisque*.

2. *Dioclea* urbs, *nunc* est habitatoribus *vacua*. Suntque in ea ditione urbes habitatæ magnæ *Gradete*, *Nugrade*, & *Lento Docla*.

CAPUT XXXVI.

DE *PAGANIS*, QUI ET *ARENTANI* DICUNTUR, ET EA, QUAM NUNC INCOLUNT, TERRA.

1. Primitus a *Romanis* tenebatur deductis a Diocletiano. Oriundi sunt & *Pagani* a *Servis non baptizatis*, *ab eo* nempe *Principe*, qui ad *Heraclium* Imperatorem confugit.

2. Capta vero ab *Abaris*, & vastata regio, sub *Heraclio* rursus incolis frequentari cœpit.

3. *Pagani* autem dicti sunt, quod non accepissent *baptismum* eo tempore *quo omnes Servii baptizati sunt*. *Pagani* Sclavorum lingua *baptismi expertes* vocantur. *Romanis* autem regio eorum Arenta dicitur.

4. Habet *Pagania urbes* habitatas: *Mocrum*, *Berullia*, *Ostroz*, & *Labineza*.

5. Possident *Arentani* & *insulas* magnas: unam, quæ *Cracra* seu *Cicer* dicitur; alteram, quæ *Meleta*, vel *Melazenta*, cujus in actis Sanctus Lucas meminit, *Melitem* compellans. Ubi vipera Divi Pauli digitum mordens, ab eo excussa conflagravit. Tertiam, quæ *Phara* dicitur. Quartam, quæ *Bratzes*. Sed & aliæ præterea insulæ sunt, quæ ad Paganos non pertinent, puta: *Choara*, *Jesct*, *Lastoboa*.

INDEX I.

Authorum, hoc in opere citatorum, ordine alphabetico digestus.

Aeneas Sylvius.
Æthicus.
Agathias.
Albinus Petrus.
Anastasius Bibliothecarius.
Andreas Dandulus.
Annæ Comnenæ Alexias.
Annales Bertiniani.
Annales Biblioth. Vindobonensis.
Arnaldus Lubec.
Assemanus Joannes Simon.
Baletius Marinus.
Barletus Marianus.
Baronius.
Beatillus Antonius.
Bernardus.
Bernardus Pecz.
Berti.
Bonfinius.
Buchelatus.
Bzovius Abrahamus.
Calchocondylas Laonicus.
Cantacuzenus.
Cantipratensis Thomas.
Carmessonius Joannes.
Catalogus Rom. Spalatensium Antistitum.
Cedrenus.
Cencius Camerarius PP.
Cervarius Ludovicus.
Chrisanthus Patriarcha Hierosolymitanus.
Cinamus.
Codex MS. Salmensvailensis a Canisio editus.
Codex Theodosianus.
Codex Vaticanus.
Codinus Georgius.
Colleti Conciliorum Collectio.
Comnenus Joannes.
Constantinus Porphyrogenitus.
Coromini Rudolphus Comes.
Cromerus Mathias de Michovia.
Cuperus.
Curopalata.
Dietpoldus Patavienſis Episcopus.
Diocleates.
Diodorus Siculus.
Dositheus Patriarcha Hierosolymitanus.
Dreslerus.
Ducas Michael.
Du Chesne.
Du Fresne.
Du Mont.
Ebendorff Thomas.
Eckhardus.
Eginhardus.
Euthymius Zygabenus.
Farlati Daniel.
Ferrarius Sigismundus.
Flavius Blondus.
Fredegarius.
Frising Otho.
Frölich Erasmus.
Gelasius Cyzicenus.
Georgius Despota.
Glabro Monachus.
Gobelinus.
Godefridus Monachus.
Gonzaga.
Gregoras Nicephorus.
Guilielmus Bibliothecarius.
Guntherus.
Hanivaldus Philippus.
Harmenopolus.
Hartenok.
Hasebachius.
Helmoldus Bos.
Herman Amandus.
Hierocles.
Hollstein.
Jolincius Paulus.
Jornandes.
Isivanffius.
Justinianus.
Justinus.
Kaprinai Stephanus.
Kercselich Balthasar Can. Z.
Lazius Wolfgangus.
Leo Allatius.
Leo Grammaticus.
Le Quien.
Leunclavius.
Liberatus.
Liber de variis Turcorum dolis.
Logotheta Georgius.
Lonicerus.

Luccarius Jacobus in Annal. Raguſ.
Lucius.
Ludovicus Du Mesnil.
Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus.
Lupus Protoplaſta.
Madius Michas.
MS. de Friderico III.
MS. Serblicum.
Marcellinus.
Marnavicius Boſnæ Epiſcopus.
Marulanus.
Muratorius Ludovicus.
Nicephorus Patriarcha.
Nicetas Chomiates.
Nilus Doxopater.
Notitiæ Imperii Conſtant. M. Theodoſii, Honorii, & Arcadii.
Orbinus.
Oroſius.
Pachymeres.
Pagius.
Palma Carolus.
Pariſius Mathæus.
Paulus de Paulo.
Paulus Diaconus.
Péterffi Carolus.
Philelphus Franciſcus.
Philippus de Maneziis.
Phranzes.
Piſanus.
Plinius.
Pollio Trebellius.
Polybius.
Pompejus Trogus.
Pray Georgius.
Procopius Cæſarienſis.
Ptolomæus Lucenſis.
Radul.
Raicshny.
Rattkay.
Raynaldus.
Recueil des Chartes.
Ritter in MS. Serbiia illuſtrata.
Romualdi Chronicon.
Sagredo.
Schelſtrate Emanuel.
Scylizes Joannes.
Sextus Ruffus.
Sicardus Cremonenſis Epiſcopus.
Siglerus.
Simocata.
Sozomenus.
Spanduginus.
Spicilegii Boſnenſis Author.
Spondanus.
Strabo.
Stredovſzki Joan. Georgius.
Szegedi Joannes.
Tacitus.
Tageno Decanus Patavienſis.
Theodoretus.
Theophilactus.
Thomas Archidiaconus Salomitanus.
Thomaſinus Ludovicus.
Thuroczius.
Timon Samuel.
Tomco Joannes.
Vadingus.
Vechetius.
Verantius.
Villanus Joannes.
Vindekius.
Viridarii Seraphici Author.
Vitriacus Jacobus.
Volateranus.

INDEX II.

Perſonarum, Gentium, Provinciarum, Urbium, Caſtrorum, Fluviorum, Montium, Locorum, ac Rerum hoc opere contentorum, ordine alphabetico adornatus.

Abares, Abari. 3, 5, 7, 13, 14, 16, ad 37.
Abasgia. 41, 110.
Ablavius. 42.
Acarnani. 270, 297, 299
Achaja. 42, 43, 48, 338.
Acheloum. 89.
Acholius. 44.
Achrida. 60, 68, ad 72, 73, 80, 116, 187, 188, 224, 266, 427.
Achris. 112.
Acoenes. 43.
Achontius. 381.
Acræ. 42.
Adria. 220, 256.
Adrianopolis. 147, 342, 343, 347, 348.
Adrii montes. 373.
Aegæum mare. 270, 361.
Aegiſſus. 42.
Aegidius Gradenſis Patriar. 237, 239, 241, 249.
Aethicus. 5.

Aetholia. 270, 296, 299.
Africa. 52.
Agapetus. 45.
Agatho. 60, 79, 80.
Agyrus. 131.
Ajo. 23.
Alagobotur. 87.
Alani. 4.
Alania. 41, 110.
Alauni. 5.
Alba Chrobatia. 17, 373.
Alba Serblia. 17, 21.
Albani. 3.
Albania. 3, 203, 212, 232, 236, 245, ad 248, 256, 270, 312, 324, 364, 365, 370, 437.
Albertus H. R. 328, 332, 344, ad 348, 393, 399, 416.
Albertus II. Goritiæ Com. 255.
Albigenſes. 159.
Albis. 6.
Albunum. 16, 32.
Alexander II. P. 120, 125, 138, 169, 376, 424, 425.
Alexander III. P. 145, 157, 378.
Alexander V. P. 360.
Alexander Bulg. Imp. 266, 267, 270, 298, ad 300.
Alexander Susmani fil. 339.
Alexander Valachiæ Princ. 316, 317.
Alexandria. 433.
Alexius III. I. 150, ad 159, 210.
Alexius IV. I. 157.
Alexius Contoſtephanus. 141.
Alexius Ducas. 154.
Alexius Emmanuelis fil. 145.
Alexius nobilis Albanenſis. 369.
Alibaſa. 331.
Allemania. 142.
Almiſani. 120.
Almiris. 42.
Alpa. 350.
Alze-Kiſar. 343, 247.
Amadeus Sabaudus. 308.
Amalphia. 132.
Amurates I. Orchanis fil. 216, 299, 304, 314, 320, ad 324, 329, 330, ad 333.
Amurates II. Bajazetes Mahometis fil. 333, 341, ad 343, 347, ad 351, 355, ad 361, 366, 370, 393, 403, 416.
Amurius Smyrnæ Princ. 271.
Anaſtaſia, quæ prius Eudocia fuit. 153.
Anaſtaſius P. 10, 44, 303.
Anatolia. 235, 330.
Ancha, Alexandri Bul. I. fil. 304, 317.
Anchialum. 300.
Ancona. 367.
Andreas de Cracovia Sereti E. 319.
Andreas de Peruſio O. S. F. 312.
Andreas Fundator Epiſcop. Conſtantin. 110.
Andreas Gualdus Spalati A. E. 395.
Andreas Lucheſe A. E. 369.
Andreas Miroslavi fil. 152.
Andreas Muſacius. 247.
Andreas Raguſæus A. E. 376.
Andreas II. H. R. Belæ III. fil. 375, 377, 381, 383.
Andreas III. H. R. 253, ad 255, 288.
Andreas Vukaſini fil. 324, 389.
Andronicus Comnenis. 145.
Andronicus II. G. I. 202, 221, ad 232, 235, ad 237, 241, 246, 250, 265, 266.
Andronicus III. G. I. 250, 270, 271.
Andronicus Junior G. I. 266.
Angelina Maria Steph. Cœci fil. 370, 371, 439.
Angelin Somonis fil. 302.
Angilbertus Baſſenſis. 371.
Anna Belæ IV. H. R. fil. 201, 210, 228.
Anna Culini Bol. B. fil. 147, 149.
Anna Franciæ R. fil. 4.
Anna Mich. Palæologi I. fil. 126.
Annonymi 4. Tyranni. 9, 13.
Anta. 4, 5.
Antibaris. 18, 112, 103, 125, 128, 135, 138, 214, 232, 348, 361.
Antina. 4.
Antiochia. 131.
Antonius Bol. E. 385.
Antonius de Spalato. 318.
Antonius Duracenſis A. E. 276.
Antonius Troilus. 354.
Antonius Uſi[illegible]æ deſignatus E. 406.
Apoſtolus Zenus. 192.
Appiaria. 42.
Apulia. 89, 112, 132, 256, 369.
Aquisgranum. 398.
Aradi. 346.
Aragonia. 398.
Arak. 346.
Aranyag. 346.
Arba. 58.
Arbanaſſy. 3.
Arcadius. 43.
Arculith. 346.
Argos. 324.
Arianita Comnen. 370.
Arianitarum familia. 358.
Armenia. 111, 159.
Armeni. 364.
Arſenius. A. E. 162, 428.
Arſenius Authorianus. 182.
Arſenius Hier. Patriar. 181, 183.
S. Arſenius Pechiæ A. E. 182, 184, 190.
Arſenius IV. Serbliæ Patriar. 188.
Artaniſius O. S. F. 239.
Aſan. 70, 71, 146.
Aſanus Calo Petri frat. 146, 189, 227.
Aſia. 3, 159, 329, 339.
Aſpalatum. 58.
Aſſemanus. 8.
Aſſiſium. 310.
Aſſuri. 55.
Aſzony-Falva. 346.
S. Athanaſius. 422.

Athenæ. 65.
Atho mons. 153, 181, 182, 274, 321, 326, 368, 439.
Attila. 3. Aulo. 370.
Aurana. 393.
Auſtriaca Domus. 215, 216.
Avari. 3.
Avennio. 247, 248, 260, 261, 275, 278, 281, 283, 285.
Axiopolis. 42.
Axius fluv. 263, 296.
Azymus. 112, 113.

B.

Bach. 346.
Bachinus, Zupanus. 137, 141.
Baczalchida. 346.
Bagibariæ. 17.
Bajazetes I. T. I. 327, 331, ad 342, 360.
Bailus. 180.
Bajnaluka. 373.
Balduinus. 180, 214.
Balſa Serviæ Princ. 302, 312, 313, 325, 326, 339.
Balſamon. 41.
Banatus Temeſienſis 188.
Banysko. 229.
Baoſus Zentæ Princ. 328.
Baptiſmus Bogomilorum. 160.
Baptiſmus Chrobatorum, 22, ad 26.
Baptiſmus I. Serblorum. 7, 22, ad 25, 29.
Baptiſmus II. Serblorum. 28, ad 30, 53, ad 58.
Barbana fluv. 9.
Barbara Herm. Celejæ Com. fil. 399.
Barbara Sigism. H. R. Conj. 343.
Bardarius. 224.
Barium. 58, 59, 256.
Barletus. 361.
Bartholomæus Tragurienſis E. 276, ad 279, 282, ad 287.
Baſilius I. G. I. 27, 28, 29, 35, 39, 49, 52, ad 66, 72, ad 84.
Baſilius II. G. I. 108. 111, 195.
Baſilius Armenus. 159.
Baſilius Svaci. E. 169.
Baſilius Theſſalonicenſis. A. E. 115, 117.
Baſſiana. 45.
Batopedum. 153, 179.
Beatrix Aragonia Matth. H. R. Conj. 368, 370, 417.
Becla. 58.
Betskereke. 346.
Betze. 346.
Bela Cœcus II. H. R. 137, 140, 141, 156, 374.
Bela III. H. R. 145, 152, 156, 375, ad 377.
Bela IV. H. R. 200, 201, 210, 384, 386, 387.
Bela Belæ IV. H. R. fil. Boſnæ &c. D. 375, 387.
Bela Machoviæ D. 221.
Bela Terbuniæ Zup. 58, 90.
Bela Uros Liubomiri fil. 3, 4, 139, ad 141, 156.
Belcanus. 131, 134.
Belgradum 18, 79, 145, 148, 154, 155, 185, 196, 197, 219, 272, 296, 328, 340, 344, 345, 348, 356, 357, 372.
Belitza. 73, 145.
Belizarius. 45.
Belizius. 37, 38.
Beloſis Uroſii fil. 137, 140, 141.
Belus. 90.
Benedictus Abbas. 11.
Benedictus Colocenſis A. E. 376, 386.
Benedictus IX. Papa. 124, 125.
Benedictus X. P. 215, 232, 234, 235, 249, 430, 431, 438.
Benedictus XI. P. 390.
Beneventum. 23.
Benopia. 43.
Bernardus de Partna Can. 259.
Bernardus Raguſinus A. E. 373, 379.
Bertrandus Brunduſinus A. E. 259.
Berulia. 19.
Bihor. 356.
Bindin. 311.
Biocſiza. fl 143.
Biſtriza. fl 256, 269.
Blachia. 70.
Bladislaus Dioclix Can. 247.
Blancha Tarentini Princ. fil. 261, 264.
Blandona. 23.
Blaſtimeres. 39, 58, 82, 83, 84, 85, 91, ad 102.
Blaſtimeru. 35, 39, 83, 90, ad 91.
Bobalus Raguſæorum D. & Can. 377, 390.
Bobovaz. 373, 413.
Bodinus Burg. I. 99, 130, ad 138, 374.
Bodog-Aſſony-Faiva. 346.
Bogdan. 302, 316, 321.
Bogdani Scopienſis A. E. 263.
Bogomilorum Hæreſis. 158, 159.
Boguslaus Cracoviæ &c. D. 221.
Bohorna. 346.
Boihna Cæſar. 300.
Boiki. 17, 21.
Boiſeſtlabus. 35, 38, 39.
Boislavus majoris Poloniæ D. 221.
Boleslavus. 89, 95, 97.
Bonifacius V. P. 44, 45, 48.
Bonifacius VIII. P. 231, 232, 438.
Bonifacius IX. P. 313, 360.
Bonifacius Palæologus montis Ferrati Marchio. 370.
Borch. 348.
Borena. 83.
Borila. 154.
Borizius Boſ. B 374.
Borna. 37.
Boryzes. 69, 73, 74, 75, 83, 85.
Boſidarius Judex Generalis. 278.

Bosna fluv. 373.
Bosna Prov. 19, 29, 32, 33, 141, 145, 158, 161, 171, 373, ad 376, 383, &c.
Bosna Urbs. 383, 384, 385, 392.
Bosonia. 54, 66, 121.
Bosphorus Thracicus. 349, 353.
Brajco. 297.
Brajcus Branivoi fil. 389.
Brajda Lazari S. Com. fil. 315.
Brancus Braniovi fil. 389.
Branichevo. 185, 219, 342.
Branimirus. 61.
Branislaus Radoslavi fil. 134, 135, 136.
Braniſoba. 145. 148, 154, 173, 175, 185, 374.
Branivous. 389.
Branko Mla[illegible]ni fil. 302.
Branko Rallisaglich. 297.
Brantius Meagienovich. 297.
Branus. 84, 86.
Braſevo. 343.
Bratko Com. 297.
Brazes. 19.
Brebera. 32.
Brengarius. 433.
Brenum. 144.
Bruſius II.
Brusnum. 99.
Buda. 309. 341, 358, 397, 417.
Budimirus S. R. 26, ad 36, 40, 56, 91, 102, 122.
Budimnic. 184.
Budua Batua. 9, 52, 122, 145, 169, 340, 349.
Buga. 17.
Bulgari. 1, 4, 13, 25, 27, 31, 39, 40, 46, 47, 48, 49, 50, 51, 52, 56, 62, 84, 111.
Bulgaria. 18, 25, 35, 40, 43, 49, 50, 51, 55, 60, 62, 68, 71, 84, 111, 112, 118, 173, 256. 270, 309, 364.
Buna. 18.
Bu Raſſum. 185.
Burgundia. 336.
Burgundiones. 6, 360.
Butumlia. 185.
Buzebuze Princ. 93.
Bythinia. 353.
Byzantium. 42, 110.

C.

Cæraunii montes. 5.
Caganus. 14.
Cala 3.
Calabri. 3.
Calliſtus Conſtantin. Patriar. 290, 300, 326, 437.
Calliſtus III P. 361, 365, ad 367, 407, 416, 438.
Callatis. 42.
Callevitus Sophiæ Metrop. 371.
Callimanus. 201.
Callinicius Conſtan. Patriar. 147, 153, 188, 189.
Callipolis. 331, 349, 353.
Calo Joannes Bulg. I. 68, 69, 70, ad 140, 154, 173, ad 175, 288, 427.
Calo Petrus. 147.
Calyptra. 327.
Canalis. 18, 53, 66, 326.
Canalitæ. 7, 18, 39, 40, 58.
Canitia. 73.
Canina. 73.
Cantacuzenus. 272.
Capadocia. 111, 348.
Capidava. 42.
S. Capiſtranus. 356.
Capitulum Budenſe. 345.
Capitulum S. Petri. 383, ad 386.
Cara ſeu niger Michael, melius Gara. 349.
Carafugius L. A. 367.
Caramanus. 347, 349.
Caramirus. 35, 36, 37.
Carlovitzium Karlóváz. 187, 371.
Carolus M. 49, 82.
Carolus Martellus. 128, 253, 288.
Caroſus I. Robertus H. R. 193, 194, 231, 244, ad 249, 253, ad 256, 271, 288, 388, ad 390.
Carolus II. Parvus H. R. 328, 393.
Carolus Siciliæ R. 221, 258.
Carolus Valeſius Vaden. Com. 227, 230, 235, ad 237, 240, 241, 252.
Carſus. 42.
Caſſinus mons. 11.
Caſtoria. 296, 324.
Caſtra martis. 43.
Caſtriotus Scanderbegi avus. 330.
Catara, Catarum. 19, 53, 135, 136, 144, 169, 215, 232, 272, 391, 393, 398.
Catellinus. 45.
Catharina Chun László H. R. fil. 218, 222.
Catharina Georgii fil. 243, 351, 363, 369.
Catharina Laur. Ujl ki Conj. 415.
Catharina Radivoji Conj. Radosl. Paulovich Soror. 414.
Catharina Steph. Lini Sor. 389, 399.
Catharina Steph. Thomæ Conj. 412, 418, ad 420.
Catharina Steph. Thomæ fil. 419, ad 421.
Catiguri. 5.
Caucaſus mons. 5.
Cauſa diſſenſionis Græcos inter, & Latinos. 1.
Cauſa diſſenſionis Serblios inter, & Latinos. 2.
Cermenicum. 370.
Cerularius, 158, 169, 376, 389, 395 437, ad 439.
Chalcedonenſis Synodus. 41, 45.
Chaldia. 110.
Chalibes. 347.
Charanza. 346.
Chazaria. 110.
Chelmum. 393.

Chereg. 346.
Cherſon. 110.
Cherſoneſus. 373, 378, 296, 320.
Chetertekhelly. 346.
Chilantarium. 153, 175, 178, ad 181, 368.
Chingrad. 346.
Chlebena. 18.
Chlebiana. 32.
Chlum. 18.
Cholci. 364.
Chraſimirus Raſſiæ Com. 146.
Chremania. 89.
Chrobati. 8, 13, 15, ad 21, 23, 52, ad 61, &c.
Chrobatia. 17, 19, 22, 23, 26 &c. 60, &c.
Chrobatus. 17.
Chryſobulum. 326, 437.
Chryſonicum. 352.
S. Chryſoſtomus. 422.
Chulmia. 82, 85, 143, 152, 157, ad 161, 184, 211, 215, 219, 222, 314, 377, 383, 391.
Ciarnomenum. 320.
Ciaſina. 410.
Ciaslavus Bulg. I. 28, 35, ad 39, 57, 88, 89, 99.
Cidonirus Chrobatiæ B. 94, 374.
Cineites. 339, 341.
Citaba. 116.
Clara Euphemia Alberti II. Goritiæ Com. fil. 255, 304.
Clara Valachiæ Prin. 315, ad 318.
Claudius. 42.
Clemens A. E. 72, ad 80.
Clemens I. P. 87.
Clemens IV. P. 205, 238, 242, 261.
Clemens V. P. 235, ad 245, 261, 430, 433.
Clemens VI. P. 274, 275, 276, 277, 290, 391, 436.
Clemens Soſimorum E. 159.
Cliſſa. 14, 95, 273, 393.
Cliſſania. 247.
Clonimerus. 84, 85, 86.
Clucas. 17.
Cocciapor Radoslavi fil. 134.
Cœleſtinus III. P. 45, 48, 129, 378.
Cognitium. 373.
Colomannus. H. R. 200.
Colomannus Sclavoniæ D. 381, ad 383, 386.
Columbarium. 342, 346.
Columna S. Stephani. 270.
Conizium. Coniz. 392, 404.
Conſtantia. 398.
Conſtantiana. 42.
Conſtantienſe Concil. 398, 401.
Conſtantinopolis. 1, 6, 41, 49, 59, 81, 110, 135, ad 137, 141, 152, 159, 175, 180, 336, 338, 349, 353, 354. &c.
Conſtantinopolitanus Patriar. I, 27, 41, 42, 44. 45, 50, 52, 62, 66, 67, 81, 110, 428, 433.
Conſtantinus Bulg. I. 338.
Conſtantinus Cabaſila A. E. 118.
Conſtantinus Copronimus. 47.
Conſtantinus Deanis fil. 302, 316.
Conſtantinus Beſſæ fil. 140, 142, 161, 378.
Conſtantinus Dragutini fil. 224, 225, 231, 246, 252, ad 254.
Conſtatinus Imp., 353, 354.
Conſtantinus M. I. 9, 42, 139, 354.
Conſtantinus Metrop. 46.
Conſtantinus Monachus G. I. 113, 119, 136.
Conſtantinus Philoſo. 27, ad 29, 55, ad 75.
Conſtantinus Pogonatus. 22, 23, 31, 46, 47.
Conſtantinus Porphyrogenitus Imp. 5, 6, 7, 13, 14, 18, 55, 101, 108, 195, 202.
Conſtantinus VII. Imp. 195.
Conſtantinus VIII. 195.
Conſtantinus Trebinæ E. 169.
Conſtantinus Zarci fil. 321.
Conſtriſius. 117.
Conventus Generalis Regni Boſnæ. 404.
Converſio Serblorum. 2.
Coprian. 338.
Corcyra. 368.
Corinthus. 65.
Coronatio Bulg. R. 68.
Coſenzus. 17.
Coſſanitza. 147.
Coſſara. 99.
Coſſovo Campus. 328, 331, ad 334, 351, 393, 408, 409.
Coſtraz. 146.
Cotanitza Dux. 202, 228.
Cotriguri. 5.
Cotzilin. 37.
Cozir - Hizir. 350.
Crajnan. 91.
Crales. 227, ad 228, 250, 258, 327.
Crapalus S. R. 196, 198.
Cratovo argenti mineræ. 334.
Creanum. 109, 423.
Creſſimirus I. 35, ad 37, 39, 98, 374.
Creſſimirus II. Vukomiri frater. 374.
Creſſimirus III. 79.
Creta. 42, 43, 111.
Criſienſis Cottus. 193.
Crucra. 19.
Cruſedol. 187.
Cruſevaz. 338, 341, 343, 356.
Cſedomilus Belæ Uros fil. E. 4. 139.
Cubratus. 14, 15.
Culſum. 256.
Culinus Boſ. B. 142, 149, 161, 169, 171, 374, ad 382, 397.
Cumani. 250.
Cumanus Dyrrachii Præf. 134.
Cunavia. 232.

Cuſtodes Sepulchri S. Sabæ. 393.
Cyclades. 111.
Cyprianus. 205, 206.
Cyprus. 74, 111, 112, 188, 308
Cyrillicus. 215.
S. Cyrillus A. E. 2, 422.
S. Cyrillus. 2, 27, 30, 59, 66. 103, 421, ad 426.
Cyrillus Sorbiæ E. 169.
Czár Stephan. S. R., & I. 269.

D.

Dabarz. 220.
Dabizia Bol. Rex Nismolai nothus. 375, 392, 394, ad 396.
Dabra. 184.
Dabralis A. E. 123.
Dacia. 9, 13, 14, 40, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 66, 82, 111, 427.
Dagobertus. 21.
Dalen. 18.
Dalmatæ. 14, 15, 16, 42, 58, 59, 60, 61, &c.
Dalmatia. 7, 8, 10, 12, 13, 15, 22, 23, 31, 32, 33, 37, 39, 40, 42, 43, 58, 60, 111, 151, 161, 165, 203, 296, 322, 373.
Damaſus P. 44, 48.
Damianus A. E. 74, 75, 80.
Damianus de Catara. 278.
Dania 360.
Daniel E. 379.
Daniel Farlati. 8.
Daniſa Steph. Lini ſoror. 389.
Danubius. 6, 8, 13, 14, 18, 79, 111, 146, 148, 156, 256, 306, 341, 348, ad 352, 368, 371, 427.
Dardania 42, 43, 45, 46, 47, 48, 51, 65, 82, 111.
David A. E. 80.
Dean. 302. 316.
Dean Altomanovich Seru. Præf. 409.
Decanus Sebaſtocrator S. 283.
Decatera. 18, 52.
Decatera Deniſlani fil. 256.
Dechan. 256, 263, 267, 268.
Dechema. 223.
Decreta Synodi Spalatenſis. 106.
Delmis. 28, 32.
Delmitana Synodus. 25, 28, ad 34, 40, 46, 54, 376.
Demegous. 60.
S. Demetrius. 220, 226.
Demetrius. 230.
Demetrius Comatenus A. E. 117, 118.
Demetrius Stephani fil. 154.
Demetrius Suinimirus Chrob. Dalm. Rex. 128.
Demetrius Vukazini fil. 225.
Dendra. 142.
Deruanus. 21.
Desnez. 19, 53.
Deſpen a Lazari fil. 327.
Deſſa Uroſy fil. 136, 137, 140, 142, 148, 156, 157, 170, 374.
Deſsa prioris frater junior. 137, 142.
Deſtenicum. 19. 53.
Diacenſes EE. 385.
Diako, Diakovi, Diakovár. 383, 384, 386.
Diadora, 58.
Diampolis. 273, 296.
Diana Illyrica. 389.
Didymotichum. 348.
Diocleates Presbyter. 8, 9, 10, 11, 53, 54, 56. &c.
Diocletani. 30, 40, 41, &c.
Diocletanus E. 25. 46.
Diocletia. 52, 185.
Dioclia. 9, 18, 26, 29, 32, 33, 40, 46, 53, 66, 82, 87, 93, 102, 105, 112, 123, ad 126, 138, 145 151, 154, 165, 168, 170, 186, 256, 426.
Dionyſiopolis. 42.
Diræ in violantem particulam S. Crucis. 16. 2
Dircislaus Chrobatiæ R. 95.
Dobarum. 152.
Dobor. 373, 393, 394, 397.
Dobrinze. 219.
Dobriſich. 18.
Dobrivous Branivoi fil. 389.
Dobroslaus Dragomiri fil. 99, 119, 124.
Dobroslaus I. Radoslavi fil, 134, ad 136.
Dobruſus. 148.
Dogma. 2.
Dogmata Bogomillorum. 160.
Dominica. 84.
Dominicus Brunduſinus. 71.
Dominicus Suacienſis. E. 168.
Doration. 43.
Doroſtolus. 42. 75.
Dorothea Straſimiri fil. 315, 393.
Dracseviza. 326, 393.
Draga Stephani Lini fil. 391.
Dragaſes. 316, 321.
Dragillus Branislavi fil. S. R. 134, 135, 140.
Dragimirus. 98, 99.
Dragina Branislavi fil. S. R. 135, 138, ad 140, 423.
Dragina Junior. 135, 136.
Dragisa Deanis fil. 203.
Dragislavus. 89, 96.
Dragutinus Stephani S. R. fil. 197, 199, 201, 208, 212, 219, ad 226, 230, 253, 429, 438.
Drasech. 197, 211, 215, 216, 219.
Dravus, 193, 385.
Dresnec. 19, 53.
Drilo. 9, 33.
Drinus fl. 33, 194, 219, 314, 343, 373, 392.
Driſta 75.
Drivaſtum. 232.

Drukovina. 145.
Dubranitza. 329.
Duca Simonis fil. 302.
Du Fresne 9.
Dulcinium. 122, 145, 232, 340.
Duravium. 232.
Dusian Steph. Cæci fil. 263.
Dusmanus Steph. Cæci fil. 255, 268.
Dyrrachium. 7, 9, 18, 32, 85, 99, 132, 135, ad 141, ad 145, 150, 313, 370.

E.

Ebbretus. 42.
Eccatera 121.
Echehida. 348.
Egra. 145, 156.
Elaesa Steph. Cæci fil. 268.
Eles. 148.
Elias E. Raguſinus. 276.
Eliſabetha Andreæ III. H. R. fil. 253.
Eliſabetha Beatricis H. R. & Sorore neptis 370.
Eliſabetha Georgii Deſp. fil. 351.
Eliſabetha Georgii Deſp. neptis 351.
Eliſabetha Ladislai H. R. Mater. 222, 225.
Eliſabetha Militini Uxor. 227, 236, 253, 389.
Eliſabetha Pauli Boſ. B. fil. 273.
Eliſabetha Steph. Lini fil., & Ludov. R. H. Conj. 391.
Eliſabetha Steph. Lini Conj. 389, 391.
Eliſabetha Steph. V. H. R. fil. 222, 253.
Eliſabetha Steph. V. H. R. Conj. 375, 387.
Eliſabetha Voisavi fil. 303.
Eliſabetha Vulaici fil. 317, 369.
Eliſus. 18.
Emanuel. G. I. 135, ad 137, 141, 143 145.
Emanuel alter P. I. 335, 341 360.
Emericus H. R. 154, 172, 173, 174, 288, 375, 379 380.
Emericus Zapolya Guber. Boſ. 414.
Emota, 32.
Ephaita. 369.
Ephrem Pechien. Patriarcha. 326.
Epidamnum 12.
S. Epiphanius. 422.
Epyrotæ. 3.
Epirus. 13, 42, 43, 48, 50, 73, 79, 270, 364.
Erquery. 236.
Euboea. 111, 270.
Edocia Alexii III. fil. 150, ad 155, 172, 191, 210.
Eudocia Andronici II. Soror. 221, 223, 227.
Eugenia in Monachatu prius Miliza. 336.
Eugenius Oſtienſis Ep. 65.
Eugenius IV. P. 345, 360, ad 364, 370, 385, 401, 402, 406, 409, 437.
Eugenius Summa Nuncius, & Commiſſ. Apoſt. 403.
Europa. 4, 37, 24. &c.
Euſtachius Patriar. 108.
Euxinum. 335.
Ezboclia. 87

F.

Fabianus Ord. Min. 398
Farlati. 10, 22, 23, 30, &c.
Faſsio Georgii Deſp. 345.
Felix P. 48.
Ferdinandus I. I., & H. R. 416.
Ferdinandus Frangipanus. 372.
Ferisbegus. 334, 352.
Ferraria. 236, 241, 360.
Fertoni. 216.
Filioque. 54, 102, 115, 117, 242.
Flandria. 336.
S. Flavianus. 422.
Florentia. 360. 363, 402, 406.
Florentinum Concilium. 360, 402, 422, 437.
Foniza. 373
Formoſus Ep. 49.
Formoſus P. 81.
Forum Julii. 295.
Foſſno. 145, 153, 175, 184.
Franci. 1, 17, 20, 26, 31, 37, 38, 40, 49, 51, 75.
Francia. 4, 24, 25, 26, 31.
Franciſcus de Ordelaffis. 295.
Franciſcus de Salamone. 230.
Franciſcus Toledo. 354.
Franuta. 267.
Fridericus I. 368, 393.
Fridericus I. Barboza Occid. I. 149, 248, 249 355.
Fridericus I. Franciæ R. 148, 151, 186.
Fridericus VI. Franciæ R. 147, 148.
Functius. 63.

G.

Gabriel Bul. R. 69. 71. 99.
Gabriel. E. 62., 78.
Galatina. 368. Galgotzium. 416.
Galindæ. 4.
Galli. 360.
Gallia. 3, 159.
Galza. 346.
Gandari. 5.
Gandaridæ. 5.
Ganges. 4, 5.
Garafalva. 346.
Gatkovo. 145.
Gaudius Spalatenſis. A. E. 376.
Gaycus S. Logotheta. 283.

Gazari. 56, 244.
Gebizo. L. A. 128.
Gejza, II. H. R. 137, 140, 141, 157, 374.
Gelazius I. P. 10.
Gelumanie. 18.
Gentilis Card. 244, 288.
Genuenſes. 360.
Genulatus. 11.
Georgius Balza. 324, ad 327, 335.
Georgius Bodini fil. 134. ad 137, 140, 141.
Georgius Brankovich. S. Deſp., & R. 333, ad 370, 416.
Georgius Bulg. I. 211, ad 214, 429,
Georgius Cantacuzenus. 357.
Georgius Cyprius. 353.
Georgius Deſpota. 216, 218, 437, 438.
Georgius Scutari. E. 169.
Georgius II. A. E. 60, 61, 79.
Georgius S. Logotheta. 283.
Georgius S. Princ. 312, 313, 324.
Georgius Stephani Cæci fil. 370, 371, 372, 439.
Georgius Urici Cælejæ Com. fil. 369.
Gerardus O. M. Gener. Miniſter. 389, 390.
Gergurevich. 368.
Germani. 37.
Germania. 6. 20, 43, 360.
Germanus A. E. 75.
Germanus Capuenſis. 11.
Germe. 43.
Gervaſius Conſtant. Patriar. 180, 186.
Geucia. 313.
Giakova. 263.
Giurgjevi Stupovi. 219, 226.
Glabositza. 145.
Glarenza. 350.
Glasintzi. 405.
Gochia. 364.
Gojko, Ceonich. 299, 316, 319, 320.
Gomikus. 83, 84, 90.
Goislavus Radoslavi fil. 134, 140.
Golumbaz. 341, 342.
Gorasdus E. 75, ad 79.
Gorinchina. 266.
Goſſilinus. 37.
Gothi. 8, 12.
Gothia 4, 110.
Gothici 5. Reges. 10.
Grahanicza. 184, 336.
Gradacz. 214.
Gradate. 18.
Gradislavus Radoslavi. fil. 134.
Græcia. 6. 66, 111.
Græcorum Shisma. 170.
Gratiana. 43.
Grauoſa. 89.
Gregorius Brankovich Vuki fil. 335, 336.
Gregorius Cæſar. 297.
Gregorius Chiriacus. 394
Gregorius de Cataro. 249.
Gregorius E. 104.
Gregorius II. A. E. Spalatenſis 60.
Gregorius Galubia. 270, 275.
Gregorius Georgii Deſp. fil. 345, 348, 358, 359, 363, ad 370.
Gregorius I. P. 46, 432.
Gregorius II. P. 47, 106.
Gregorius III. P. 128.
Gregorius VII. P. 126, 128, 129, 367.
Gregorius IX. P. 382, ad 384, 386.
Gregorius XI. P. 314, ad 318, 321, 323, 360.
Gregorius XII. P. 360.
Grimoaldus E. 50, 55.
Grubesa Branislavi fil. 134, 138, 140.
Grubesa Draginæ ſenior fil. 135, 136,
Guger Zinlik. 342.
Guilbus de Catara. 283.
Guilielmus Bleniſte. 146.
Guilielmus Comes. 146.
Guilielmus de Perche. 236.
Guilielmus Siciliæ Prin. 145.
Guzecha. 32.

H.

Hadrianopolis. 320, 355.
Hadrianus I. P. 47, 48.
Hadrianus II. P. 49, 51, 52, 57, 61, 78, 103, 261, 425.
Hadrianus, IV. P. 115.
Hadriaticum. 110.
Haemus Mons. 42.
Haimus Boſ. E. 386.
Halicia Ruſſiæ. 201.
Hartenok. 5.
Hebrus fl. 270.
Hedvigis Mariæ Reginæ Sor. 394
Helcinium. 18.
Helena Alexandri Bulg. I. Sor. 270, 274, 281, 298, ad 300, 303, 305, 319, 320.
Helena Beloſii Sor. Belæ Vros fil. 137, 141, 375.
Helena Cantacuſena Georgii Deſp. Conjux. 357, 358, 365.
Helena Dabisiæ Conjux. 394.
Helena Fracorum Regis fil. 197, ad 199, 203, 205, 208, ad 216, 226, 228, ad 234, 391 429.
Helena Lazari fil. 327, 328.
Helena Palæologa Lazari Conjux 358, 359, 363, ad 367.
Helena S. Regina. 195.
Helena Stephani Jaksich fil. 372.
Helena Vulaici fil. 303, 317.
Helleſpontum. 296, 360.
Hemericus H. R. 71.

Hemnecus 87.
Henoticus. 354.
Henricus Bavariæ D. 221.
Henricus Carinthiæ D. 249.
Henricus Dandulus. 155, 178, 210.
Henricus III. I. 367.
Henricus IV. Goritiæ Com. 369.
Heraclius I. Imp. 7, 8, 13, ad 26, 52, 53, 66.
Hertzeg S. Sabæ. 404.
Hermanus II. Celejæ Com. 344, 369, 399.
Herpin Ludovici frat. 236.
Heruoja. 394, ad 398.
Herzegovina Ducatus. 393, 408.
Hierocles. 41, 42, 43, 45.
Hyeroſolyma. 146.
Hilarius. 48.
Hlievnum. 319.
Honorius I. A. 29, 43, ad 45, 424.
Honorius III. P. 176, ad 183, 195, 381, 428, 430, 434.
Hormisda P. 48.
Hormum. 18.
Hoſpitalaris S. Ioannis 360.
Hugrinus Colocenſis. A. E. 376, 381, 386.
Humbertus Cardinalis. 113.
Hungari. 35, ad 37, 92, 143, ad 348. &c.
Hungaria. 119, 137, 171, 173, 193, 203, 216, 225, 230, 306, 307, 322, 360, &c.
Huniades Ioannes. 351, 352, ad 357. 408.
Hunni. 3, 5, 37, 82.
Hunnogundi. 14.
Hunnorum ſucceſſio in terras Sclavorum. 25.
Huſſi Hæreſis. 398.
Hvalimirus S. R. 89, 95, ad 98, 108.

I

Iablanovich Boſ. R. 393.
Iacobus Card. Papienſis. 418
Iacobus Contareno. 354.
Iacobus Picenus. 385, 400, 401.
Iadera, Iadra. 79, 295, 391, 397,
Iagnievo. 263.
Iaicze. 373, 400, 405, 412, 413.
Iancul Ferisbegus. 356.
Iaquinta. 131, 134.
Iarvan. 3.
Iaſſak. 231, 299.
Iazyges. 78.
Ibar fl. 91, 100, 147.
Iberi. 364.
Iberia. 41.
Iconoclaſtæ. 47, 52, 55.
Iconoclaſtarum Hæreſis. 1, 47, 52.
Iconomachi. 47, 49.
Idaum. 43.
Ieliza Niſſenſis. 149.
Ieliza nobil. Boſnens. Tvarki Conj. 393.
Iellah. 219, 223, 335.
Ieremias. 342.
Ierico 73.
Ieſſovo. 369.
Igidbegus. 334.
S. Ignatius Conſtant. Patriar. 1, 2, 50, 51, 52, 54, 55, 66, 78, 79, 421, 422, 424, 426.
Ikakus Turcarum D. 398.
Illokinum. 356, 415.
Illyricum. 6, 19, 26, 27, 32, 40, 42, ad 45, 47, 48, 49, 51, 55, 61, 110, 364.
Illyrii. 363.
Imaus. 4.
Imota. 273, 392.
India. 4.
Innocentius I. P. 44, 48.
Innocentius III. P. 68, 69, ad 71 154, 157, 160. ad 174, 288 375, 379, 380, 428.
Innocentius IV. P. 202, 376, 386,
Innocentius VI. P. 274, 277, 281, 283, 288, ad 295, 304, ad 308, 436, ad 438.
Innocentius VII. P. 360.
Inſcriptio Cyrillica. 215.
Interregnum. 57.
Ioannes Aenus. 75.
Ioannes Albenſis E. 174.
Ioannes Anconitanus E. 104.
Ioannes Apocriſiarius. 29.
Ioannes A. E. 46, 75, 80.
Ioannes Aſſanes Bulg. I. 155, 196.
Ioannes Auranæ Prior. 348, 393.
Ioannes Bapt. Scalabrinus. 198.
Ioannes Batazes G. I. 180, ad 182.
Ioannes Bladislavus. 69, 71, 80, 89, 99, 124.
Ioannes Boriſzlò. 372.
Ioannes Boſanchich. 331.
Ioannes Cantacuzenus. G. I. 270, 273, 297, 300, 304, 307, 308, 327, 328.
Ioannes Capellanus. 70.
Ioannes Capiſtranus. 356, 362, 363 416, 418.
Ioannes Carvajallo Card. L. A. 365. 402, 408, 417, 438.
Ioannes Caſtrioti Scanderbegi fil. 368.
Ioannes Columna Card. 181.
Ioannes Comnenus A. E. 73, 159,
Ioannes Comnenus Lazorum R. 227
Ioannes Comnenus G. I. 73, 334, 340,
Ioannes Covachich Vajvoda. 405.
Ioannes Cumanus Boſ. E. 383.
Ioannes de Caſæmano L. A. 164, ad 170, 379, ad 381.

Ioannes de Grez. 236.
Ioannes de Montlin. 236.
Ioannes de Rheno. O. F. M. 312.
Ioannes de Scepuſio Transylv. Vojvoda. 416.
Ioannes Deſp. Steph. Cæci fil. 370, 371, 372, 439.
Ioannes Dioclienſis. A. E. 168.
Ioannes Duclini Catari E. 169.
Ioannes XII. Conſtant. Patriar. 228.
Ioannes Dux. 107, 199, 200.
Ioannes Forminus A. E. 104, 105.
Ioannes Frakvorum. R. 273, 276.
Ioannes Germanus Machinarum Structor. 354.
Ioannes Gondola. 341.
Ioannes Gradenicus D. Venet. 304.
Ioannes Gregorii Cæci fil. 368.
Ioannes Gurtlielmus de Manfredis. 295.
Ioannes Henrici IV. Goritiæ Com. fil. 369.
Ioannes Hervoja. 396, 398.
Ioannes Horváth Chrobatiæ. B. 393.
Ioannes Hunyades 349, ad 357, 361, 416.
Ioannes Juſtinianus. 46, 354.
Ioannes Lacupenus. A. E. 75.
Ioannes Machvæ Metrop. 405.
Ioannes Marnavicius. 399. 402.
Ioannes Maroth Machvæ B. 338.
Ioannes Michaelis Bulg. I. fil. 265, 266.
Ioannes Olearius. 406.
Ioannes O. S. B. 157.
Ioannes O. S. D. 259.
Ioannes Palæologus. 270, 273, 297, 300, 308, 309, 315, 316, 320, 323.
Ioannes Palæologus. VI. G. I. 236, 362, 437.
Ioannes Panhyperſebaſtus. 265.
Ioannes Polatinenſis. E. 168.
Ioannes Pozza. 254.
Ioannes IV. P. 22, 23, 24.
Ioannes VII. P. 347, 359.
Ioannes VIII. P. 52, 60, ad 65, 74, 80, 103, 425.
Ioannes X. P. 26, 81, 101, ad 107, 425.
Ioannes XI. P. 108, 433.
Ioannes XXII. P. 224, 231, 245, ad 248, 252, 257, ad 261, 389, 390, 435.
Ioannes XXIII. P. 360.
Ioannes Rauenatenſis A. E. 22, 23.
Ioannes Sebaſtocrator 227.
Ioannes Skatich Vajvoda. 409.
Ioannes Theſſaliæ. Princ. 202.
Ioannes Theutonicus E. ex O. Præd. 383.
Ioannes Trani E. 112.
Ioannes Unclis. S. R. 321, ad 326.
Ioannes Vukaſini fil. 324.
Ioannes Zimiſce. 69, 75, 80, 94, 100, 159.
Ioaniche. A. E., & Patriar. 187, 289, 190, 270, 281, 389, 438.
Ioannina. 299.
Ionium. 270.
Iornandes. 10, 11, 12, 42.
Ioſephus Conſtant. Patriar. 362.
Ioſephus Diaci. E. 385, 401.
Ioſephus Pauli Deſp. fil. 368.
Iosle. 18.
Irene Auguſta. 47, 195, 225, 230, 237, 250.
Irene Lazari Deſp. fil. 359, 368.
Irmes. 346.
Irvanograd. 338.
Iſacbegus. 342, 347, 416.
Iſacius Comnenus. G. I. 115, 143.
Iſacius II. G. I. 145, 152, ad 157.
Iſacus G. I. 342, 343.
Iſaias Hieromonachus. 326.
Iſcum. 43.
Iskra. fl. 338.
Iſter. 12, 13, 111, 270, 296, 356.
Iſtria. 32, 37, ad 40, 111, 295.
Iſtrus. 42.
Italia. 3, 10, 47, 49, 159.
Ithaguri. 5.
Iuras Illych. 267.
Iuſtiniana 45, ad 48, 51, 72.
Iuſtinianus I. G. Imp. 11, 12, 13, 45, 64, 71, 72.
Iuſtinianus. II. G. Imp. 22.
Iuſtinus. G. Imp. 13.
Ivaniſius Draginæ junioris fil. 135, 139, 142, 377.
Ivanopolja. 368.
Iztok. 148.

K.

Kanchulikak. 147.
Karavid. 267.
Katunár. 327.
Kelmekum- 309.
Keve arx. 173.
Klucſium. 413.
Knenus. 87.
Koncha. 369.
Koſſarichi. 327.
Koſſniza. 369.
Kovinum 359.
Krajnanus. 58.
Kralyevze. 219.
Kraſemere Terpimere fil. 25.
Kreſevum. 373, 381, 384.
Kriavaria. 357.
Kribaſa. 32.
Kris-Caganus. 13.
Kruſevaz. 352.
Kruſedol. 371.
Kucheva. 219.
Kupinik. 357, 370 371.
Kyr-Alexius. 135.
Kyr-Helena. 214, 215.
Kyr-Sava. 177. 185.

L.

Labineza. 19.
Labum. 145.
Labus. 33.
Lacapenus Rom. Imp. 74, ad 80, 86. ad 88, 108, 189.
Lacroma. 131, 132.
Laczko Moldavorum. D. 319.
Ladislaus Baſſaradus Vala. Princ. 314, ad 319.
Ladislaus Chiriacus. 394.
Ladislaus de Ujlak. B. 416.
Ladislaus Gara Nicolai fil. 344.
Ladislaus Ioann. Huniadis fil. 351, 357, 369, 417.
Ladislaus More de Chiola. 416.
Ladislaus Neapolitanus Caroli parvi fil. 394, 395, 397.
Ladislaus poſthumus. ſeu Uladislaus. I. H. R. 350, 355, 357, 361, 416.
Ladislaus II. Belae II. fil. H. R. 141, 374.
Ladislaus IV. Chun. H. R. 203, 210, 219, ad 222, 282, 375, 387, 388, 416,
Ladislaus Szilágyi. 357.
Ladislaus Tranſylv. Vajv. 225, 226, 244, 253, 254.
Ladislavus. 37.
Laguſta. 230.
Lala Schachines Muratis D. 330.
Lapus. O. S. D. 239.
Laurentius Bos. E. 384.
Laurentius de Ujlak Nicolai fil. 415, 416, 417.
Laveria. 302.
Lazarus Brankovich. Vuki fil. 335.
Lazarus Georgii Deſp. fil. 345, 348, 350, 358, 359, 363, ad 370.
Lazarus M. Knezius. 354.
Lazarus I. Greblanovich, Com., & S. Deſp. 302, 303, 306, 308, 319, 320, 324, ad 335, 342, ad 344, 392, 437.
Lazarus II. S. Deſp. 324, 328, 333, 337, 344, 438, 439.
Ledianenſis R. 219.
Legeth Cidomiri nothus. 89, 96, 374.
Lentodocla. 18.
Leo Acridanus. 112, ad 119, 423, 425.
Leo Allatius. 78.
Leo Apocriſiarius. 29.
Leo A. E. 75, 80.
Leo Armenus. 47.
Leo Bungus. A. E. 75.
Leo Cardinalis S. Crucis 71, 173, 175.
Leo Chazarus. 47.
Leo Iſaurus. 47, 49, 52.
Leo Preneſtinus. E. 104.
Leo Rabduchus. 85.
Leo Ruthenorum D. 221.
Leo Sapiens. 2, 7, 65, 66, ad 73, 84, 85, 101.
Leo II. P. 45, 47, 48, 108.
Leo IX. P. 113.
Leonardus Auſeris Com. 156.
Leonardus Tocco Cephaloniæ Com. 368.
Leontia A. E. 158.
Leontius Balbiſæ E. 159, 428.
Leſnez. 19, 53.
Levtſe. 145.
Liburnia. 37, 40.
Lica. 32.
Licinius E. 107.
Licinius I. 3, 4, 139.
Liega. 3.
Lim fl. 91, 100.
Liplian. 145.
Lippoa Comit. 322.
Liſſus. 9, 43.
Liturgia. 30, 103, 103, 114.
Ljubomiria. 139.
Ljubomirus Raſſiæ Zup. 135, 139, 140.
Ljutomirus Raſſiæ Zup. 99, 100, 416.
Ljutovid Chelmi Princ. 136, 141.
Lobelius. 17.
Locris. 124.
Logotheta. 270.
Lomniza. 271.
Longobardi. 3. 11.
Longobardia 58.
Lotharius. 38.
Lubeſia Catharinæ, & Steph. Thomaſſevich fil. 414.
Lucabere. 18.
Lucius. 8, 22.
Ludovicus Bavarus. 249.
Ludovicus. Card. 365.
Ludovicus Franc Com. 236.
Ludovicus Francorum R. 414.
Ludovicus Pius 37, 38.
Ludovicus I. H. R. 271, 287, ad 291, 293, 296. 298, 304, ad 317, 322, ad 328, 391, ad 395.
Ludovicus II. H. R. 416.
Ludovicus II. Fr. R. 59, 157.
Luipoldus Auſtriæ D. 249.
Luitprandus L. R. 228.
Luka. 139, 148.
Lupus. *vide* Vukus. 368.

M.

Macarius Achridæ. A. E. 224.
Macedonia. 6, 9, 13, 25. 32, 42, 43, 45, 46, 47, 48, 66, 82, 248, 271, 296, 364.
Macſovia. 200, 201.
Macſva. 210, 219, ad 222, 254, 328, 357, 375, 387, 417.
Madalbertus. E. L. A. 87, 107.
Maeotis. 6, 14.
Magdalena Ladisl. More Conj. 416.

Mahometes I. Bajazetis fil. 333, 335, ad 341.
Mahometes II. 352, ad 361, 367, 368, 369, 385, 393, 407, ad 413, 417, ad 421.
Manichæi. 310, 311, 404, ad 407, 409, ad 412.
Mantua. 409, 411.
Manuel Cantacuzenus. 273.
Manuel G. I. 135, 141, ad 144, 148, 157.
Manuel I. Patriar. 182, 183.
Manuel II. Patriar. 182.
Mara Lazari fil. 327, 328, 333, ad 336, 341.
Maraua fl. 352.
Marcimus S. Metrop. 405.
Marcomir Brankovich, Poduiniæ Vajvoda. 409.
Marcus. 131, 136.
Marcus Alexandriæ Patriar. 433.
Marcus Jaksich. 371.
Marcus Kralyevich Vukasini fil. 324.
Marcus Kukani, 235, 237.
Marcus Scutarensis. E. 276.
Mare Adriaticum. 6, 13, 18.
Mare Balthicum. 6.
Maria Comnena. 157.
Maria Georgii Desp. fil. 343, 347, 352, 358, 368.
Maria Ioannis Desp. fil. 372.
Maria Ioannis Palæologi fil. 315.
Maria Ioannis Panhipetebasti fil. 265.
Maria Lazari Desp. fil 359, 367, 414.
Maria Lazari S. R. fil. 328.
Maria Ludovici I. H. R. fil. 393, 394.
Maria Manuelis fil. 157.
Maria Palæologa Ioan. Cæsaris fil. 255.
Maria Steph. V. H. R. fil 253.
Mariza fl. 320.
Marinus A. D. Antibar. 207, 212, 214.
Marinus A. E. 61.
Marinus, D. 49, 65.
Marinus O. S. B. 157.
Marinus O. S. Fr. 205, 206.
Marinus P. 64, 68, 71, 72, 80. &c.
Marinus Resti. 341.
Marinus Saracca. 199.
Marion. 43.
Marmaen. 86, 87.
Marna. 319.
Marniaua. 319.
Martianopolis 42.
Martinus Abbas. 23, 24, 25.
Martinus Antibaren A. E. 232.
Martinus e Francia 25.
Martinus P. V. 360.
Massiliani. 159.
Mathias H. R. 351 359, 365, 368, ad 370, 410, ad 414, 417, 420.
Maticus Tolacius Com. Kevienſis. 345.
Matis Felda. 219.
Matko Talvejus Sclavoniæ B. 348.
Matrimonia inter Latin., & Serbl. prohibita. 244.
Matthæus Cantacuzeni Ioan. fil. 273, 300, 301.
Matthæus Genadius E. 117.
Matthæus Monachus. 326.
Matthæus Trenchinienſis. 244.
Matthæus Zrieva. 254.
Mauritius. 11, 13.
Maximus Monachus prius Georgius dictus. 371, 439.
Mechilaus Nemanis frater. 146.
Mechinetes Europae Beglerbegus 359, 413.
Medon. 145.
Megyretus. 19, 53.
Meleda, Meleta Imp. 19, 157, 420.
Melfit. 3.
Melfitani. 3.
Melphia 133.
Melunum. 236.
Menidbegus. 416.
Mentulus Mulatius. 247.
Mesembria. 300, 353.
Mesth. 346.
Metanastæ. 78.
S. Methodius. 2, 30, 55, ad 59, 66, 74, ad 78, 80, 103, 105, 421, 424, ad 426.
Methodius Constant. Patriar. 28, 29, 47,
Methodius E. 178, 183, 434.
Michael Amorienſis Baibus. 39, 47, 52.
Michael Angelus 160.
Michael Augustus Imp. 52, 200, 202.
Michael Bodini fil. 134.
Michael Bogor. 49, 67, 69.
Michael Boislavi fil. S. R. 119, 120, 225, ad 134, 136, 138.
Michael Boryzes. 69, 72, 73, 74, 80, 83.
Michael Branivoi. fil. 389.
Michael Brini de Verona. 345.
Michael Bulg. I. 252, 265, ad 267, 63. 270.
Michael Bulg. R. 49, 50, 51, 61, ad 64, 71, 72, 79, 80, 200, 299.
Michael Calcedonis E. 106.
Michael Cerularius. 112, ad 119, 421, ad 424, 430.
Michael Chlumiae D. 93, ad 105, 108.
Michael Davidovich. 325.
Michaei Epyri Princ. 201.
Michael Glaba 202.
Michael Iadrenſis O. S. Fr. 405.
Michael Maximus A. E. 75.
Michael Mechmetis Beglerbegi frat. 359.
Michael Oxita Constant. Patriar. 159.
Michael Palæologus. I. 201, 205, 212, 221, 226, 238, 242, 250, 254, 261, 316.
Michael Steno Sibenici D. 398.
Michael Strazimiri fratr. Bulg. I. 315, 316.
Michael Summa Scopienſis A. E. 264.
Michael Szilagyi 357.

Michael III. I. 29, 30, 48, 52, 54.
Michael Venet. D. 156.
Michael Vladimiri fil. 165.
Macinovich Vajvoda. 409.
Migratio Serblorum Ima 5.
Mirchna Valachiæ Princ. 371.
Milan Toplichanin. 331.
Mileſevum. 182, 183, 196, 197, 391.
Miliza Georg. Deſp. fil. 369.
Miliza Lazari Conj. 302, 327, 328, 332, ad 336.
Miliza Lazari Deſp. fil. 359, 368.
Miliza Vratki fil. 154.
Miliza Vukazini fil. 312, 324, ad 327.
Millieua Lazari fil. 327, 334, 335.
Miloz Kobilich. 327, 331, 332.
Milos Ledenich. 297.
Milutinus Vroſius. II. Steph. fil. 195, ad 201, 208, 214, 215, 218, ad 235, 245, ad 250, 252, ad 257, 261, ad 265, 388, 429, 430, 434, 435, 438.
Mirche Valchiæ Vojvoda. 336, 339.
Mirko Vajvoda. 297.
Miroslavus Bosnæ B. 387.
Miroslavus Deſſæ fil. 140, 142, 161, 378.
Miroslavus Hvalimiri fil. 98.
Miroslauus Steph. Lini frat. 389.
Mislauus 37.
Mitislaus Leonis frat. 221.
Mladinus Boſn. B. 231, 245, 248, 375, 388, 389.
Mlaua fi. 371
Mocriſich. 18.
Mocrus. 18, 19.
Moeſi. 42.
Moeſia. 13, 40, 42, ad 48, 65, 66, 82, 111, 427.
Moldaui. 327.
Moldauia. 316.
Momcilo. 409.
Momcillus Thomanovich Vſſoræ B. 409.
Moneta Regis Sclauoniæ. 192, 193.
Moneta Karuli Regis. 193.
Monopia. 43.
Morabus. fi. 78, 80, 152, 369.
Moraui. 56.
Morauia. 29, 56, 57, 59, 75, 78, 79, 80, 92, 185, 424.
Moraviza. 185.
Moſcouia. 201.
Moſes Bajazatis fil. 333, ad 338.
Moſes Monachus. 326.
Muchlo. 17.
Mundus. 11.
Muntimerus. 83, 84, 85, 90.
Murat Dragoman. 334.
Murat Sultan. 329, ad 331.
Muſtafa. 341.
Muſulmani. 330.
Mygdonia. 302, 316.
Myſia. 25, 32, 42, 45, 47, 385.
Myſus. 343.

N.

Nagy-Szölös. 415.
Naiſſus. 43.
Narentæ. 18, 32, 66, 82, 151, 152.
Narentani. 53, 55, 58, 59, 66, 148.
Narentanorum baptiſmus. 59.
Narentum. 53, 66, 392.
Narona. 392.
Natalis Dulcinenſis E. 168.
Natalis Nonenſis E. 408.
Nationale Concilium Spalati. 103, 104, 137.
Neda Simonidis fil. 224, 252, 255, 265, ad 267.
Neemeſion. 46.
Nelipenſes Croatiæ Comites. 394.
Neman I. Draginæ ſenior fil. 135, 148, 149, 150, 152, 156, 158, 161, 424, 428.
Neman II. 148, 149, 151.
Neman Crapalus. 191.
Nemanes Stepanus. 4.
Nemania Stirps. 4, 138, 139, 156, 190, 421.
Nemaniorum Stemma. 149, 195.
Nerodimie. 299, 303.
Neſtegius. 278.
Neſum. 250.
Neveſina. 152, 392.
Niagul Valachiæ Princ. 371.
Nicæa. 47, 178, ad 183, 191.
Nicephorus Deſp. 300, 301.
Nicephorus Patriar. 14.
Nicetas. 1.
Nicetas Oripha 52.
Nicetas Pectoratus 114.
Nico Monachus. 326.
Nicodemus A. E. 255.
Nicolaus I. P. 29, 48, 49, 55, 56, 57, 67, 72, 242, 425, 431, 432.
Nicolaus III. P. 203.
Nicolaus IV. P. 203, 205, ad 214, 218, 226, 230, 231, 238, 242, 262.
Nicolaus V. P. 361, 406, 407.
Nicolaus ab Ujlak Boſn. R. 414, ad 417, 420.
Nicolaus Altomanovich Valievi Vajv. 405.
Nicolaus Altomanus. 302, 314, 320, 324, 325, 392.
Nicolaus Boſnæ D. 382.
Nicolaus Buchia. 270, 273, 275, 276.
Nicolaus Diaconus. 117.
Nicolaus Firmanus. 288.
Nicolaus Gara Macsvæ B. dein H. Palatinus. 327, 344.
Nicolaus Harſevich. 320.
Nicolaus Iacobus Teſta. 407.
Nicolaus Konth H. Palat. 306.
Micolaus Modruſienſis E. L. A. 413.
Nicolaus Myſticus. 101, 115.
Nicolaus Oſtienſis. L. A. 232.

Nicolaus Prodanelli. 199.
Nicolaus Sibenicenſis. 408.
Nicolaus Strigonienſis A. E. 306.
Nicolaus Zupanus. 296.
Nicopolis. 42, 65, 334, 339, 360, 396.
Nilus Doxopater. 110.
Nina. 32.
Ninoslaus Boſ. B. 375, 387. 394.
Niſſa. 145, ad 152, 156, 219, 329.
Niſtæa. 148. 224.
Nitria. 78.
Noga Tartarorum Chan. 202.
Nona. 32.
Noricum. 43.
Novæ. 42.
Noviodunum. 42.
Novoberdum. 324, 343, 348, 356.
Novum. 273, 392.
Nugrado. 18.
Nyilas. 346.

O.

Obolenum. 135.
Obrad Ceonich. 297.
Ochrida. 296.
Odryſii. 327.
Odyſſus. 42.
Oglieſa Deſp. 316.
Olchinium. 9.
Olezar. 346.
Oliuerius S. Deſp. 283.
Opsara. 58.
Or Caganus. 14.
Orchanes Turc. Imp. 272, 273.
Organa. 14.
Origo Serblorum. 3, 4.
Orontius. 18.
Oroſius. S. R. 5. 196, 249.
Oroſius III. S. R. 258, 260, ad 265.
Oroſius IV. S. R. 293, 298, 299, 304.
Orſaua. 349.
Orthomarcus. 43.
Oſſor. 346.
Oſtoja Chriſtich. Boſ. R. 375, 393, 394, ad 399.
Oſtrogothi. 11.
Oſtroilus. 10, ad 12.
Oſtroviza. 348, 356, 393, 397.
Oſtroz. 19.
Otho Boh. R. 194, 288.
Ottocarus Boh. R. 209, 221, 375, 387.
Ottogora fl. 5.
Ottogori. 5.
Ovcſe-Polye. 256.

P.

Padulachus. 347.
Pagani. 18, 39, 48.
Pagania. 7 18, 26, 32, 33, 66, 85, 92, 93. &c.
Paganinus Dulcinenſis E. 407.
Palecha. 121, 124.
Palimirus S. R. 89, 90, 99.
Palmanius Teutonicus. 283.
Pannonia. 11, 19, 29, 32, 40, 43, 57, 75, 82.
Pannonii. 42.
Pantalia. 43.
Panydum. 335.
Papa Boſnæ. 381, 382.
Papa Sueti. 29.
Papicius mons. 150.
Parathalaſſia. 32.
Parchevius. 302.
Parchia Dabiſſiæ filius. 392.
Paromiſadæ 5.
Parvos Draginæ ſen. fil. 135.
Parvoslaous Tihomili fil. 4, 139.
Paſabegus. 341.
Paſchalis Reſti. 340.
Patarena hæreſis. 158, 159, ad 161, 169, ad 171, 207, 209, 211, 244, 310, 375, ad 377, 386, ad 389, 399, 405, 439.
Patareni. 378, ad 384, 386, 391, 394, 402, 403, 408.
Patra. 65.
Patrimonia S. Petri. 129.
Pauliciani. 159.
Paulimirus. 30, 38, 85, 88, ad 94, 95, 100, 102, 426.
Paulus Anconitanus E. 65.
Paulus Birinius. 272.
Paulus Brani fil. 86, 93.
Paulus Brimi Marchio. 340, 345.
Paulus Chupor. 398.
Paulus Cubretich Zvorniki Vajv. 405, 409.
Paulus Culiſich. 392.
Paulus de Briberio Dal. Croa. B. 210, 230, 264, 375, 388.
Paulus Diocletanus. 46.
Paulus Gregorii Cæci fil. 368.
Paulus Materango. 246, 247.
Paulus Sclavoniæ B. 414.
Paulus II. P. 412, 414, 419.
Paulus Smyrnenſis A. E. 307.
Paulus Troilus. 354.
Pebica. 267.
Pechia. 162, 178, ad 191, 196, 263, 326, 439.
Peczer. 346.
Pejaſſovus Michaelis R. fil. 136.
Pelagonia. 266.
Peloponeſus. 111, 224, 335.
Peregrinus E. 390.
Periclizes Muſtata. 339.
Periſterin. 359.
Perperum Moneta. 216.
Perſæ 13.
Peſenta. 32.

Peterrive. 346.
Petricha. 299, 303.
Petrislaus S. R. 89, 97, 98, 108.
Petrouze. 219.
Petrus Antiochenus E. 117.
Petrus Aragonius O. S. Fr. 390.
Petrus Card. 127, 130.
Petrus Chulmiæ. 152.
Petrus Covachich, Pougna Vajv. 409.
Petrus de Luna Anti-P. 360, 398.
Petrus Dioclienſis, & Antib. A. E. 120, 126, 127, 131, 132, 425.
Petrus Diues. 236.
Petrus Drivaſtenus E. 168, 169.
Petrus H. R. 367.
Petrus Karagich Scopienſis A. E. 264.
Petrus L. A. 62, 65, 436.
Petrus Paulovich Vajv. 405.
S. Petrus I. P. 433.
Petrus Sauæ E. 213.
Petrus Scutarenſis E. 168.
Petrus Siculus. 159.
Petrus Simonis fil. S. R. 69, ad 71, 84, ad 86, 92, 93.
Petrus Suacienſis E. 313.
Petrus Thomaſinus Pactenſis E. 277, 280, 282, 284, 287, ad 290, 293, 295, 304.
Petrus Vajv. 338.
Phæræ. 269, 296, 300, 303, 306, 319, 320.
Phalimeres. 58, 90, 91.
Phara. 19.
Pharus Ins. 406.
Philippopolis. 147, 152, 159, 161, 335, 356.
Philippus A. E. 75.
Philippus Firmanum E. L. A. 203.
Philippus Franciæ R. 221.
Philippus Mediolan. D. 360.
Philippus Tarentinus. 231, 236, 945, 248, 257, 262.
Philot. 203.
Philoteus Conſtant. Patriar. 326, 437.
Phlantanelas. 354.
Phoca. 13.
Photius. 1, 2, 7, 54, 55, 61, 65, 66, 79, 423, 424.
Phranzes. 353, 354.
Picentini. 185.
Pictavum. 239.
Pignia. 100.
Pilota. 145.
Pincius Princ. 95.
Pinus. 33.
Pirigordus Dyrrachii Præf. 135.
Pius II. P. 385, 407, ad 414.
Pizenes Radolaui fil. 134.
Placida, Pladica. 297, 324.
Pleba. 32.
Plochnik. 329.
Plinius. 5, 6.
Plovidno. 337.
Podgoria. 89, 98.
Podrima, Podrimia. 145, 399.
Poena Principem ſufferentis. 107.
Poeonia. 266.
Polatina. 121.
Polatum. 232.
Polonia. 322.
Pomorauia. 145.
Pontus Euxinus. 41.
Porga. 17, 24, 25, 31, 32.
Porinus. 31, 37, 38.
Porphyrogenitus. 8, 13, ad, 19, 53, ad 56, 111. &c.
Poſega Comit. 222.
Poſonium. 244.
Præbalis. 45, 46, 53, 66.
Præbulus S. Cæſar. 283.
Præjudicium. 2.
Præslava. 99, 109, 309.
Prævalis. 9, 12, 13, 18, 42, 43, 48, 65, 82, 111, 124.
Prævalitanum Regnum. 8, ad 12, 15, 42, 45.
Praga. 358.
Prealimpus Theſſaliæ Præf. 300.
Prævhala. 85.
Predslauus Steph. I. fil. Saba II. dictus. 191, 199, 218.
Prelimirus S. R. 89, 92, ad 100, 108.
Preſiamus Bulg. Imp. 69, 71, 72, ad 85.
Preſthlauus. 88.
Prialupus. 296.
Pribazius Lazari Pater. 328.
Pribeſtlabus. 84, 85.
Pribiſtlauus. 35, 36, 38, 39.
Prilaz. 328.
Prilisbæa. 297, 324.
Primislauus Uroſii fil. Zupan. 137, 140, 141.
Prinus Mons. 373.
Priſrend. 184, 185, 229, 263, 269, 273, 324, 356.
Priſtina. 143, 198, 324, 328, 329, 333 409, 424.
Proconeſus. 115.
Procopius. 10, 11, 12.
Propontis. 110, 361.
Proſegoes. 35, 39, 58.
Protogenes A. E. 75, 78.
Pruſa. 332.
Ptolomæus Sæculi II. Scriptor. 4, 5, 6. &c.

Q.

Quadi. 78.
Quatuor Patriar. 188.
Quatuor Reges iniqui. 16, 21.
Quatuor Vukaſini fil. 324.
Quinque fratrum Minorum Martyrum. 314.
Quinque Lazari filiæ. 327.

R.

Rabna 145.
Racſa. 193. 194.
Radeſtum. 320.
Radich Bobovaz Præf. 413.
Radigradus. 100.
Radimirus Ratimirus. 10, 12, 16.
Radivoi Jablanovich. Jaicæ B. 409, 414.
Radivojus Jaicæ B. 40.
Radivojus Vladimirovich Curiæ Com. 405, 409.
Rodogæſtus Boſ. B. 378.
Rodoslabus. 35.
Radoslaus. 91, 131, 134 424.
Radoslaus Ruſſiæ. R. 201.
Radoslavus. 35, ad 39, 89.
Radoslaus Draginæ jun. fil. 135, 138, 139. 152, 377.
Radoslavus Paulovich. 414.
Radoslavus Stephani fil. 176, 179, 180. 191, ad 197, 210.
Radulus Valachiæ Princ. 371.
Raguſa, Raguſium. 23, 52, 58, 90, 97, 99, 123, 125, 128, ad 137, 143, 273, 302, 320, 340, 361, 368, 375, 378, 389, 394, 406, 407, 414.
Raguſini. 58.
Rákos. 372, 416.
Rama. 141, 203, 374.
Rauina Radoslai fil. 134.
Raoſſau. 297.
Raoſslau Ledenich. 297.
Rasbivojus. 35, 36.
Raſciæ inſigne. 195.
Raſcus Nemanis. fil. 147. ad 149.
Raſcus Steph. II. fil. 151.
Raſe. 43, 82, 83.
Raſſa. 184.
Raſſia. 29, 33, 94, 95, 131, 146, 147, 151, 157, ad 161, 169, 245, 256, 437.
Raſtoza. 18.
Rauſium. 18.
Ravaniza. 332, 333, 341, 348.
Raziaria. 43, 82.
Reate. 206.
Rekeuska. 145.
Religionis Chriſtianæ primrodia apud Serblorum. 6.
Religio Serblorum. 40.
Remeſiana. 43.
Reſſana fl. 333.
Rha fl. 5, 6.
Rhegium. 65.
Rhodope. 42, 316.
Rhoſina. 185.
Riſena. 18.
Roasaulich. 334.
Robertus de Barulo. 256.
Robertus Gviſcardi Sicil. R. 132.
Rodp. 333.
Rogerius Siciliæ. R. 132. 333.
Roma. 1, 6, 7, 19, 23, 24, ad 27, 37, ad 47, 54, 56, 57, 61, 69, 80, 128, 232, 317, 318, 368, 403, 418, 430, 434, 435.
Romana Sedes. 2, 6, 7, 27, 34, 61, 70, 162, 163, 170, 175, 211.
Romania. 187, 207, 302, 309, 324, 349.
Romani. 6, 7, 14, 23, 25, 35, 39. &c.
Romanus, B. R. 69, 95.
Romanus Patriar. 27, 40, ad 66, 69, 71, 81 83, 100, 103.
Romanus. II. 124.
Roſa. 52.
Roſſus Urus. 198, 200, 201.
Rudnik. 271, 358.
Rufus. 41, 44.
Rugerius de Invilia. 256.
Rugii. 6.
Rugovo. 263.
Rusna Stephani Duſiani fi. 273.
Ruſſi. 69.
Ruſſia. 41. 111, 201, 364.

S.

S. Saba prius Raſcus dictus. 149, 153, 158, 162, 175, ad 187, 190, 191, 196, 197, 326, 428, ad 430, 434.
Saba IV. 289, 290.
Sabari. 5.
Sabinus Canuſinus. 11.
Sala 6, 389.
Salankamem. 346.
Sale. 373, 399.
Salenes. 19, 53.
Salona, 14, 15, 22, 29.
Salonitanus. 10.
Samo. 21,
Samuel Bulg. I. 69, ad 71, 95, ad 99, 119, 124.
Sandales Boſ. Vajv. 397, 398.
Sandales Chranich Chelmi Vajv. 327, 338,
Sangiagbegus. 341.
Sanna fl. 413.
Sarabus fl. 4.
Saraceni. 52 54, 58, 62, 65, 89.
Saracia. 347.
Sarajum. 373, 383.
Saramirus. 20.
Sardica. 43, 78.
Sarmatæ. 363.
Sarmatia. 5.
Sathaniel. 160.
Satimirus. 20, 21, 25, ad 29, 31, 35, 36.
Sava. 212.
Saverſtia Angelina Steph. Cœci Conj. 358, 370.

Savia. 42 43,
Savus. 6, 79, 92, 148, 152, 193, 219, 270, 272, 343, 357, 370, 373, 384.
Saxones 106.
Scanderbegus. 350, 351, 361, 362, 369, 408.
Scardona. 273, 349.
Scardus Mons. 9, 82.
Sciarenik. 303.
Sclavi. 3, 35, 61, 81, 89, &c.
Sclavonia. 22, 122, 193, 364, 373, 383, 437.
Sclavoniæ nummus. 193, ad 196.
Sclavorum Reges. 193, ad 195.
Scorda. 9, 43, 46, 121, 232.
Scopia, 152, 256, 263, ad 265, 298, 334, 348.
Scriptum Serblicum. 3.
Scupon. 43.
Scutaris. 130, 134, 136, 145, 169, 199, 200, 302, 330. 340.
Scuti Chrobatici origo 33.
Scythia. 4, 42, 111.
Sebeslaus. 35, 36, 60.
Sedes Apoſtolica. 12, 30, 40, ad 51, 54, 62, 69, ad 72, 183, 190. &c.
Segligonum. 266, 298.
Selimirus. 10, 12, 20.
Selybria. 337. 353.
Sem-Antini montes. 4.
Semendria. 347. 348, 351, 352, 412, 416.
Semlinum. 356.
Senæ. 411.
Senco Madieni fil. 392.
Senderovia 356, ad 359.
Sera. 3.
Seralium. 384.
Serbia. 121.
Serbli. 1, 2, 3, 4. &c.
Serblia. 3, 6. 19, 22, 26, 29, 30, 33. 49, 52, ad 66, 82, 83, 122, 151, &c.
Serdar. 197.
Seres. 202, 265, 319.
Sereth. 289.
Sergius. 62, 79.
Series Archi-Epiſcoporum Bulgariæ. 78, 79.
Series Serbliæ Regum. 37, 38.
Servia. 4, 18, 40, 67, 87, 203. &c.
Serviæ Synodus. 436, 437.
Servus. 5.
Severinus. P. 22.
Sgurus 155.
Sibenicum. 273, 393.
Sicilia. 66, 360.
Sidraga. 32.
Sigismundus H. R. 334, 336, 341, ad 345, 348, 360, 385, 393, 416.
Sigismundus Steph. Thomæ Bol. R. fil. 419, 420.
Siman Baſſa. 197.
Simeon Bulg. I. 69, 70, 81, 85, ad 87, 92, ad 95, 101, 102, 107, 124.
Simeon O. S. Bened. 157.
Simeon S. R. 428. *vide* Stephanus Simeon.
Simeon Steph. Cœci fil. 265, ad 268.
Simeon Steph. Nemanes Monachus. 147, 149, 153, 175, 176, 181, 183, 428.
Simeon Stephani Pater S. R. 150, ad 152, 162, 170.
Simeon Stephani Vroſii III. frat. 289, ad 302, 307.
Simon Asceta. 321.
Simon Subdiaconus L. A. 164, ad 170.
Simon Zachlumiæ E. 169.
Simonides Andronici II Imp. fil. 215, 223, ad 231, 246, 250, 253, ad 255.
Simonis Petra. 321, 326.
Simplicius P. 48.
Sinanbeg. 346.
Sinanbeglerbeg. 346.
Singidonum. 43.
Sipontum. 23, 93.
Siricius. 44, 48.
Sirok Draginæ ſen fil. 135.
Siſmanus Michaelis Bulg. Imp. fil. 265, 309.
Siſmanus Strazimiri frat. Bulg. I. 95, 315, 316.
Sitniza. 332, 336
Siva. 97.
Sixtus III. P. 45, 48.
Sixtus IV. P. 418, 419.
Skoſna. 267.
Slava Vulaici fil. 303.
Slavani. 5.
Slavi. 4. ad 12, 21.
Slavini. 4.
Slobeni. 4.
Smederova. 219.
Smilza Bulg. Imp. 255. 265.
Smyrna. 271.
Solimannus Bajazetis fil. 333, ad 337.
Solimannus Orchani fil. 272, 273.
Solimannus Turcarum Imp. 372, 415.
Sonluk. 219.
Sophia. 229, 231, 355, 356, 371.
Sopota. 196, 197, 211, 215, 216.
Sorabi. 3, 4, 6.
Sorbia. 145.
Spalatenſis. 20, 21, 35.
Spalatum. 23, 29, ad 104, 379, 381, 393, 396, 397, 426.
Spreza. fl. 373.
Srebernikum. 306, 340, 343, 344.
Stagnum. 5. 18.
Stagnum, & Ponta. 274.
Stavani. 5.
Stepco Dalm. Croa. B 210, 375 388.
Stephanus Boislavus. 99, 119.

Stephanus Boſnæ B. 272, ad 273, 374.
Stephanus Boſnæ. E. O. S. F. 385, 406.
Stephanus Boſ. Princ. Thomæ R. fil. 358, 359, 367.
Stephanus Budenus Eccl. Præpoſitus. 292.
Stephanus Chriſtich Thomæ fil. 407, 421, 438.
Stephanus Cidomici fil. 83, 95, 374.
Stephanus Comes. 131.
S. Stephanus Conſtant. Patriar. 1.
Stephanus Coſſarich Herzeg S. Sabæ. 409, 410, 418.
Stephanus Caſtacia Vukaſſi fil. 395, 408, 421.
Stephanus Catromanus Boſ. B. 375, 387, 395.
Stephanus Creſimiri II. fil. 374.
Stephanus Criſpus Diacenſis E. 385.
Stephanus Dabiſa Boſ. R 393.
Stephanus Dragutinus. S. R. 209, 210, 214, 218, ad 229, 234, 245.
Stephanus Duſianus S. R., & I. 187, 195, 216, 255, 391, 436, ad 437.
Stephanus Duſianus Stephani S. R., & I. Cœci fil. 264, ad 267, 269, ad 277, 282, 286, ad 290, 295, ad 299, 304, ad 307, 317, ad 320, 326, ad 328.
Stephanus ex Vojacia nothus Boſ. R. 412, 416.
Stephanus Gejzæ II. H. R. frat. 157.
Stephanus Georgii Deſp. fil. 345, 348, 358, 359, 363, 366, ad 370.
Stephanus Hertzeg. 416.
Stephanus Hrapavi. 199.
Stephanus Jablanovich Boſ. R. 376, 389.
Stephanus Jakſich. 371, 372.
Stephanus Lazari fil. 327, 333, ad 344, 395.
Stephanus Linus Boſ. B. 376, 389, ad 391.
Stephanus Loſſontzy. 393.
Stephanus Maramonte. 339.
Stephanus Mazarecha Vajv. 340.
Stephanus Milutini nothus Vroſius III. vulgo Dechanenſis Cæcus. 224, 245, 246, 252, ad 357, 262, ad 268, 375, 438.
S. Stephanus I. H. R. 367.
Stephanus II. H. R. 141.
Stephanus III. H. R. 374.
Stephanus IV. H. R. 374.
Stephanus V. H. R. 209, 221, ad 225, 228, 244, 254, 255, 375, 387.
Stephanus I. Neman Deſſæ fil. 136, ad 151, 157, 169, 170, 387, 388.
Stephanus II. Nemanis fil. 147, ad 151, 162.
Stephanus III. Stephani II. fil. Primocoronatus S. R. 149, ad 155, 162, ad 167, 176, 178, 182, ad 187, 190, ad 197, 198.
Stephanus Nemanes Tihomili fil. 3, 139.
S. Stephanus Proto-Martyr. 198, 199.
Stephanus Presbyter. 139, 140.
Stephanus S. Sabæ D. 407.
Stephanus Serv. Delp. 324, 327, 335, ad 341.
Stephanus Simeon dictus Steph. I. Nemanis fil. 150, 151. 162, 163, 178, 197, 192.
Stephanus Simeonis fil. 170, ad 174, 210, 218, 228, 429, 433, 436.
Stephanus Simonis fil. 302.
Stephanus Stanich Primordiæ Vajv. 409.
Stephanus Stephani I. fil. 191, 197.
Stephanus Stephani Tomaſſi fil. 376, 393.
Stephanus Thom. Chriſtich Boſ. R. 402, ad 414, 419, 420.
Stephanus Tomaſius Boſ. R. 376, 393,
Stephanus Tvartki I. frat. 395.
Stephanus Tvartkus II. Boſ. R. 401, ad 403.
Stephanus Vroſius I. ſeu Vreſis Crapali fil. S. R. 191, 198 199, 201, ad 203, 206, ad 210, 214, 216, 218, 222, 429, 438.
Stephanus Vrolii fil. S. R. 203, 205, 208, 209, 214.
Stephanus Vlatkovich Vſſoræ B. 405.
Stephanus Volkani fil. 154. 155, 163.
Stephanus Zagrabienſis E. 291.
Stilianus mons. 339.
Stolak. 338.
Straſimirus Bulg. Princ., & I. 309, 314, 316, 393.
Straſimirus S. Princ. 312, 313.
Straſimirus Tihomili fil. 3, 139.
Strentani. 39.
Strimon nunc Strum fl. 335, 369.
Stroemerus. 83, 84, 90.
Strumniza. 369.
Studeniza. 147, 153, 175, 184.
Suacia. 145, 169.
Suacum. 121, 169, 232.
Sudini. 5.
Svobeni. 4.
Surbii. 21.
Suſiza. 320.
Suſmanus. Bulg. I. 327, 328, 331. 339.
Suteska. 396, 412.
Sutiska. 373.
Svatopluchus. 59.
Svechan. 267.
Suecia. 360.
Sveladus. 10, 12, 89, 96.
Svetimirus. 20.
Svetislaus Bulg. I. 221, 255, 265.
Svetolicus. 34, ad 36, 40, 102.
Svetopelechus. 28.
Svetoradus. 35, ad 39.
Svevi. 6.

Sylveſter Buduæ E. 169.
Sylveſter Monachus. 326.
Sylveſter S. R. 89, 96, ad 98, 108.
Syracuſæ. 65.
Syrgianes. D. 271
Syri. 346.
Syrmis. 45.
Syrmium. 187, 196, 200, 219, 254, 346, 357, 358, 372, 439.
Szent-Endröd. 346.
Szent-Király. 346.
Szent-Péter. 346.
Szerdahely. 346.

T.

Tamerlanes Sult. 327, 333.
Tamircanus Tartarorum Princ. 334, ad 337.
Tamiſch 359.
Tamislaus Chrobatiæ Princ. 103, 105.
Tanais. 14.
Ta Sapiati. 73.
Taurunum. 79.
Taurus mons. 5.
Taxilli. 33.
Tebrica. 159.
Tehomilus. 4.
Temanum. 334.
Temeſia. 372.
Temetvin. 416.
Terbunia. 7, 18, 33, 53, 58, 66, 90, 91, 98.
Terbuniotæ. 39, 56.
Terbunium. 18.
Ternobum. 95.
Ternova. 140, 141, 182, 196, 201.
Ternovo. 356.
Terpimmere. 25.
Terpimirus I. 24, 25, 38, 60.
Terra Regis Steph. 223, 225, 271 302, 327,
Terter Bulg. I. 227, 228, 255.
Tetragamia. 101.
Tetrangurium. 58.
Theobaldus L. A. 378.
Theoctiſtus prius Dragutinus dictus. 220, 226.
Theoczak. 346.
Theodora. 47.
Theodora Andronici II. fil. 225.
Theodora jun. Andronici Soror. 265, 266.
Theodora Steph. Cœci fil. 268.
Theodorus. 230.
Theodorus Antiochenus Præſul. 159.
Theodorus Cariſtus. 354.
Theodorus Laſcaris I. 178, ad 180, 191.
Theodorus Muſatius. 247.
Theodorus Nicææ I. 200.
Theodorus Padiata. 143.
Theodorus Paugna Metropolita. 405.
Theodorus Serbienſis. E. 168.
Theodorus Sigrizes. 86, 87.
Theodoſius Nonenſis. E. 61, 63.
Theodoſius Polati E. 169.
Theodoſius II. Imp. 6. 9, 44, 303.
Theodulus A. E. 75.
Theophanes Monachus. 326.
Theophilactus Conſtant. A. E. 73, ad 78, 102, 108, 117, 433, 434.
Theophilus. 47.
Theophonus Pechinæ Patriar. 405.
Theſſalia. 6, 13, 18, 42, 43, 47, 48, 51, 66, 73, 145, 270, 324.
Theſſalonica. 44, 45, 65, 73, 145, 228, 230, 237, 265. 271, 335, 343.
Thiſſa Varſan. 346.
Thomas Archi-Diaconus. 22.
Thomas Boſ. R. 359, 363, 385.
Thomas Cantacuzenus. 348, 358.
Thomas Chriſtich Boſ. R. 402, 403, 404, 438.
Thomas de Luzach. 396.
Thomas de Vojno. 297.
Thomas Palæologus. 350, 368.
Thomas Pharenſis E. L. A. 401, ad 413.
Thomas Stephanus Chriſtich Boſ. R. 409, 419, ad 421.
Thracia. 13, 32, 41, 42, 146, 270, 296, 309, 324, 356, 364.
Thur. 346.
Tiberiopolis. 73.
Tiberius. 13, 42.
Tibiſcus fl. 348.
Tientizium. 327.
Tihomilus Belæ Vros fil. 91, 99, 100, 139.
Tihomilus Stephani I. Nemanis fil. 149, 151.
Timbre. 185.
Tiſimirus. 85, 89, ad 94, 108, 374.
Titia Inſula. 346.
Tolimirus 35, 36.
Tomis. 42.
Tomislaus. 36, 37.
Tomislavus. 35, 36, 37.
Topliza. 147, 185.
Torobum. 359.
Torontal. 346.
Totila. 10, 11, 12.
Tragurium. 273, 379, 393.
Tranſylvania. 244, 391, 416.
Trapezum. 227.
Traviſium. 11, 295.
Traunik. 373.
Trebina. 89, 92, 99, 136, 142, 145, 161, 272, 326, 391.
Trepzia. 220.
Triballi. 202, 227, 331, 363, ad 365, 401, 406.
Tribunia. 18, 32, 82, 121, 151, 161,
Tribunius Raguſæ A. E. 144.
Trica. 296.
Tricornium. 43.

Trinobum 189.
Triphon Michaelis. 235, 237.
Tropus. 42.
Trosmis 42.
Tuchel. 139.
Tuga. 17.
Tugimirus. S. R. 89, 96, ad 98, 108.
Turcia. 31.
Tvardoslaus. 35, ad 37.
Tvartkus I. Boſ. & Raſs. R. 315, 326, 327, 330, 332, 340, 343, 374, 376, 392, ad 396, 421.
Tuartkus II. B. R. 375, 393, ad 403, 418.
Tvartkus Vladislai fil. 391, 393.
Tzeheſtlabus. 84, 87, 88. 100.
Tzena 32.
Tzenzina. 32.
Tzernabusce. 53.
Tzuzemirus. 58, 91.

U.

Uglieza Ceonich. 271. 297, ad 302, 319, 320, 327, 328.
Ujlakiorum gentilitium Inſigne. 415.
Újfalu 346.
Uladislaus Boſ. E. 169.
Uladislaus Dragutini fil. 219, 224, ad 226, 230, 244, ad 246, 252, ad 255.
Uladislaus Jagello Polon. R. 361.
Uladislaus Loktekus Polon R. 249, 399.
Uladislaus II. H. R. 193, 349, 350, 360, 361, 371, 372, 386.
Uladislaus S. R. 182, 196, 197.
Uladislaus Steph. Lini frat. 391, 392.
Ulpiana. 43.
Ulricus III. Cælejæ Com. 343, 351, 357. 363. 369, 417.
Unavia. 202.
Ungleſis. 296.
Urbanus II. P. 132, 133.
Urbanus V. P. 304, 308, 311, ad 318, 392, 395.
Urbanus VI. P. 360, 395.
Urbica. 338.
Ureſis Uroſii fil. 139, ad 141.
Uriza 196, 200.
Uroſius jun. Zupan. 137.
Uroſius I. S. R. 198, ad 201, 209, 221, 231, 234, ad 250, 256, 375,
Uroſius II. Dragutini frat. 229, 231, 263, 435, 436.
Uroſius S. III R. 255, 266, 263, 435, 436.
Uroſius IV. Steph. Buſiani fil. S. R., & Imp. 186, 269, ad 273, 276, 290, 295, ad 307, 308, 316, ad 320, 325, ad 328, 391, 437, 439.
Uroſius Raſſiæ Zupan. 135, ad 137, 141, 142.
Uroſius Uroſii I. fil. S. R. 203, 204, 205, 374.
Urſius Patriciacus. 93.
Uſiza. 325.
Uſſora. 373, 389, 392, 393, 399, 405.
Uſſora fl. 373.
Utoniza. 185.
Utriguri. 5.

V.

Vadingus. 306.
Valachi. 363.
Valachia. 316.
Valcon Comit. 222.
Valdenſes. 159.
Valdeuina. 32.
Valemirus Jamometovich Raſciæ, Vajv. 405.
Valentinianus Imp. 303.
Valeria 42.
Velerianus. 42.
Valievum. 405.
Valpertus Aquilejenſis. 61.
Vandali 6.
Vardarus fl. 263.
Varua. 331, 335, 349, 361.
Varus. 3.
Varvarus. 3.
Vaticanum. 248.
Vazul Vazulæ fil. 221.
Vechinus. 75, ad 78.
Vegenye. 346.
Venceslaus Boh. R. 194, 253, 288.
Venceslaua Vidua. 148.
Venedæ, Venedi, Veneti. 3, 4, 5, 21, 59, 235, 241, 273, 291, 295, 339, 360, 397.
Venetiæ. 26.
Verbas fl. 373, 414.
Verboſſana, 373.
Verdnik. 333.
Vereuze Comit. 222.
Vexillum D. Petri. 126, 128, 138, 235, 240, 408, 421, 435.
Vezelini. 129.
Vidinum. 219, 309, 314, 334, 352.
Vienna. 357.
Vigilius P. 45, 71, 242, 431.
Világoſvár. 346.
Villacum. 385.
Villanus. 306.
Villemirus Vladomirovich Creſovienſis E. 404.
Viminacium. 43.
Vindi. 4.
Vindius. 4,
Vinidi. 21.
Viona. 3.
Viſtula. 6.
Vitaniza. 237.
Vitomirus. Lazari D. 329.
Vitovezius Eques Boh. 369.
Vitus Bobali. 254.
Vladimirus. 35, ad 36, 69.

Vladimirus Draginæ jun. fil. 135, ad 143, 252, 161, 423, 415.
Vladimirus Michaeiis R. fil. 69, 134, 138.
Vladimirus. S. R. 89, 97, ad 99, 108, 109, 423.
Vladimirus Vladimiri fil. 134, 135.
Vladislaus. 36.
Vladislavus Steph. Lini frat. 389.
Vladislavus. 35.
Vladislavus Steph. I. fil. 191, 192, 195, 197, 210.
Vlaſich. 302.
Vlatkus Hrana Chelmi Vajv. 393.
Voihna Cæſar. 297, 302, 316,
Voiſavus Cæſar. 302, ad 304, 314,
Voislau de Voino. 297.
Volcanus Nemanis fil. 147, ad 149.
Volcanus, S. R. 136, 427.
Volcanus Steph. frat. S. R. 149, ad 155, 162, ad 166, 170, ad 178, 182, 190, 328, 375, 378, 379.
Volcus Steph. II. fil. 151.
Volga. 6.
Vragacheniſa 185.
Vratislavia. 417.
Vratkus Demetrii fil. 154, 328.
Vuichius Vladislai fil. 391, 395.
Vukaſinus Ceonich S. R. 297, 299, ad 304, 306, 316, ad 324, 328, 329,
Vukaſinus Tyrannus S. R. 186.
Vuk Dabiſſiæ fil. 392.
Vuk Greblianovich Liuna Com. 490.
Vukmanus Crobatiæ B. 412.
Vukmirus 374.
Vukoſava Lazari fil. 327.
Vukosava Tuartki II. Mater. 393.
Vukaſa Veſelichich novi Caſtri Præf. 409.
Vukus Brankovich. 302, 324, ad 328, 332, ad 337.
Vukus Gregorii Cœci fil. 368.
Vukus Lazari fil. 327, 328, 333, 337.
Vulodanus. 10, 12, 13.
Vuladislaus Vukich Raſc. Vajv. 409.
Vulaicus Valachiæ Princ. 304, 317.
Vulatko Vukovich. 332.
Vulkus Eleazarus Branci fil. 296.
Vurania. 135.

Z.

Zacharias Pribeſtlabi fil. 86, 87, 93.
Zachlumi. 7, 18, 39, 58.
Zachlumia. 4, 18, 32, 33, 53, 66, 122, 145, 151, 185.
Zagarlatu. 145.
Zagoria. 324.
Zagrabia. 291, 293.
Zaldapa. 42.
Zarand 346.
Zarchus. 296.
Zariza Milutini fil. 225, 227, 236, 237, 252.
Zarko Mereſich 325.
Zarkus. 302.
Zavida Tihomili fil. 4. 139.
Zenta. 89. 98, 131, 136, 142, ad 145, 158, 161, 184, 199, 267, 274, 302, 312, , 328, 339, 340, 361, 377.
Zentina. 16, 18, 31, ad 33.
Zetlebe. 18.
Zibisclaus, Boſnæ B. 375, 382, ad 384, 386, 387.
Zoganyi. 263.
Zolnik. 346.
Zolnok. 346.
Zonaras. 41.
Zoſimus. 44.
Zrep-Lazari D. 329.
Zumbi. 263.
Zupania. 18, 32.
Zupanus. 8, 35, 57.
Zvanimirus. 20, 21.
Zvezdodrag. 148.
Zvietiza alias Helena. 394.
Zvornik. 405, 417.

ERRATA.

ERRATA. CORRIGE.

PRÆFATIO. Col. 4. lin. 7. ſide pro fide. Col. 6. lin. 26. *poſt vocem* proprium *adde:* magis.

CONSPECTUS. Pag. I. l. 6. CONSILIUM - CONCILIUM. p. II. l. 1. *poſt* in *adde:* Albariam & p. III. l. 21. Conſtantinopolitani - Conſtantinopolitanæ. p. VI. l. 12. Poſtquam - Poſt quem l. 24. ejusdem, iisdem. p. VII. l. 12. Sæculi IX. - XI. l. 24. MCLL. - MCLI. p. IX. l. 15. l. anno MCXCI. - l. anno MCXC. l. 26. religionem - in Religionem. Ibid. Inquiritur *adde:* in p. XIII. l. 1. MCCCXII. - MCCCXIII. l. 21. amiſſæ - emiſſæ.

COLLOQUIORUM. Pag. 2. Lin. 19. commemorati - commemoraſti. p. 3. l. 26. populi - populi. l. 38. Polybus - Polybius. p. 9. l. 10. ſec - ſed. p. 10. l. 3. Totile - Totilæ. l. 12. Geraſii l. - Gelaſii l. p. 12. l. 20. Oſtrolo - Oſtroilo. p. 14. l. 22. Solonam-Salonam. l. 28. tetrarum - terrarum. l. 20. Chrobati - Chrobatis. p. 16. l. 37. tenentque - tenueruntque. p. 22. l. 35. Abaries Soloitani - Abares Salon. p. 25. l. 5. percopto - percepto. p. 29. l. 11. anni XI. - anni XL. p. 33. l. 40. Sylizes - Scylizes. l. 44. aliisque - aliique. p. 34. l. 19. affatis - a fatis. p. 38. l. 30. Deoclate - Deocleate. l. 32. ſimilitudines - ſimilitudine. l. 34. ac - *deleatur.* l. 38. Porphyrogenito - Porphyrogeniti. l. ult. locumlocum. p. 39. l. 29. *nuncupari - nuncupati.* p. 41. l. 9. univerſa - univerſo.. l. 19. *labaros - barbaros.* l. 32. Zonaerae Zonaræ. p. 44. l. 11. exodior - exordior. p. 48. l. 34. Illyricianas - Illyricianos, p. 50. l. 29. *dicete - dicite.* p. 51. l. 10. Apoſtolis - Apoſtolicis. p. 53. l. 3. abrumpto - abrumpo. p. 54. l. 26. creederet - recederet. l. 28. preceſſionis - proceſſionis. p. 55. l. 29. Aſſuri - ceſſuri. p. 56. l. pen. Tz. - T. a. p. 63. l. 14. emandeveritis - emendaveritis. l. 7. Bulgaricæ - Bulgariæ. p. 81. l. 19. *Gracorum - Graecorum.* p. 86. l. 31. *ſubſtito - ſubſtituto.* p. 88. l. 35. Diocletas - Diocleates. p. 89. l. 17. Claslavi - Claslavi. l. 30. gentium - genitum. p. 93. l. 20. iſta - iſtas. l. 39. Dundulus - Dandulus. p. 95. l. 34. feudam - feudum. p. 98. l. 17. dic - diu. p. 106. l. 4. inſtallata - inſtillata. p. 108. l. ult. regnabatis regnabat is p. 111. l. 31. *Bulgarique - Bulgariaeque.* l. 37. quod quoad. p. 113. l. 22. Sacrifilii - Sacrificii. p. 118. l. 18. *eihum - cibum.* p. 121. l. 11. *eccleſiam* adde *cum.* l. ult. *Torneo - Tomeo* p. 126. l. 14. *Gregoriam - Gregorium.* p. 128. l. 38. *Marello - Martello.* p. 229. l. 2. ut - aut. l. 41. inſignavit - inſignivit. p. 131. l. 7. XXXVI. - XXVI. (rectius XVI.) p. 136. l. p. 20. Deſtæ Deſſæ. p. 145. l. 19. Seliæ - Siciliæ. - *In Marg.* Fridericus - Fridericum. p. 147. l. 25 nerſus - rurſus. l. 26. auterator - auctorator. p. 148 l. 9. Niſlea - Niſſea. p. ſeq. 491 - 149. p. 150. l. 26. EDOCIAM - EUDOCIAM. p. 154. l. 31. Calo, Joannes - Calo Joannes. p. ſeq. 154. - 155. p. 165. l. 1. Innocentini - Innocentii. p. ſeq. 152. - 166. p. 173. auguſtum - auguſtam. p. ſeq. 168. - 174. p. 176. l. 24. cathedram - in cathedram. p 188. l. pen. Paleogus - Paleologus. p. 204. l. 33. *acient - aciem.* p. 213. l. 18. *dignarimur - dignaremur.* p. 215. l. 28. tempore - temporis. p. 217. l. 6. translatas - translata. p. 221. l. 3. oblatus - oblatas. In Mar. l. 2. verior - veriora. p. 231. l. 33. pleniſſime - planiſſime. l. 39. - 2321. - 1321. p 232. l. 26. inventoinvito. p. 234. l. 2. policitims - implicitos. p. 244. l. 21. *modis - modo.* p. 254. l. 31. *fautorum - fautorem.* p. 258. l. 10. *conjugi conjungi.* p. 260. l. 30. ADIUV ET - ADIUVET, ET. p. 263. l. 33. adito - edito. l. 41. ſomotus - ſemotus. p. 264. l. 39. vobis - votis. l. 41. Cantacuzem - Cantacuzeno. p. 265. l. 8. hymendo - hymenaeo. p. 270. l. 23. pouit - potuit. p. 272. l. 20. *poſt* & *adde* ſub. l. 24 æreaere. l. 35. amiſſus - admiſſus. p. 277. l. 20. *perturbabant - proturbabant.* p. 284. l. 30. BALSAM - FALSAM. poſt p. 290. Mar. 391. - 291. l. 1. editus - additus. l. 7. in - *deleatur.* p. 311. l. 13. DIES - DUO. p. 313. l. 20. *Colocenſis Catarenſis.* p. 314. l. 3. Dimum - Drinum. p. 317. l. 3. hortaturque - hortatorque. l. 17. utrius - utriusque. l. 41. litris - litteris. p. 319. l. 10. divagaſti - divagati. p. 323. l. 1. Regio - Regis. l. 8. quamvis - quavis. p. 324. l. 12. refugerent - refugerunt. l. 17. ſenſuerunt - ſenſerunt. l. 19. *Tazarus - Lazarus.* p. 328. l. 29. confeſto - confeſſo. p. 329. l. 4. Amuratis - Amuretes. p. 330. l. 22. Muſulmanus - Muſulmanos. p. 335. l. 1. Mura - Mara. p. 339. l. 36. turbari - turbare. p. 340. Marg. ſeveritus - ſeveritas. l. 14. deſpotae deſpota. p. 344. l. 38. 1743. - 1425. p. 359. l. 31 genere - genero. p. 360. l. 24 deploras - deplorat. l. 39. neceſſarium - neceſſariam. p. 361. l. 9. commemorari - commemoravi- p. 363. l. 14. *Dominum dominium.* p. 369. l. 20. familiarum. familiarium. p. 380. l. 31. poſt *Articulis*, adde: quos ad ipſius Joannis exhortationem illi, p. 381. l. 2. *venerum - venerunt* Marg. l. 13. Anconicus - Aconcius. p. 382. l. 17. Beſnenſem - Boſnenſem. p. 384. l. 16. *haereticos - haereticis.* p. 385. l. 27. *argentiae Argentinae.* p. 386. l. 4. tenor. tenere. l. 42. Caſtra quodam - & caſtra quaedam. p. 392. l. 28. profitentur - profiteretur. p. 397. l. 2. feret - ferret. p. 400. l. 13. fratrefratres. p. 405. l. 18. *Pincernorum - Pincernarum.* p. 410. l. 8. fulicarent - fulcirent. p. 411. l. 7. *cor - cor.* p. 415. l. 5. canotaphium - cenotaphium. p. 422. l. 11. *Filioque deleatur.* p. 428. l. 15. deletasque - deletusque. p. 429. l. 30. erat - deleatur. p. 431. l. 27. *ante* eſt *adde:* fundatus. p. 434. l. 31. metus - nutus. p. 438 l. 1. Marg. XII - XIII. In ſequentibus paginis male repetuntur Numeri 437. 438. p. XIII. l. 8. conficit - conficit. p. XVII. l. 16. filialibus - filiabus. p. XX. l. 36. ſitu - ſita. p. XXII. l. 24. *Stephani - Stephano.* p. XXIII. l. 38. *transalpiam - transalpinam.* p. XXV. l. 4. *Rubram - Rubeam.* p. XXVIII. l. 7. *clauſarum - clauſuram.* l. 26. *Ophara - Opsara.* l. 30. *Terbunitae Terbuniotae.* l. 31. *Triluonitae Terluonitae.* p. XXX. l. 20. Sclaborum - Sclavorum. l. 39. ex reliquæ - ex reliquis. p. XXXII. in Mag. 6 8. 9. 10. - 6. 7. 8. 9. l. 4. five - five. l. 5. & - eſt. l. 15. lacten - lactantes. p. XXXIII. l. 15. *Phaoum - Pharum* l. 22. *Serviae - Servia.* p. XXXV. l. 44. *Toro Foro.* p. XXXVI. l. 4. *Chebena Chleber ra.* l. 30. a *Serblos Serblis.* p. XXXVIII. l. 7. beneficis - beneficii. p. XXXIX. l. 7. Tuens - Furens. l. 8. exer - exercitu. l. 31. captas - copias. l. 36. conjicientes. - conjicientes. p. XL. l. 24. *Lesnek - Lesnez.* XLII. l. 16. *Servis - Serviis.* l. 25. *Cracra - Crucra.* l. 26. *Melazanza Melezenza.*

Marus fl.
Panonia inferior
Drauus fl.
Culpa fl.
Savus fl.
Arsia fl.
Albunum seu Valdeonina
Flanona
Chrebatia
Bihacs
Kamen grad
Verbas fl.
Pinus m.
Faiza
SAVIA
BOSNA pars
Bosna fl.
Serviæ
Ardius m.
Dalmatiæ pars
Tedanius fl.
Dalona Tilurius seu
Timus fl.
Zentina fl.
Pagania
Narenta
Orontius
Zachlumia
Terbunia
Ragusa
Catax
Diocleæ
Scodra
ZETA
RUGORA
Puiati
Drivasto
Podrima
Pechia
Hæmus m.
Barbana fl.
Danubius fl.
Tibiscus fl.
Marusius fl.
TRANSYLVANIA
DACIA
Syrmis
Belgradum Semendria
Colubra fl.
Super
Moesia
SERVIA
Drina fl.
Iessova fl.
RASCIA
Colubrus fl.
Ister
Dacia
Ripensis
Ræse
Viadin.
pons Trajani
Nicopolis
Alutus fl.
Syl. fl.
Aluta fl.
Argis
MOLDAVIA VETUS
VALACHIA
Seretus fl.
Pruth fl.
Dorostolus
Silistria
Pontica
Varna
Scythia
MUESIA inferior
BULGARIA
Larstra
Temova
Hæmus m.
Philippopolis
ROMANIA
Mesembria
Anchialus
Sosopolis
Euxinus pontus
Stobi
Rhodope m.
Tracia
Adrianop
Hebrus fl.
Trajanop
Eukopa
Constantinopolis
Bithinia
Bosphorus Thracicus
Propontis
Chersonesus
Callipolis
Hellespontus
Anatolia
MACEDONIA
DARDANIA
Prisren
Bistriza fl.
Drinus niger
albus
Prabalis
Pelagonia
Axius
Strymon fl.
Nestus fl.
Pistra
Seu Vardar
Pæonia
Berva
Thessalonica
athos m.
Peneus fl.
Servia
Thessolia
Larissa
Epyrus vetus
Canina
Sopoto
Chimera
Acarnania
Ætholia
Cephalonia
Eubœa
MARE ÆGEUM
Achrida Seu Justiniana prima
Lychnidus
Crota
Dyrrachium
Epidamnus
Clomin f.
Ierichò
Belgrad
Aulon
Corcyra
MARE IONIUM
Lissus
Medua
Antibari
Budua
Ulchinium
Lemia
Bovium
Cargonmois
Sipontum
Barium
Brundusium
Fapygia
Tarentum
Peucetia
Neapolis
Capua
Beneventum
Cajeta
Roma
Lucania
Brutia
Calabria
Sinus Tarentinus
Hydruntum
Sicilia
MARE TYRRHENUM
Liris